Visto vba.

THEOPHYLACTI SIMOCATTAE EX-PRÆFECTI, ET OBSERVATORIS COACTORVM, HISTORIAE MAVRICII TIBERII IMP. LIB. VIII.

ITEM

GEORGII PHRANZÆ PROTO-VESTIARII CHRONICORVM DE VLTIMIS ORIENTALIS IMPERII TEMPORIBVS, DE SVLTANORUM Osmanidarum origine, successione, rebus gestis, usque ad Mahometem II. de rebus denique Peloponnesiacis ante & post captam Constantinopolim libri III.


EPISTOLA GEORGII TRAPEZVNTII, QVA IOANNEM PALAEOLOGVM IMP. HORTATVR, VT AD SYNODVM IN ITALIA celebrandam proficiscatur.

OMNIA EX BIBLIOTHECA SERENISS. MAXIMILIANI VTRIVSQVE BAVARIAE PRINCIPIS deprompta, in latinum conuersa, & Notis illustrata

Es dela libreria del Collegio de S. Alberto de Sevilla

IACOBO PONTANO SOCIETATIS IESV.

Accesserunt Indices copiosissimi.

ANNO 

M.DCIV.

INGOLSTADII,
Ex Typographia ADAMI SARTORII.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MAXIMILIANO, VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI, PALATINO RHENI, &c.

JACOBVS PONTANVS SOCIETATIS JESV S. P. D.

MVnus quoddam historicum, ipso genere vnum, expositione bipartitum, MAXIMILIANE PRINCEPS, ad te mitto. De Imperio, & Imperatoribus Orientis Scriptores hi ambo memorant: de Mauricio Tiberio quidem prior, vt longior, ita quoque grauior, & illustrior: de Palæologis Comnenis posterior, vt chronographus, contractior. Inter illius, & horum tempora aliquot sæcula fluxerunt, anni propemodum

ſeptingenti: id quod narrationum in vno volumine coniunctionem impedire non debuit, quando vni eidemq́; imperio præfuerunt, Byzantiumq́;, nouam Romam (vt Conſtantinus Magnus appellare voluit) ſedem ac domicilium habuerunt: & quæ commemorantur ab vtroque, ad idem imperium, eandemq́; ciuitatem ſpectant. Florebant res, & ſtabant incolumes adhuc ſub Mauricio Principe potentiſsimo. Deflorescebant, & accidebantur potiſsimùm ſub Palæologis, cum Oſmanidæ, ſiue Turcarũ reges (nominis & maieſtatis Chriſtianæ hoſtes infeſtiſsimi) ſemper aliquod tanquã membrum de ingenti & pręclariſsimo corpore auellerent, donec tandem Numine conniuente, fortunatiſsimam illam, auguſtiſsimamq́ue vrbem, reuera cęterarum vrbium βασιλίδα, reginam ac dominam acerrima oppugnatione diu vexatam, in poteſtatem adduxerunt: atq; ita corporis quod dixi, velut ſpecioſiſsimum caput, aut intima eius viſcera, atq; adeò cor ipſum immaniſsimè

nisſimè auulſerunt. Quod vt geſtum ſit, à PROTOVESTIARIO noſtro, qui præſens interfuit, diligentiſsimè, & ad fidem accommodatiſsimè deſcriptum inuenimus. In vtraq; hiſtoria (vt hoc loco ad illarum commendationem nihil præterea ponam) ſummam rerum humanarum mobilitatem ac viciſsitudinem, & quod eſt apud Flaccum, hìc apertiſsimè intueri licet.

-----valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus
Obſcura promens. hìc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit, hìc potuiſſe gaudet.

Ex quanta fœlicitate Ormiſdas Perſarũ rex (nam de rebus quoque Perſicis multa Theophylactus narrat) & Choſroes filius eius in quantas ærumnas deuoluti ſunt? Quam flebilis eſt Mauricij exitus? Quam miſerabilis Palęologorum conditio, qui auxiliaria Latinorum arma toties incaſſum implorarunt? Perſæ Varamum, Mauricius Phocam, Conſtantinus VIII. qui ex fami-

lia Palęologina extremus, & parum diu imperauit, Mahometem II. tyrannos crudelissimos pertulerunt.

Quare Principibus nihil tutius, nihil salutarius, quam ab vno & vnico Deo pendere semper, cuius est regnum, & cui voluerit, dabit illud: nihilq; perinde in omni vita charum habere, vt pietatem ac religionem, cuius in teipso, MAXIMILIANE, vt item in sanctissimis parẽtibus ac maioribus tuis exempla multa & singularia vidimus, legimus, audiuimus: quemadmodum & virtutum reliquarum, quibus Principes Christiani plusquam diadematis, auro, & lapillis, stipatorumq; magnis cateruis, & omni demum honorum genere exornantur. In his elucet inprimis domus vestræ clarissimæ erga Religiosos viros amor ac liberalitas, qua cum SOCIETAS nostra plurimum vsa sit, vtaturq; quotidie, & pars illius etiam ad Augustanum hoc Collegium dimanauerit, & nos quoque tua tuorumque successorum pręsidia, subsidiaque nobis polliceri

posși-

posſimus, facere non potui, quin ad teſtificationē grati ac memoris animi, hoc quidquid eſt voluminis tibi inſcriberē: cū præſertim ex nobiliſsima bibliotheca tua codices græcos plures hactenus mihi, & quibuſdam ordinis mei ſuppeditaueris: vt hoc etiam modo nomine ſtudioſorum omnium, qui his, & aliis interpretationibus noſtris noſtrorumq́ue legendis profecerunt, aut proficient, tibi gratias agere videar, cum theſauros tales latere & abſcōditos eſſe amplius noluiſti. Quod reſtat, etiam atq; etiam oro PRINCEPS SERENISS. vt labores hoſce tibi piè dedicatos ne ſpernas, Societatemq́; noſtram omni beneuolentia comprehendere ne deſiſtas. Auguſtæ Vindelicorum, Anno M. DCIV. pridie Kal. Maias.

Theophylactum Simocattam de rebus Mauricij Imperatoris, & Georgium Protouestiarium de vltimis Imperij Constantinopolitani temporibus, &c. à IACOBO PONTANO Societatis nostræ è græco translatos, atque ab aliquot Patribus nostri ordinis visos & approbatos, ego GREGORIVS ROSEPHIVS, per Germaniam superiorem Societatis IESV Præpositus Prouincialis, potestate mihi ab admodum R. P. N. Generali CLAVDIO AQVAVIVA concessa, typis excudi permitto. Ad huius rei fidem, testimonium hoc manu mea subscriptum, & sigillo Societatis consignatum illi do. Landspergæ, pridie Kal. Februarias, Anno M. D. CIV.

GREGORIVS ROSEPHIVS.

Theophylactum hunc Simocattam, & Georgium Protouestiarium fideli & eleganti latinitate donatum à IACOBO PONTANO Societatis IESV presbytero, viro erudito, & multis in publicum datis monumentis claro, saluis fidei nostræ decretis, prælo rectè & vtiliter committi posse iudico:

PETRVS STEVARTIVS,
S. Theologiæ Doctor, Professor & Procancellarius in Academia Ingolstadiensi, ibidemq́; ad D. Mauricium parochus.

AD

AD LECTOREM.

DE AVCTORE HVIVS HISTORIÆ, DE SCRIPTIS EIVS, DE SYNOPSIBVS IN EVM PHOTII CONSTANTINOPOLITANI.

THEOPHYLACTVS Simocatta (sic enim malo, quam Simocatus: idq; cum Suida, apud quem est Σιμοκάτης) in Ægypto natus est, vt ipse liquidò indicat lib.7.cap.16.in extremo, cum de fluminis Nili incremento, & inundatione disputationem longiusculam texere incipit. Natus est autem loco non ignobili, vt coniecturam facimus: quandoquidem Petrum Ægypti Præfectum se cognatione attingere affirmat, lib.8. vbi Mauricij miserabilem interitum exponit ac deplorat: & ipse quoque honores gessit, quod statim docebimus. Atqui scimus regendis præsertim prouinciis, vt nō imprudentes viros, sic etiam non humiles, ac plebeios præponi solere. Ex dialogo, quem historiæ suæ præfigit, adultis Mauricij temporibus in lucem editum suspicor; & id multò magis ex cap.17.lib.2.colligo, vbi se de illius rebus audiisse à se-

nibus narrat; quia scilicet puerilem tum ætatem agebat. Sub Heraclio, qui Phoca interfecto imperiũ pœne triginta annis tenuit, (ab anno Christi DC.XII. ad DC. XL. scilicet) & Sergio Patriarcha Constantinopolitano eum floruisse, historiamq́ue istam conscripsisse, ex eodem dialogo certo certius constat, similiterq́; ex cap. 12. lib. 8. vbi se, Phoca è medio sublato, scripta à se de Mauricij nece populo è superiore loco recitasse, eumq́; ad lachrymas commouisse narrat. Photius ἀπ' ἐπάρχων *ex præfectis nominat. Præfecturam itaque, nec ciuitatis, sed prouinciæ potius alicuius administrauit. Ab eodem* ἀντιγραφεὺς *dicitur: quod quidam putauit reddendum* Scripturarius. *Scripturarij, inquit Nonius, apud veteres fuerunt, quos nunc tabellarios dicimus: quòd scriptis, & commentariis omnia vel vrbium, vel prouinciarum complecterentur. Lucilius,* publicarum rerum assuefiam, vt scripturarius. *Vnde historiam nostram liceret appellare: THEOPHYLACTI SIMOCATTAE EXPRAEFECTI, ET SCRIPTVRARII. Sed Budæus in Pandect.* ἀντιγραφεὺς *interpretatur,* OBSERVATOR COACTORVM, *id est, eorum qui pecuniam colligunt, ad Principem, aut Rempub. pertinentem; qui Græcis* ὑποδέκται, *nostratibus Receptores particulares, Ciceroni pro domo sua, & alibi, custodes; vbi forsitan,* coactorum, *subau-*

ſubaudiendum eſt. Magis igitur inſcriptio placuit, EX PRAEFECTI, ET CVSTODIS COACTORVM. *Suidas* Σοφιστὴν *appellat, id eſt, hominem doctum ac ſapientem, ex eóque & verba explanat, & locos integros adducit.*

Ingenium eius mite inprimis, & φιλόκαλον, *vt etiam doctrinam non vulgarem, ſcripta ipſa teſtantur ac produnt: quorum alia ſunt epiſtolæ: alia quæſtiones naturales: alia hiſtorica. Verùm nos duobus prioribus generibus in præſens prætermiſſis, de hiſtoria, quam in manibus habemus, age, pro recepto interpretũ more diſſeramus. De qua primùm omnium audiendus eſt Photius, cui cum ſumma eruditione ſummi quoque iudicij intelligentia tribuitur.* ἡ μέντοι φράσις αὐτῷ ἔχει μέν τι χάριτος πλὴν γε δὴ ἡ τῶν τροπικῶν λέξεων, καὶ τῆς ἀλληγορικῆς ἐννοίας κατακορὴς χρῆσις, εἰς ψυχρολογίαν τινά, καὶ νεανικὴν ἀπειροκαλίαν ἀποτελευτᾷ· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῆς γνωμολογίας οὐκ ἐν καιρῷ παρενθήκη, φιλοτιμίας ἐστὶ περιέργου, καὶ περιττῆς. τὰ δ' ἄλλα οὔτι ἐς μῶμον ἥκοι. Dictio eius lepore ac venuſtate non caret. Veruntamen modificatarum vocum, & allegoricorum ſenſuum nimis crebra vſurpatione, cum faſtidio legentium, tandem friget, & iuueniliter ineptit oratio. Quin etiam intempeſtiua ſentẽtiarum intermiſtio, diligentiam nimis curioſam, & ſuperuacaneam olet.

Cętera in reprehensionem non cadunt. *Huic iudicio & nos suffragamur, dictionisq́ elegantiam ex tropis tum iis, qui in vno verbo, tum iis qui in oratione cernuntur, magnam partem à Simocatta quæsitam, & comparatam concedimus. Tropi autem vt rariores ornatum, sic frequentiores non solum satietatem & ineptiam, sed insuper obscuritatem pariunt. Recensere huiusmodi tropos hoc loco nihil attinet, cum res perspicua sit, de qua loquimur. Est & aliunde parum nonnunquam dilucidus hic auctor, vt interpretem, etiam me eruditiorem pudere non debeat, id candidè confiteri. Quod de sententiis non opportunè insertis queritur Photius, id aliquando factum à Simocatta non memini. Curiosè quidem, & fortasse plus satis diligentem alicubi, non negauerim, & in sententiis quoque crebrum esse fateor: nec ob id diem illi dicendum puto. Inuenitur prӕterea aliquanto verbosior, quod Photium prӕteriisse mirór: & idem vel continenter repetit: vel pluribus quam opus est dicit. Sed enim hӕc tria à reprehensione haud aliena, multis laudabilibus egregiè compensat. Est quippe rebus illustris & magnificus: tametsi non omnia Mauricij, sed bella cum Persis potissimùm (nempe quinque libris prioribus) persequitur: reliquis tribus aduersum Abares, & Sclauinos, siue Sclauos gesta, nec non funestum eius exitum complecti-*

plecti-

plectitur. Magnam habet casuum varietatem, quæ legentes mirabiliter retinet. Genus scribendi (si totum simul vniuersè spectemus) sanè elaboratum, prudens, graue, iucundum, disertum, planeq́ oratorium. Affert ad vitam humanam ex rerum vicißitudine ac mutatione quam rectißimè instituendam documenta vtilißima. Eo siquidem fine potißimùm historia texitur, vt aliorum exemplo velut in speculo, quid in moribus nobis sectandum fugiendumúe sit, contemplemur. Nec lectorem suum tantummodo meliorem, sed etiam doctiorem dimittere studet; & cum alios summi ordinis scriptores, tum Homerum se non oscitanter legisse ostendit. Multa nihilominus particulatim laudari in hac historia Mauriciana possunt: vt descriptiones montium, fluminum, castellorum, locorum, pugnarum, rituum; orationes partim sacræ, partim ciuiles, partim militares, sententiis ornatißimæ ac robustißimæ, & omnino eloquentißimæ: similitudines ad illustrandum accommodatæ: multa prudenter dicta: multa pia pie explicata. Si igitur historia quoquo modo scripta delectat, hæc historia scripta ad hunc modum, necesse est multò amplius delectet: in cuius contextu græco innumeris locis emendando, & interpungendo nos etiam atq; etiam, maioremq́ in modum laborasse credas velim.

Iam vero Photius, qui in iudicio de hac historia ferendo acutum se præbuit, in synopsibus, seu argumentis singulorum librorum conficiendis parum accuratè, fideliterq́ versatus est. Haud enim ipsemet ex lectione, & memoria illas composuit (quod multis iam persuasum opinor, qui Theophylactum nostrum nondum viderunt, & Photianam Bibliothecam euoluerunt) sed lemmata, seu summulas sectionum, ab aliquo lectore, aut librario inductarũ, & in vestibulo totius operis (vt mos est) simul ordinatim positas, vt inuenit, ita in octo fasciculos constrinxit, ac nihil pœne à se animaduersum interiiciens, alienum laborem pro suo nobis obtrusit, & fucum fecit. Cum autem lemmata illa nunc imperfecta sint: nunc minus quam pro re contineant: nunc plus contineant: nunc ab ordine rerum narratarum discrepent: nunc falsa sint; hæc omnia vitia in epitomis Photianis æquè reperiuntur. Quibus nos tollendis operam dantes, epitomas ad ipsam narrationis integritatem, seriem, veritatemq́ accommodauimus: quod facilè perspiciet, qui periochas istas, siue argumẽta, siue synopses (vt nobis placuit appellare) cum iis quæ apud Photium leguntur, conferre voluerit. Quamobrem etsi eius nomen in his omittere sine piaculo poteramus, ne tamen quispiam recognitionis, seu emendationis nostræ ignarus, aut nos tam

nobi-

nobilem scriptorem nondum vidisse admiraretur:
aut illi gloriam suam inuidisse opinaretur, synopsi-
bus singulis Photij Patriarchæ, immò Pseudopa-
triarchæ nomen præposuimus. In capita vnumquē-
que librum nos primùm, nostrum secuti iudicium
diuisimus, & suum cuiq; argumentum præscripsi-
mus.

De inscriptione huius historiæ.

Libros hosce οἰκουμενικὴν ἱστορίαν *non ab ipso hi-*
storico, sed ab aliquo ipsius studioso lectore, aut libra-
rio inscriptos existimo, quod obseruarim, vetustos
scriptores de titulis monumentorum suorum, siue de
inscriptionibus adeo parum fuisse sollicitos, vt eos sæ-
pe omiserint. In quo posteris errandi, ne dicam ine-
ptiendi data est occasio. Splendida sanè appellatio,
& quæ vniuersam quandam orbis, seu rerum per
orbem gestarum explanationem polliceri videatur:
cum tamen non nisi Mauricij res, neque illæ omnes
hoc volumine explicentur. Multa siquidem etiam
alibi, & in occidente, & in Italia præcipuè gessit.
Quid ergo? Arbitror inuentorem huius inscriptio-
nis ad ipsum Imperatorem, (qui tum nullo alio oc-
cidentis Imp. οἰκουμενικὸς *dici verè potuit) respexisse:*
vt non tam œcumenica, quam œcumenici historia
nominanda videatur. Nos, vt omnem ambigui-
tatē obscuritatemq; fugeremus, simpliciter, nec falsò,

&

& quod satis est, historiã Mauricij Imperatoris inscripsimus: non impedientes, si quis nihilominus οἰκουμενικὴν voluerit appellare.

Qui res Mauricij perscripserint.

Quanquam de hoc magno, & illustri Imp. complures scripserunt, duos tamen potissimum laudandos, cæterisq; sine vlla controuersia longissimè anteponendos video. Euagrium, omnium antiquissimum, & ipsius Mauricij æqualem, cuius extant libri historiæ ecclesiasticæ (qui cum non nisi ad duodecimum eius annum peruenerit, apparet ante illum vita excessisse: Mauricius quippe annis viginti imperio præfuit) & Theophylactum hunc nostrum, qui proximè secutus est Euagrium, scripsitq́; regnante Heraclio, Phocæ successore, & scripsit ex instituto libris 8. historiã Mauricij, accuratissimè & elaboratissimè, vt videbis. Ex quo tanquam flumine cæteri suos riuos deduxerunt: inprimis Theophanes, qui, quod Iustinus Trogo Pompeio, & Xiphilinus Dioni, hoc ipse Simocattæ fuit; compendium enim quoddam confecit, & id Anastasius Bibliothecarius interpretatus est pœne totum. Paulus Diaconus in Miscella, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus Callistus. Omnes isti suas narrationes hinc deriuarunt, secundum Theophanem Nicephorus potissimùm.

Verùm

Verùm nos dulcius ex ipso fonte bibamus. Multo enim apud nostrum omnia copiosius & diligentius (tametsi non sine digressionibus, sed vtilibus & iucundis) explicantur. Et gratia magna, Nobili ac Magnifico D Ioanni Georgio Hervvardo ab Hohenburg, Sereniss. Principis Bauariæ Consiliario intimo, & inclytorum statuũ Bauaricorum Cancellario; cuius cura & impulsu factũ est, vt edito Catalogo codices græci manuscripti bibliothecæ Bauaricæ cum doctis viris aliquando ad publicam vtilitatem communicaretur. In quibus hunc diutius iacere in tenebris non oportuit.

De omissis à Simocatta.

De cæteris à scriptore hoc in Mauricij rebus prætermissis, & quia perpaùca, & quia non magni momenti sunt, nihil dicam. Jlla, à reliquis omnibus posita, & narratione ac scitu dignissima, quare tacuerit (ignorare enim ea non potuit) coniectura indagemus licet. crudelitatem in captiuorum XII. millia, quos cum non ita grandi pecunia redimere potuisset, (non enim plus nummo aureo in caput constituebat Chaganus, immò dimidium) ex auaritia noluit: atq; ita vt omnes ad vnũ mactarẽtur in caussa fuit. Et displicuit hoc verbum coram domino. Quamobrem per quietem se ad Christum iudicem

 citari,

citari, & accusari à captiuis vidit. Interrogatusq́; hîc ne, an in futura vita pretium sibi pro scelere vellet reddi, hîc hîc, misericors Domine, respondit: Tum Iudex, tradite illum Phocæ cum vxore & liberis. Experrectus Philippicũ sororis maritum repentè accersiuit; & quoniam eum tyrannidis suspectum habebat, ideoq́; in carcerem coniecerat, in genua procidẽs veniam ab eo petiuit. Hæc à Theophane fusius exponuntur. Perstringit ea duntaxat Nicephorus lib.18.cap.38.

De libertate auctoris in appellationibus.

Monendus mihi es, bone lector, Theophylactum in Persis, & Perside nominandis esse copiosum & varium. Nominat enim illos etiam Babylônios, Parthos, Medos, Chaldæos, barbaros: hanc Medicam, & Babyloniam (quo vocabulo & Seleuciã, regiam sedem, aliquoties intelligit: nam & Babylonia dicta est) siue poëtas imitans, qui vicinorum nominibus in appellandis locis, & gentibus vtuntur: siue quia olim sub eadem monarchia omnes fuerunt: siue quia alij ex aliis descenderunt, & alij post alios rerum potiti sunt. Cui rei probandæ faciunt illa verba legati Chosroæ regis Persarum ad Mauricium Imp. lib.4. cap.13. ἦ οὐκ ἐκ βαβυλωνίων μῆδοι, ἐκ δὲ μήδων οἱ πέρσαι, μετὰ δὲ τούτους οἱ πάρθοι, ὥσπερ τινὶ ἀ-

κολουθίᾳ

κολουθία διαδοχῆς τῶν χαλδαίων εὐδαιμονίαν ἐκτήσαντο; Annon è Babyloniis, ſeu Aſſyriis Medi, ex Medis Perſæ, ex his Parthi, quaſi quadam conſequenti ſucceſſione Chaldæorum opes acquiſiuerunt? *Poëtas autem vti vicinorum nominibus in gentibus, & populis appellandis, atq; adeò in Perſis, de quibus agimus, teſtis locuples erit Horatius, apud quem etiam Medi, & Parthi, planè ſicut à noſtro Simocatta nominantur. Ab hiſtoricis Græcorum quoque bellum Græcis à Xerxe illatum, τὰ μηδικὰ ſæpe dicitur. Abares etiam modò Scythas, modo Hunnos, modò Turcas vocat. Nos Perſarum, & Perſidis nomina ad vitandam ἀμφιβολίαν & confuſionem lectorum, vbi ſenſus patitur, vbique retinemus. Interdum Romanos, (hoc eſt Græcos,) qui à temporibus vſq; Conſtantini M. propter imperij ſedem in Orientem translatam ita cœpti ſunt nominari, (vt Annotationibus in Cantacuzeni hiſtoriam docuimus) etiam latinos appellat.*

Cætera quæ te ſcire volo, in Notis exſpectato.

CAPITA TOTIVS HISTORIÆ PER LIBROS.

Libri Primi.

X. Mauri-

X. Mauricij, & Constantinæ Augustorum nuptiæ magnificentissimæ. Ciuitatis publica lætitia, gratulatioque.

XI. Incendium in foro sub initia imperij Mauritij. Miraculum de concha Glyceriæ martyris. Paulinus Præstigiator in crucem agitur: filio caput amputatur.

XII. Aphumi castellum à Persis, Acbas à Romanis oppugnatur, & à Persis superuenientibus liberatur. Ingens terræmotus imperio Mauricij adhuc recenti, eiusdemque consulatus, & in populum liberalitas. Ioannis ducis exauctoratio.

XIII. Philippicus Imp. Sororius, Prætor orientis decernitur. Eius expeditiones. E Perside redeuntes Romani, via aberrant, & extrema siti cruciantur. Captiuos vtriusque sexus interficiunt. Pueri seruati, moriuntur siti.

XIV. Philippicus Arzanenam regionem suis diripiendam permittit. Ab imitatione Scipionis Romani commendatur. Ægrotat. Cardariganus Monocartum frustra inuadit: latrociniis & incendiis grassatur. Philippicus Byzantium redit: inde rursum veris initio discedit.

XV. Persarum ad Romanos de bello finiendo legati. Mebodi Legati oratio. Locus communis contra bellum. Romanorum recusatio, & ad confligendum cum Persis promptissima voluntas.

Libri Secundi.

I. Izalæ montis descriptio; & cur dux Romanus eò se transtulerit.

II. Cardarigani fastus. Magos consulit: victoria promittitur: in Romanos itur. Romani hostes explorant.

III. Acierum vtrinque dispositio. Philippicus sacram Saluatoris effigiem circumferens, animorum incredibile robur militibus addit, cohortationem adiungit. Pro victoria Deo cum lachrymis supplicatur, Rogatur dux vti secedat. De incertis belli locus communis. Locus pugnę, & illi vicina patria virorum illustrium.

IV. Romani victores spolia legunt inuito duce. Eius strate-

uestigatur. Castus fortuna prospera elatus, Comentiolum deserit: in calamitatem incidit.

XII. Agmen Casti, timore perculsum dissipatur. Capti de Romanis atrocissimè pulsantur. Castus, & cũ eo multi in potestatem veniunt. Abares in Thraciam vastabundi sese infundunt. Ansimuthus peditatus Thracij Præfectus capitur. Consultatio Comentioli cum primoribus, & ad constanter dimicandum cohortatio.

XIII. Chiliarchi oratio de hostibus non inuadendis: à paucitate militũ, ab accepta recens calamitate. Huic suasori senex miles aduersatur constãtissimè, & lacrymans audientiã rogat.

XIV. Oratio senis, qua sententia Chiliarchi vt timida & ignaua refellitur, & Abares armis appetẽdos consulitur: ipsius hostis, Romanorumq; veterum exempla assumuntur, & sententiosa cohortatio adiungitur.

XV. Persuadet senex: arma capiuntur: in hostem gradiuntur. Ex falso terrore clamor totum exercitum disturbat. Fugit etiam Chaganus. Abarum complures obtruncantur. Chaganus Apperiam castellum adoritur.

XVI. Busa miles fortissimus, venationi intentus capitur, & à suis nec precibus nec lachrymis lytrum impetrat. Docet Abaros fabricare machinam expugnatoriam: cuius adactu prostratis mœnibus, oppido potiũtur. Beroen irrito conatu Chaganus oppugnat, incolis strenuè resistẽtibus: qui tandem non grandi pecunia obsidionem redimunt.

XVII. Chaganus à Diocletianopoli, Philippopoli, & Adrianopoli repellitur. Imperatori à plebeiis quibusdã propter Castum & Ansimuthum à barbaris captos maledicitur. Ioannes Mystaco Adrianopolim missus, hostes per hypostrategũ vincit. Palabundi fugiunt. Moderatio ducis in victoria.

XVIII. Heraclius Castrum Persicum oppugnat acerrimè. Incolarum in sese defendendis industria. Ipsum, & Mazarorum præterea occupãtur. Theodorus ab agricolis ad Beiudaës oppidulum inuitatur. Infestissimè oppugnatum, Saperij militis singulari, eximiaque virtute capitur.

Libri

Libri Tertij.

pensitant. Præda Suaniæ Babylonem mittitur. Dux, Romanus nomine, à Mauricio in Colchidem missus.

VII. Romanus reditũ molitur: milites placat: hostium consilia indagat. Romani exploratores dolo deluduntur, & torquentur. Varamus prouinciam Romanorum depopulatur; abeuntes sequitur. Phalanx eius in fuga cæditur. Conflictu totis copiis inito, Persæ superati, fuga vniuersi salutem petere contendunt. Romani insequuntur.

VIII. Hormisdas Varamũ bifariam dedecorat, à quo contra contemnitur. Armenij Prætore suo iugulato, rebus nouis abutuntur operã. Comenciolus turbas componit. Defectionis inuentorem clementia Imp. conseruat. Ad Persicas Tragœdias παρεισκδή. Sarames ad capiendum, vinciendumque Varamum missus, ab eodem elephanto obiicitur.

IX. Ad tempora Iustini iunioris, & Tiberij, propter originem belli Persici declarandam digressio. Belli execratio. Iustinus fœdera transgreditur. Romani in Persas, Persæ in Romanos belli caussam coniiciunt. Mendacium Persarum.

X. Marcianus Patricius in orientem dux mittitur. Tribus millibus Arzanenam deprædatur. Prope Sargathum Persæ cæduntur. Thebothum castellum inaniter oppugnatur. Chosroę senioris in Romanos expeditio. Adormaanes Romanorum loca populationibus miscet; suburbana Antiochiæ ædificia demolitur: Apameam incendio fœdat.

XI. Marcianus gradu mouetur: Dara à Persis capitur. Induciæ. Tiberius à Iustino collega ascisscitur. Eiusdem Iustini ad eundem de imperio legitimè administrando sapiens, & pia parænesis.

XII. Gratulatio populi de Tiberio in collegam ascito. Eius de pace legatio, & liberalitas. Iustiniani ducis laus. Pecunię bene collocatæ fructus. Inter Romanos, & Persas fœdus. Romanorum propter Chosroæ præsentiam trepidatio.

XIII. Ducis Romani excellentissima concio, qua suis acriter, & cum mortis contemptu confligendi ardorem conatur immittere. Fiduciam vincendi ex hostium, & sacrorum Persi-

Libri Quarti.

II. Varamus per hyemem castella oppugnat. Zadespras peculator carcere solutus, ad hostes transfugit. Pherochanes regis dux Varamo cum precibus dona incassum offert. Varami inuentum, quo copias aduersarias ad se traducit, dum Hormisdam in summum apud eas odium inducit.

III. Pherochanes à suis occiditur: eius tentorium diripitur. E militum reliquiis Hormisdas custodes sibi facit. Ciuium per vrbes regias super gestis admiratio. Bindoëm, virum illustrem frater è carcere eripit. Hormisdas in regia inuaditur. Eius ornamenta sumptuosissima. Bindois in illum maledicta. De throno abstractus, in vincula datur. Chosroës filius periculi metu fugit: accepta fide in regnum redit. Hormisdas ad principes Persarum de repub. dicendi facultatem exorat.

IV. Concio Hormisdæ. De iniuria sibi facta expostulat. Conditionem pristinam cum præsenti, illius delicias cum huius miseriis, & squalore comparat. Ingratos, & impios in se, illorum animos increpat. A tyrannis cauendũ monet. Chosroën propter mores sceleratissimos regno excludendum, fratrem creandum statuit. Acta sua commendat.

V. Bindoës orationem Hormisdæ irridet, & in eum, vt multimodis sceleratum, dirius inuehitur. Refutat etiam ex quibus sese commendauerat. Tandem capite puniendum pronuntiat.

VI. Conuentus ira percitus in Hormisdam, ante oculos eius filium necat: reginam vxorem in frusta dissecat: ipsum pupillis adustis cæcitate multat. Per digressionem res Cabadæ interseruntur: quemadmodum scilicet erepto sibi regno in carcerem missus, inde vxoris beneficio euaserit, regnumque recuperauerit.

VII. Chosroës in solio cum acclamationibus locatur. Eius in patre captiuo alendo liberalitas: qui tamẽ omnia, addita verborum asperitate reiicit. Iussu filij vsque ad necem fustibus contunditur. Hypocrisis Chosroæ. Varamum donis & pollicitationibus frustra tentat; à quo per epistolam cum fastu scriptam de seditiosis in carcerem reuocandis monetur.

ſimis irritati, necem ſtruunt, & in palatium irruentes, cœpto fruſtrantur, miſereque occiduntur.

XV. Bindoes euadit: copias Andrabigano educit: Myſtaconem de ſtatu Choſroæ docet, quem armis iuuandum Imperator Myſtaconi commendat. Varami caſus cum lætitia narrantur, & audiuntur. Bindoës regiam pecuniam in militem erogat. Niſibim obſidentes ad Choſroæ partes accedunt. Arabia, & vrbes vſque ad Tigrim Choſroæ traduntur. Martyropolis Romanis opera Domitiani Epiſcopi deditur. Choſroes vt ingratus caſtigatur. Sittas proditor ignibus crematur. Perfidi Romani puniuntur, Domitianus feſtum diem indicit, concionem gratulatoriam habet.

XVI. Feſtiuiſſima Domitiani concio ob receptam Martyropolim, qua populus ad lætitiam inuitatur; clementia Imp. eximiè commendatur: exemplum humanitatis Ieſu Chriſti Seruatoris noſtri inducitur; Perſiſq; hoſtibus inſultatur. Applauſus populi, & præ gaudio lacrymæ erumpentes.

Libri Quinti.

I. Varamus re cum ſuis deliberata, copias aduerſus Choſroen in diuerſa loca deſtinat. Niſibi conuitiis inceſſitur. Zadeſpratæ nuntij peſſimè ibidem accepti, ad Choſroen tranſmittuntur, qui in aduerſa fortuna Sergij martyris opem, cum promiſſione crucis aureæ, lapillis diſtinctæ implorat. Zadeſpraten Roſas à Salchone impulſus, ſtrategemate quodam interficit.

II. Zadeſpratæ caput, & ſpolia ad Choſroen portantur. Anathonum miſſi ducem occidunt; caput eiuſdem Choſroæ tranſmittunt; qui religionem Chriſtianam prædicans, Mauricioque de ſecundis rebus ſuis ſignificans, auxilium, & pecuniam mutuam petit. Comentiolus rogatu Choſroæ abdicatur, cui Narſes ipſius ſtipator ſubſtituitur.

III. Narſes cum Romano milite, & Choſroe Perſidem ingreditur: Choſroes rex acclamatur: à Darenis honorificè excipitur. Domitiani Antiſtitis ob ingreſſum illius in templum

vnum

vnum coniunguntur. Chosroes, & Varamus, quantum exercitibus valuerint. Varami insidiæ patent. Barbarorum clamores & tumultus; Romanorum quies. Ad prælium acies dispositæ Barbari in montem confugiunt. Persarum temeritas.

X. Varami fuga ad loca varia, quem Romani persequuntur. Certamen in campo paratur. Tessera Romanorum AVE MARIA: Pugna describitur. Sex millia Persarum fugientium. In captos Chosroæ sæuitia. Turcæ donantur Mauricio. In frontibus eorum vnde crucis signum.

XI. Tabernaculum Varami diripitur. Barbari ex elephantis tela spargentes, Romanis succumbunt. Bestiæ Chosroæ donantur. Spolia leguntur. Disceditur. Chosroæ ob partam victoriam lætitia. Romanos parum gratus domum remittit: ab iis de officio admonetur. Mille custodes corporis Mauricium rogat.

XII. De sancta fœmina Golinducha apud Hierapolim. Genus, connubium, ecstasis. Quid à marito propter Christianismum perpessa sit. Altera eiusdem diuinitus illustratio, & de morte mariti vaticinium. Nisibim migrat. A sacerdotibus Christianis mysteriis imbuitur. A magis quæritur: in carcerem diuturnum traditur, inde per angelum liberatur. Hierosolymis sancta adorat: Chosroæ futura prædicit: Hierapoli vita innocentissimè exacta, in cœlum abit.

XIII. Chosroes Sergio martyri crucem auream, & gemmatam dono fert. Epistola eiusdem de voto suo. Posthabita lege Persica, Siram fœminam Christianam ducit, reginamque renuntiat.

XIV. Chosroes prolem à Sergio martyre contendit. Cum donis epistolam mittit, qua se voti compotem euasisse narrat, cum singulari erga Sanctum reuerentia, & Christianè prorsus.

XV. Tyrannidis Varamo conscij, morte plectuntur: Bindoës in Tigridem proiicitur. Fœdus & pax inter Persas & Romanos ex æquo seruatur. Vaticinia Chosroæ de Romanorum;

Libri Sexti.

git,& ad claustrum præoccupandum mittit. Saluianus conspectu barbarorum maiore multitudine occurrentium perterritus refugit. Conflictu ad castellum Romani hostem superant: superueniente Chagano fugiunt.

V. Iter Chagani: Alexandri martyris templum incendit: à Romanis speculatoribus nec flagris extorquere veritatem potest: Drizipera adoritur: inde diuino quodam viso exterritus abit. Priscus è conflictu ad Heracleam inito, Didymotichum fugit: Zuruli à Chagano obsidetur. Fictis à Mauricio ad Priscũ litteris in terrorem datus, parua accepta mercede recedit.

VI. Priscus missione data militi Byzantium reuertitur. Ad Istrum Sclauos transitu prohibiturus mittitur. Eius iter. Chaganus de pace rupta conqueritur: Se enim bello peti suspicabatur. Priscus licẽtiæ oratoris in Imperatore vt fœdifrago insectando, ac proscindendo ignoscit: aduersum Sclauos arma illa suscepta esse testificatur.

VII. Priscus superato flumine Ardagastum prædonem noctu inuadit. Fugit Ardagastus, pugnat, rursum fugit, fluuium tranat. Sclaui populatores iugulantur: capti Byzantium mittuntur. Priscus noua prædarum partitione milites in se irritat: factum callidè tuetur. Eius oratio, qua de tumultu propter prædam excitato exercitum obiurgat.

VIII. Exercitus duci mirabiliter reconciliatur. Locus communis de potestate, & efficientia linguæ. Prædæ Byzantium abducendæ Tatimer præficitur. Quid eo factum, & quomodo à Sclauis obuiis præda seruata sit. Ob eam ablatam Imperat. in templo Deo gratias agit: supplicationem decernit. Alexandri Centurionis Romani aduersum Sclauos in extremo huius, & sequenti capite viriliter administrata.

IX. Gepida hostium mysteria enuntiat, regemque subita irruptione capiendum suadet. Barbari captiui, iussu Prisci mactantur. Gepida ad regem deludendum operam spondet: donis & promissis à Prisco honoratur. Qua ratione rex bar-

Libri Septimi.

nem imperat. Eius è loco in locum profectio. A Nobensibus exoratur, vti cum ipsis solemne S. Lupi Martyris agat. Theodoropolim postmodum abit.

III. Ab Asimitis tum ciuibus, tum præsidiariis honestissimè Petrus excipitur. Eximiorum militum aspectu delectatus, ab oppidanis eos impetrare frustra laborat. Sæua lis, cum sacrorum etiam locorum, & Episcopi contemptu enascitur. Denique desiderio frustratus, & probris oneratus, vrbem deserit.

IV. Mille exploratores à Petro missi, in mille Bulgaros incidunt, quos telis appetunt. Barbari pacem incassum petunt. Romani è prælio fugiunt. Quamobrem barbari fugientes non sint persecuti. De violato fœdere Chaganus querimoniam habet, & muneribus placatur. Hostium consilia Petrus explorat: exploratores capiuntur: modus explicatur.

V. Romani è flumine exeuntes, à barbaris obtruncantur: cæteri ex ipso flumine cum iisdem depugnant. Piragastus occumbit. Barbari cæduntur, fuganturque. Romanorum ex aquæ penuria calamitas. Indicio barbari cuiusdam fluuio reperto, vires instaurant: ab aduersa ripa hostium iaculis conficiuntur, & è flumine egressi, ab iisdemq; deuicti fugiunt. Priscus Petro succedit.

VI. Elogium Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani: à voluptatum contemptu: à domitis animi perturbationibus: à ieiuniis: à misericordia in egentes; à studio paupertatis. Eius lecto ligneo, stragulo, penulæ quantum honorem pius Imperator habuerit. Maurorum in Africa rebellio. Carthaginensium metus. Gennadij aduersum barbaros victoria. Ostentum cometæ, & de cometis eruditorum sententiæ.

VII. Priscus exercitum diminutum offendens, à Petri accusatione suorum consiliis auocatur. Vt Istrum transiit. Chaganus eum super aduentu interrogat. Inter ambos de finibus litigium. De Scythis Caucaseis, & Borealibus digres-

 sio:

XIII. Cha-

XIII. Chaganus Tomeam obsidet, cui Priscus succurrit. In castris hyberna aguntur vtrinque. Chagani singularis, & insperata in commeatu Romanis ad dies sacros sufficiendo liberalitas. Petenti Priscus vicissim donat aromata. Sub iisdem tentoriis pacificè degunt ambo exercitus. Festis transactis separantur. Comentiolus Chaganum contra se venientem timens, retrocedit. Milites ad Iatrum vrbem, velut proditi, probris eum conscindunt.

XIV. Romani diligentius sese ebarmant. Comentiolus de permutatis ordinibus reprehenditur. Eius astus. Romanorum fuga. Barbari claustra transitu prohibendo circumsident: à Romanis repelluntur. Comentiolus vt ignauus fugitor Driziperis ingressu contumeliosè arcetur. Eam vrbem barbari occupant. In templum Alexandri Martyris, eiusque cineres eorum impietas.

XV. Supplicium barbaris propter Alexandrum martyrem diuinitus irrogatum sæua pestilentia. Chagani item filij 7. vno die moriuntur: cui calamitoso historicus insultat. Comentioli in vrbem Constantinopolim reditu, formido immodica malorum ciues incessit. Imper. copias ad longum murum defendendum mittit. Suadente senatu, legatio ad Chaganum placandum instituitur. Eius luctus acerbissimus. Romanorum de pace turbata reprehensio. Conditiones in quas facta pax.

XVI. Duo portenta, vnum virili, alterum muliebri specie in Nilo conspecta. Vtrumq; accuratè describitur, & prius à Præfecto adiuratur. Reprehensa obiter curiositate Herodoti, & mentione facta aliorum, qui de Nili portentis scripserunt, de eius incremento scripturum pollicetur.

XVII. Nilus fluuiorum maximus, incertis oritur fontibus. Media æstate ascendit. Huius rei caussæ ex variis auctoribus: quorum omnium sententiis improbatis, vnum Anarchidem Gnidium historicus sequitur.

Libri Octaui.

verba commutat & litigat. Magnitudine frigorum, Romani multi, & iumenta eo itinere pereunt. Philippopoli hyemat. Petrus iterum dux declaratur. Theodosius Mauricij filius Germani filiam ducit. Tumultus in Imper. ob caritatem rei frumentariæ. Maledicta in eundem, & lapidatio. Clauis audaces deterrentur. Theodosium generum Germanus chlamyde sua tegit.

V. De templo Virginis Mariæ in Blachernis. Auctores seditionis exilio damnati, altero die reuocantur. Petrus ad Istrum ducens, Plastoli æstatem habet: deinde in angulum Dardaniæ secedit. Cum Apsycho hypostratego barbarorum colloquitur. Vtræque copiæ recedunt. Chagani astus. Imperator Petro trans Istrum profectionem mandat. Petrus à Bonoso illustri satellite Imp. nauiculas flumini traiiciendo petit, & Gundoim militibus præficit. Is multos hostium perimit, Romanosque in prouinciam redire non patitur. Artos Romanorum socios Chaganus delere cogitat.

VI. A Chagano quidam deficiunt; ad quos reducendos varios ille modos inuestigat. Quare Romani vltra Istrum hybernare noluerint. Seditio. Fluuium transmeant, & irascuntur grauissimè. Irascitur vicissim Petrus. Eidem per quietem oblata epistola. Castra mouent Romani. Tumultus militaris. Legati militum ad Petrum, de reditu: cui molestus est Imrator.

VII. Petrus Gundui de mandati seueritate ex auaritia profecta flens conqueritur. Duces conuocat, literas exhibet. Miles transire Istrum abnuit. Furor militum, fuga ducum. Phocas Imperator renuntiatur. Petrus fugit: Mauricio rem significat. Mauricius nuntium examinat: quid agat nescit: dolore dissimulato, ludos equestres celebrare pergit. Populum bonum habere animum iubet. Venetorum acclamationes. Tribuni numerum vtriusq; factionis profitentur. Earum factionum vituperatio.

VIII. Legatio Mauricij ad Phocam irrita. Mœnibus Theodosianis custodes apponit. Exercitus ad Theodosium Mauricij fi-

monodia historici. Capita ad Phocam perferuntur, & in campo militibus spectanda proponuntur. Quibus suppliciis interfectores, & exercitus rebellis, cædiumque suffragator diuinitus interierint. Sub Heraclio duo tantum reliqui. Imperium Romanum in diuturnis post necem Mauricij ærumnis volutatum.

XIII. Phocas Petrum Mauricij fratrem, Comentiolum, & alios interimit. Theodosius, & Lardys ab Alexandro, tyranni iussu trucidantur. Narratio falsa de Theodosio, quo pacto creditus sit necem effugisse, & diuersa loca peragrasse. Statuæ Alexandriç Mauricij cędem nuntiarunt. Die nono super eadem nuntius in vrbem allatus. Egregia quædam Mauricij præconia.

XIV. De corpore S. Euphemiæ martyris Chalcedone miraculum; sudor videlicet sanguineus in die anniuersario eius martyrij; qui spongiis collectus in vasculis populo dispertitur. Quo pacto Mauricius incredulus, fidem cum multis lachrymis habuerit, & summa in posterum veneratione martyrem prosecutus sit.

XV. Constantinam Imperatricem cum tribus filiabus in priuatas ædes contrudit Phocas: Chosroën de sua creatione, additis muneribus certiorem facit. Apud Daram Legatus Lilius à Germano præsidij Præfecto splendidè excipitur, & quid ibi contigerit. Chosroës Mauricij vlciscendi, bellum Romanis infert. Lilius in Perside retentus, parum beneuolè tractatur. Rumor de Theodosio adhuc viuo tyrannum terret: vnde Alexandrum, vt imperata non exsecutum, sua manu obtruncat.

DIALOGVS AVCTORIS.

Argumentum.

Hoc non mediocriter festiuo, & erudito sanè dialogo, Simocatta noster in Phocam, vt importunißimum tyrannum inuehitur: quo imperante (imperauit autem annis octo) res Mauricij nemo ausus est literarum memoriæ commendare: ac proinde eius Imperatoris historia ignota posteris, ac velut mortua iacuit. Iacuerunt itē bonæ disciplinæ, quæ sub Heraclio demū, Phocæ successore, iterum se palamq́ ostenderunt. Mirificè laudatur Sergius Patriarcha illius temporis, studiis liberalibus, ipsiq́ historico amicißimus: cuius auctoritate ac voluntate permotus, ad hanc historiam conscribendam videtur accesßisse. Fingit, vt mos est dialogorum, Historiam ipsam res gestas Mauricij enarraturam, cum philosophia sub platano considere. Plerumque enim in dialogis colloquentes, aut disputantes, sessum se recipere, & suas partes sedendo, idq́ in locis amœnioribus nonnunquam, agere introducuntur: vt inprimis apud Platonem, & eius imitatorem studiosißimum M. Tullium videre est.

PHILOSOPHIA, HISTORIA.

ΦΙΛΟ. Τί τοῦτο θύγατερ; ἄγε δή μοι τὸ διαπόρημα τοῦτο γλιχομένη μαθεῖν διάλυσαι, οἷα μίτῳ τινὶ τῇ σαφηνείᾳ τὸν μυθικὸν περαιουμένη λαβύρινθον· δυσέμβατα γάρ μοι, καὶ δυσάγωγα τὰ τῆς θεωρίας προαύλια. ΙΣΤΟΡ. ὦ Φιλοσοφία πάντων βασίλεια, εἴγε συμπρέπει ἐμοῦ τε πυθέσθαι, αὐτὴν δὲ διδάσκεσθαι, ἀποκρινοῦμαι ὡς ἔχω συνέσεως. μηδὲν

PH. Quid hoc filia? age, mihi discere cupienti hanc dubitationem exime, tanquā filo quodā dilucida explanatione per labyrinthū non fabulosum me dirigens. Sunt enim huius spectaculi vestibula ac proœmia mihi pœnè inaccessa, parumq; me pelliciunt. HIST. Hem Philosophia, omnium artium regina: si modò & me interrogari, & te doceri de-

cet

γὰρ ἄγνωστον ἔχοιμι καλὸν, ὡς ἐμοίγε καὶ τῷ κυρηναίῳ δοκεῖ. Φ. ἡδέως ἐροίμην ἐγὼ, ὅπη τε καὶ ὅπως χθὲς καὶ τρίτην ἀνεβίως, ὦ θύγατερ. ἐπέχει δὲ τοῦ λόγου πάλιν ἡμᾶς, καὶ οἷα χαλινῷ τινι πρὸς σιωπὴν ἀνακρούεται τὸ τῆς ἀπιστίας ἐπαγωγότατον, μή πού γε φαντασία τις τερατισμάτων ἡμᾶς φενακίζηται. πολλοῦ γὰρ τοῦ χρόνου ἐτεθνήκεις, ὦ παῖ, ἐξ ὅτου εἰσήρρηξε τῇ βασιλίδι αὐλῇ ὁ καλυδώνιος τύραννος, σιδήρῳ περίφρακτος, μιξοβάρβαρος ἄνθρωπος, τὸ κυκλώπειον γένος. ὁ τῆς σώφρονος ἁλουργίδος ἀσελγέστατος κένταυρος. ᾧ βασιλείας οἰνοφλυγίας ἀγώνισμα. τὸ γὰρ ἕτερον σιωπήσομαι, αἰδοῖ τῆς ἐμῆς εὐκοσμίας, τῆς τε τῶν ἀκουόντων σεμνότητος. κἀγὼ δὴ τότε τῆς βασιλέως στοᾶς ἐξωστρακίσθην, ὦ θύγατερ, καὶ τῆς ἀττικῆς ἐπιβαίνειν οὐκ ἦν, ὁπότε τὸν ἐμὸν βασιλέα σωκράτην ὁ θρᾷξ ἐκεῖνος διώλεσεν ἄνυτος. χρόνῳ δ' ὕστερον ἡρακλεῖδαι διέσωσαν, καὶ τὴν πολιτείαν ἀπέδοσαν. τότε ἄγος τῶν ἀνακτόρων ἀπεδιοπομπήσαντο. ναὶ δῆτα καὶ πρὸς τὰ βασιλέων τεμένη εἰσῴκησαν, καὶ περιλαλῶ τὰ βασίλεια, καὶ ταῦτα δὴ τὰ ἀρχαῖα καὶ ἀττικὰ μουσουργῶ κελαδήματα. ἐμοὶ μὲν δὴ ταῦτα οὕτως ἔχει καλῶς. σοὶ δ', ὦ θύγατερ, τίς, καὶ ὅπως σωτὴρ γέγονεν. Ι. μῶν οὐκ οἶσθα, βασίλεια, τὸν μέγαν τῆς ἁπανταχόθεν οἰκουμέ-

cet, pro intelligẽtia respondebo: nihil quippe incognitum ducendum est pulchrum, mea quidem, & Cyrenæi sententia. P. Libenter interrogarem ego, vbi, & quomodo nuperrimè reuixeris, filia. Sed reprimit me, & quasi quodã frœno ad silẽtium inhibet, ac retroagit, quæ me totum occupauit incredulitas: ne forte prodigiosa species aliqua nobis illudat. Iam pridem enim mortua es, filia, ex quo videlicet in aulam imperatoriã irruit tyrannus Calydonius, ferro cõmunitus, homo semibarbarus, de Cyclopum genere, in modesta purpura centaurus petulantissimus, qui de regno ebrietatis certat: aliud enim fœdius tacebo, tum modestiæ meæ, tum grauitatis audientium rationem habens. Ego quoque tunc è porticu imperatoria in exilium missa sum, filia, & in Atticam ingredi nõ licuit, quando regem meum Socratem Thracius ille Anytus perdidit. Tẽpore intercedente, Heraclidæ me seruarunt, ditionemq; mihi meam restituerunt: & palatij scelus procul remouerunt. Sanè, tandem & in templa Imperatorum me receperunt, & vocibus meis regia personat, eademque, vetera nimirum & Attica, modulor cantica. Meæ igitur res sic bene habent. Tibi primò, gnata, quis, & quomodo salutem attulit? H. An tu, regina, non nosti totius orbis

νης ἀρχιερέα καὶ πρόεδρον; Φ. πάνυ μὲν οὖν, ὦ θύγατερ φίλος ἐμὸς οὗτος παλαιότατος, καὶ θησαυρὸς οἰκειότατος. Ι. ἔχεις οὖν οὖν, ὦ βασίλεια, τὸ ζητούμενον αὐτοσχέδιον. ἕρμαιον ἐκεῖνος ἀνεψύχωσεν, ὥσπερ ἐκ τάφου τινὸς τῆς ἀλογίας ἀναλαβόμενος, οἵαπερ ἄλκηστίν τινα, ἀλεξικάκου τινὸς ἡρακλέους ἀνασπασάμενος ῥώμῃ. εἰσεποιήσατο δὲ μεγαλοφρόνως, περιέβαλέ τε ἐσθῆτα φαιδρὰν, καὶ χρυσέῳ κατεκόσμησεν ὅρμῳ. τόνδε κρώβυλον τουτονὶ, τέττιξ δ᾽ ὁ ἄρα αὐτῷ χρύσεός ἐστιν ἐφεζόμενος, ὁ θεσπέσιος οὑτοσὶ κατηγλάισε, τῷ τε παρόντι συλλογισμῷ, ἐλάμπρυνε. βῆμά τε προτέθεικεν εὐμενῶς ἱδρυμένον, καὶ παρρησίαν ἀκίνδυνον. Φ. ἄγαμαι, θύγατερ τῆς μεγαλονοίας τοῦ ἱεροφάντου ἐγὼ, ὁπόσης κατορθωμάτων ἀναβάσεως ἐπιβέβηκε, τὴν ὑψηλὴν τῆς θεολογίας ἀκρώρειαν περικαθήμενος· ἐπί τε τὸν κολοφῶνα τῶν ἀρετῶν τὴν ἀποικίαν ποιούμενος, καὶ τῶν ὑπὸ σελήνην πλεονεκτημάτων αὐτέχεται, καὶ βίος αὐτῷ οἱ πανάριστοι λόγοι· οὐκ ἐθέλει γὰρ οὔτε τὸν περίγειον κόσμον μένειν ἀκόσμητον. οὕτως ὀναίμην τῶν ἐμῶν ἐραστῶν. ἡ σώματος ἐκτὸς φιλοσοφεῖ ἐπὶ γῆς. ἡ θεωρία

Præſulem & Antiſtitem?

[*Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ſuperbia, qui in eam vrbem ſede imperij vniuerſalis & œcumenici translata, ſe quoq; œcumenicos dici & haberi arrogantiſsimè concupierunt. Eorum dux fuit Ioannes, in quem acerrimè inuebitur S. Gregorius epiſt. 76. 77. 78. lib. 4. Et rurſum epiſt. 69. lib. 7. Vixit autem Ioannes ille Mauricio Imper. quo & Gregorius.*]

P. Equidem noui: eſt enim amicus meus peruetus, & theſaurus familiariſsimus. H. Habes igitur, regina, ad id quod quæſiuiſti reſponſum ex tempore. Rem exoptabilem ille in vitam reduxit, meque tanquam è ſepulchro aliquo taciturnitatis recuperauit; & vt Alceſtin aliquam viribus alicuius Herculis malorum depulſoris reſuſcitauit. Adoptauit autem me excelſo animo; ſplendida veſte operuit: & monili decorauit aureo: & hunc crobylum, ſiue plexum capillorum in vertice, cicada ex auro inſidente, diuinus hic vir exornauit, & qua vides ratione illuſtrauit; ſtabilemque mihi ſedem beneuolè propoſuit; & libertatem omni periculo vacantem conceſsit. P. Miror Antiſtitis ingētem animum, quo tam altè in recte factis aſcēdit, & in ſummo faſtigio diuinæ ſcientiæ ſeſe collocauit: & vſq; ad apicem virtutum progreſſus eſt: omneſq; ſub ſole prærogatiuas conſectatur. Cui vita eſt, omnimodis optimæ, & cultiſsimæ artes. Nec enim vel terrenum ornatum inornatum manere vult. Ita fruar meis amatoribus. Quæ corpus nō habet, in terris philoſophatur, & com-

σωμα-

σωματωθεῖσα, μετὰ τῶν ἀνθρώπων ὡς ἄνθρωπος ἀναστρέφεται. Ι. κάλλιστά γε βασίλεια τῶν ἐγκωμίων τὸν στέφανον ἔπλεξας. ἀλλ' εἴ σοι δοκεῖ, περὶ ταυτηνὶ τὴν πλάτανον καθίσωμεν μικρόν. ἀμφιλαφὲς γὰρ τὸ δένδρον· τοῦτο ἄγαν τὸ ὕψος, καὶ τὸ σύσκιον πάγκαλον. Φ. περάγε δή· σὺ, ὦ παῖ, καὶ βαλβῖδα τινὰ τῆς διηγήσεως τοῖς φιλακροάμασιν ὥσπερ ἐντίθει προοίμιον. ἐγὼ δέ σοι ἐπιστήσω τὸν νοῦν, οἷά τις Ἰθακήσιος, μὴ διαβύσασα τὰ ὦτα· καὶ σειρηναίων ἀφηγημάτων ἀκούσομαι. Ι. τοιγαροῦν πειθαρχήσω, βασίλεια, τήν τε τῆς ἱστορίας λύραν τινάξομαι. ἔσο δέ μοι πλῆκτρον αὐτὴ μουσικώτατον, ὠκεανὸς γὰρ ἐπιστήμης ἔφυς, καὶ λόγων τις. ἐν σοί τε πᾶσα χάρις. ἅτε νῆσος, τὴν πέρι πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωται.

mentatio corporata cum hominibus vt homo versatur. H. Pulcherrimè tu encomiorum coronam contexuisti. Sed, si placet, ad platanum istam paulùm consideamus: est enim excelsa, & ad locum opacandum patulis diffusa ramis bellissimè. P. I præ igitur, filia, & proœmium ceu carceres quosdam narrationi ad audiendum iucundæ prætexe. Ego tibi animum adhibebo: non (velut Ithacensis Vlysses) obturatis auribus, Sirenicasq; narrationes auscultabo. H. Obtemperabo, regina, historięq; lyram pulsabo. Esto tu mihi plectrum maximè musicum: es enim scientiæ & eloquentiæ Oceanus. In te omnis gratia, qua ἅτε νῆσος τὴν πέρι πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωται, *velut in insula, quam immensus*, (vt est apud poëtam) *pontus circumdat.*

PROOEMIVM EIVSDEM,

De excellentia, & vtilitate historiæ.

Δεῖ μὴ μόνον τοῖς ἐκ φύσεως ἀγαθοῖς, ἀλλὰ καὶ οἰκείοις εὑρήμασι κατακοσμεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον. ἔνεστι γὰρ λόγος αὐτῷ χρῆμά τι θεῖον καὶ ἀξιάγαστον. τούτῳ καὶ θεὸν αἰδεῖσθαι, καὶ σέβειν μεμάθηκε, καὶ τὰ τῆς οἰκείας ἐνοπτρίζεσθαι φύσεως, καὶ τῆς ἑαυτοῦ διαπλάσεως τὴν σύνταξιν οὐκ ἧ-

NON ex bonis tantummodo natura insitis, verùm etiam ex inuentis ab se, excogitatisque rebus cohonestari, & exornari hominem cōsentaneum est. Possidet namq; rationem, diuinum quiddā & admirabile, cuius beneficio Deum venerari, ei vota & preces adhibere, cōditionem suam perinde vt in speculo intueri, quemadmodumq; fictus atque

γνόησε. τοιγάρτοι λόγῳ καὶ πρὸς ἑαυτοὺς συννεύουσιν ἄνθρωποι, καὶ ἐκ τῆς ἔξω περιοπῆς ἐπ' αὐτὸν τὸν νοῦν εἰσκυκλήσαντες, τά τε περὶ τῆς σφῶν αὐτῶν δημιουργίας ἀνελίττουσιν ὄργια. πολλὰ μὲν οὖν οὗτος ἀγαθὰ τοῖς ἀνθρώποις δεδώρηται, ὃ συνέριθός ἐστι τῆς φύσεως ἄριστος· ἃ γὰρ ἐκείνη διέλειπε, λόγος τετελεσιούργηκε βέλτιστα. ἃ μὲν εἰς θέαν ἐγκαλλωπίσας, ἃ δ' ἐς γεῦσιν ἡδύνας. ἔνια πρὸς ἁφὴν πυκνώσας ἢ μαλακίσας, ἄλλα πρὸς ἀκοὴν μουσουργήσας, τῇ τῆς ἀπηχήσεως ἴυγγι, καταχηλῶν τὴν ψυχὴν, καὶ πρὸς τὰ ἀκούσματα μεθελκόμενος. ἢ οὐχὶ καὶ τεχνῶν οὗτος σοφιστὴς πιθανώτατος; ἐξ ἐρίου μὲν εὐήτριον ἱστουργήσας χιτώνιον, ἐκ δὲ ξύλων γεωργοῖς μὲν τεκταινόμενος ἐχέτλην, πλωτῆρσί τε κώπην, τῷ τε στρατιώτῃ πέλτην, καὶ γέρρον κινδύνων πολεμικῶν ἀμυντήρια. ἀξιολογώτατόν τε πάντων, τὸ τῆς ἱστορίας διέθετο πολυπειρώτατον, ἀκοῇ μὲν ἥδυσμα, τῇ δὲ ψυχῇ παιδευτήριον. οὐδὲν γὰρ ταῖς φιλοπευθέσι ψυχαῖς ἔνεστιν ἱστορίας ἐπαγωγότερον. ἱκανὸν δὲ τῷ τεκμηριῶσαι ὁμηρικῆς τι δέλτου διήγημα, ἐπὶ τὴν ἀλκινόου τοῦ βασιλέως αὐλὴν ὁ τοῦ λαέρτου παῖς ἔναγχος ἐκ τοῦ θαλαττίου κλύδωνος ἐπὶ τὴν ἤπειρον ἐκβρασθεὶς, ἐξενίζετο, καὶ πολλὴ ἀμφὶ τὸν ὀδυσσέα φι-

coagmētatus fuerit, probè didicit. Proinde ratione & intelligētia in ſemet conuerſi mortales, & ab exteriorum circumſpectu in ipſam mētem, ceu gyro quodam delati, fabricationis ſuę myſteriū euoluunt. Hæc igitur, ratio, inquam, multa nobis ornamenta comparauit, naturæ ipſius operū ac laborum ſocia, & adiutrix pręclariſsima. Etenim quę illa intermittit, & in quibus deficit, hæc quam rectiſsimè perficit, & abſoluit: alia quidem ad aſpectum venuſta reddēs: alia ad guſtatum condiens: quædam ad tactum ſolidans, aut emolliens: nonnulla ad auditionem muſicis numeris diſtinguens, ſonorumque illecebris pectora demulcens, & ad commodandas aures alliciens. Quid? an non hæc artium quoq; vulgarium, & in medio poſitarū repertrix eſt ꝓbatiſsima? E lana nimirum elegantem cōtexit tunicam: è ligno agricolæ ſtiuam, nautæ remum, militi peltam, & ſcutum fabrefacit. Veruntamen nihil præſtabilius ex omnibus, quam multifariam hiſtoriarum cognitionem inſtruit, quæ & auribus oblectamentum, & animis quædam diſcendi officina eſt: quādo non aliud quidquā mentibus cognoſcendi amore flagrātibus æquè blanditur: id quod narratio quædam Homerici poëmatis ad fidem faciendam ſatis appoſitè cuipiam probauerit. In regiam Alcinoi regis Vlyſſes paulò antè vaſtis fluctibus in littus proiectus, hoſpitio ſuſcipitur, mirificaque

λοφροσύνῃ περιεκέχυτο. πρόχειρον γὰρ τὴν γυμνῷ, καὶ τετρυχομένῳ τὸ σῶμα συμφορᾷ ναυαγίας ἐσθῆτα λαμπρὰν ἐμπορπήσασθαι. ἐπὶ τῷ δὲ αὐτῷ καὶ κοινὸν τῆς βασιλέως τραπέζης ἀξίωμα. καὶ οὖν τῷ ἐπήλυδι παρείχετο καὶ γλώττης ἐλευθερία, καὶ διηγημάτων ἐκθέσεως ἄδεια. τοὺς δὲ Φαίακας οὕτω τὰ τῆς ἱστορίας ἐνηύφρανεν, ὡς χαίρειν εἰπόντας τῷ πότῳ, θέατρον εἶναι δοκεῖν τὸ συμπόσιον, καὶ διανιστᾶν τὰ ὦτα, καὶ κεχηνέναι θεωμένους τὸν ἄνδρα, καὶ τῷ μήκει μηδαμῶς τῆς διηγήσεως ἀποκναίεσθαι. καίτοι τὰ πολλὰ τῶν ἀφηγημάτων κατηφεῖς εἶχε τὰς ὄψεις, μεγίστων γὰρ κινδύνων ἐμπειρία περιέρρει τῇ συνουσίᾳ. λίχνον γὰρ ἀκοὴ, καὶ ἀκόρεστον, ἐρωμένη λόγον παράδοξον. ἔνθεν ἄρα καὶ τοὺς ποιητὰς ἐπὶ παιδείᾳ πρώτους εὐδοκιμήσαντας ἔστι θεάσασθαι. παραλαβόντες γὰρ οὗτοι τὰς τῶν ἀνθρώπων ψυχὰς φιλοΐστορας, καὶ πρὸς μάθησιν ὀργώσας ἀεὶ, καὶ ξένων διψώσας διηγημάτων, τεχνουργοῦσιν αὐταῖς μυθολόγημα, καὶ περιβάλλουσι φράσιν τῷ πλάσματι. ῥυθμῷ δὲ τὸ ψεῦδος, σιμμίζουσι, καὶ μέτροις οἷα κεστοῖς θελκτηρίοις ἴσι τὸ τεράτευμα καλλωπίζουσι. καὶ τοσαύτην εἶχεν ἡ ψυχαγωγία τὴν δύναμιν, ὡς καὶ θεολόγων εἶναι νομίζεσθαι. καὶ παρ' ἐκείνους φοιτᾶν τοὺς θεοὺς,

que comitate, & beneuolentia tractatur. Illico enim nudũ eius corpus, & ex naufragio sale tabẽtes artus veste splendida cooperiuntur; regia mense dignatur: & libertas loquendi, quæque vellet cõmemorandi potestas homini ignoto, ac peregrino cõceditur. Phæacas porrò tanta iucunditate ipsa casuum expositio perfundit, sic eos detinet, vt poculorũ immemores, cõuiuium in theatrũ mutauisse videantur, auresq; arrigant, & ab ore viri illius contemplabundi pendeant; nec ex narratione, tametsi longa, tædiũ vllum sentiant; quãquam tristia multa referat, periculorumque grauissimorum, quæ subierit, cõmemoratione cœtum illum conuiuantium velut inundet. Aures namq;, cum sermone quopiam de rebus nouis, & admirandis, tanquã epulis accipiuntur, liguritorem imitantes, auidę insatiabilesq; reperiuntur. Quã ob caussam etiã poëtas eruditione principes celebre ad posteros nomen consecutos videre licet. Qui hominum ingeniis, sciendi cupidis, & ad discendum mirè semper inclinãtibus, nouarumq; narrationum sitientibus se se accommodãtes, artificio quodam fabulas ipsis, seu figmenta procudunt, quæ scita & ornata elocutione conuestiunt, numeros quasi quędam pigmenta, & fucum illinũt, & portenta sua carminibus, vt cestis seu cingulis quibusdam ad delectationem appositis decenter circumdant. Tantumq; voluptas ea

valuit,

καὶ ταῖς ἐκείνων γλώτταις παραγυμνοῦν τοῖς ἀνθρώποις τὰ οἴκοι, καὶ εἴ τί ποτε τῷ σφῶν αὐτῶν βίῳ συνέτυχεν ἀνδραγάθημα, ἢ δυστύχημα. οὐκοῦν ἐρήσαιτέ τις κοινὴν ἁπάντων ἀνθρώπων τὴν ἱστορίαν διδάσκαλον, εἰσηγουμένην, οἷς τε ἐγχειρητέον, καὶ ἃ παροπτέον, ὡς μὴ συνοίσοντα. ἐμφρονεστάτους τε τοὺς στρατηγοὺς δι' ἐκείνης ἐστὶν ἰδεῖν. τάττειν γὰρ δυνάμεις ἐπίσταται, ὅπως τε λόχοις σοφίζεσθαι δεῖ τὸ πολέμιον, καὶ ταῖς μὲν τῶν ἄλλων συμφοραῖς προμηθεστέρους σφᾶς αὐτοὺς ἀπεργάζεται, τοῖς προσφαλεῖσιν ἑτέροις ἐκείνους ἰθύνουσα. ταῖς δ' αὖ πάλιν εὐπραγίαις, εὐδαιμονεστέρους ἀπέδειξε, μικραῖς ἀφορμαῖς μεγάλας ἀρετῶν κορυφὰς ἐπαυξάνουσα. καὶ τῷ μὲν πρεσβύτῃ χειραγωγός τίς ἐστι καὶ βακτηρία· τῷ δὲ νέῳ παιδαγωγὸς κάλλιστος καὶ συνετώτατος, τῇ πολυπειρίᾳ πολιοῦσά πως τὸν νεώτερον, καὶ προφθάνουσα τοῦ χρόνου τὰ καθ' ὀλίγον μαθήματα. πρὸς τὴν ἐπιδραμοῦμαι κἀυτὸς, εἰ καὶ μεῖζον ἢ κατ' ἐμὲ τὸ ἐγχείρημα, διὰ τὸ τῆς λέξεως ἀγεννές, τῶν τε νοημάτων τὸ ἀδρανέστατον, τῆς τε τοῦ λόγου συνθήκης τὸ ἀκαλλές, τό τε τοῖς οἰκονομίας ἀτεχνότατον. εἰ δέ πω εὔχαρί τι τῶν ἐκτεθησομένων φανείη, τύχῃ τινὶ προσαπτέσθω. μὴ γὰρ ἐπιστήμῃ τὸ αἴτιον.

valuit, vt etiam Theologi haberentur, & dij immortales ad eos ventitare, eorumque linguis domestica sua, & siquid aliquando faustum, infaustumúe sibi contigisset, hominibus pãdere crederẽtur. Quod cũ ita sit, historiam cõmunem generis humani magistram atq; doctricem iure dixerim, præeuntem nobis, ac præmonstrantem quæ capessere, & quæ vt inania, nihilq; profutura aspernari debeamus: à qua condocefactos duces militares, prudentissimos euasisse in confesso est. Nouit enim ordines disponere, & qua via hostem callidè circumuenias. Iisdem per euenta aliena procurationem, & cautionem maiorem inserit, perq; aliorum frustrationes, & offensiones tutiore itinere illos ducit. Similiter secundis aliorum successibus beatiores efficit, dum eos occasionibus non magnis ad magnarum virtutũ fastigia prouehit. Ac senibus quidem manuductrix, & baculus, adolescentibus pædagoga, & institutrix optima ac sapiẽtissima est, peritia multa quandam iis canitiem conciliãs; & quæ procedens tempus paulatim eos doceret, ea ipsa docendo anteuertẽs. Cui ego quoq; studium, & operã meam dicabo, quãquã maius onus capessere me intelligo, quàm istis humeris sustinere possim: quandoquidem nulla mihi suppeditat verborum dignitas, nulla sentẽtiarum grauitas, nec orationem bellè ac festiuè contexere scio, & eius œconomiæ, artificiiq; sum rudissimus. Quod si quid eorum, quæ referemus, cũ lepore, & venustate expositũ videbitur, id à fortuna quadam, non à scientia mea profectum existimetur.

HISTO-

HISTORIAE MAVRICIANÆ

Liber Primus.

PHOTII CONSTANTINOPOLITANI IN EVNDEM LIBRVM

SYNOPSIS, SIVE SVMMA.

Ex eiusdem Bibliotheca.

AB imperio Mauricij orditur historicus, & vsq; ad promulgationem Phocæ successoris eius narrationem pertexit. Percenset primo libro, quo pacto Mauricius à Tiberio renuntiatus sit Imperator, Ioanne id temporis Ecclesiam Constantinopolitanam administrante: quæq; eundem inauguraturus admonuerit, interprete adhibito Ioanne Quæstore, quem vt cum ad Mauricium, tum ad populum coram præsentem nomine suo verba faceret, ipsemet delegerat. Quomodo eidem Mauricio filiam suam desponderit, ac postera luce è custodia corporis euolarit. Quale visum ante mortem ei oblatum, istanc vocem dederit, HAEC TIBI, TIBERI, ΤΡΙΣΑΓΙΟΝ *(ter sanctum numen)* DICIT, TYRANNICA IMPIETATIS TEMPORA TE IMPERANTE NON VENIENT. *Erant hæc nimirum alicuius tragœdiæ, calamitatisúe prænuntia; nempe tyrannidis, quam sceleratus, & cruentus ille Phocas arripuit. Præterea quemadmodum cum Abaris, qui non ita pridē Sirmium ditioni suæ subdiderant, Mauricius fœdus composuerit, pactus, in annos singulos iisdem octoginta millia in veste & argento à mercatoribus soluturum. Verùm pensio ista ne ad biennium quidem*

 cupi-

cupiditati & auaritiæ barbarorum ſatis fuit: ſiquidem Chaganus eorum Princeps, vti vicena millia adiicerentur poſtulauit. Eo poſtulato reiecto, fœdus infirmatur. Singidon, Auguſta, Viminacium vrbes ſubiguntur: Anchialo oppugnatio admouetur; Elpidius, & Comentiolus ad Chaganum legati, indignè accipiuntur; quòd hic videlicet hominem liberius compellauerat. Anno ab hoc altero Elpidius iteratò ad Chaganum ſuper vicenis aureorum millibus addendis mittitur, & cum Targitio quodam ex Abaris Byzantium redit. Comentiolus contra Sclauinos ſiue Sclauos dux creatus, rem cum virtute gerit. Chaganus propter Barcolabram magum fœdera denuo confundit. Cumq́ Abares complura Romanorum oppida depopularentur, multisq́ locis vaſtitatem inferrent, Targitius in inſulam Chalcitidem ad ſenos menſes relegatur. Romanorum, Perſarumq́ ad Nymphium flumen conflictus. Mauricium inter & Conſtantinam Tiberij filiam nuptiarum ſacra obeuntur. In ipſo primordio imperij Mauricij exortum in foro incendium. Miraculum conchæ, ſeu peluis Glyceriæ martyris. Paulinus præſtigiator deprehenditur. Imperatore ad clemẽtiam propendente, vt apparet, Ioannes Patriarcha veneficum rogo cremandum inſtat, dictaq́ verbis Apoſtolicis confirmat. Paulinus in crucem tollitur; eius filio impietatis conſorti caput à ceruicibus abſcinditur. De Aphumis, & Acbas caſtellis. Perſarum & Romanorum certamen. Ioannes dux aſtu militari victus. Mauricio imperium occipiente, horribilis terræmotus. Eiuſdem conſulatus. Philippico Imperatoris ſororio (Gordiam quippe illius germanam habebat in coniugio) orientalium copiarum præfectura mandatur. Eius egregia facinora. Romanorum è Perſide abitio. Sitis immenſitate propemodum extinguũtur. Captiuos trucidant. Arzanenam regionem militi deprædandam dux Romanus permittit. A bellandi peritia commendatur. Scipio Africanus maior laudibus effertur. Perſæ haud procul Martyropoli graſſantur. Eorum ad Romanos legatio.

Hactenus liber primus.

CAPVT

CAPVT I.

Tiberij Augusti sub excessum præclara oratio. Mauricius successor palam declaratur.

Ὅτε τὸν αὐτοκράτορα Τιβέριον τῆς ἐντεῦθεν ἔδει λοιπὸν μεταβήσεσθαι λήξεως, καὶ τῷ κοινῷ ὑπείκειν νόμῳ τῆς φύσεως, ἐπιθεμένης τῇ νόσῳ μελαίνης χολῆς, ὡς συνήθες παισὶν ἀποκαλεῖν ἰατρῶν, ἀνερρήθη Μαυρίκιος, καὶ βασιλέως ἀξίᾳ μεγαλαυχεῖται, καὶ νεάζων τῇ ἀλουργίδι, τῆς μεγάλης τῶν αὐτοκρατόρων δυνάμεως μετελάγχανε. φοράδην γὰρ ἀχθεὶς ὁ βασιλεὺς Τιβέριος ἐπὶ τὸν ὕπαιθρον τῶν βασιλείων αὐλήν, ᾗ τις παρῴκισται τῇ πολυστιβάδι τῶν ἀνακτόρων οἰκίᾳ, περιαυλίῳ περιφανεῖ καὶ περιδόξῳ τῷ προσκηνίῳ, τόν τε τῆς ἱεραρχικῆς προεστῶτα καθέδρας συγκαλεσάμενος (Ἰωάννης δὲ κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ τοὺς τῆς ἐκκλησίας διίθυνεν οἴακας) τόν τε τῶν ἱερῶν ἀξιωμάτων συναθροισάμενος ξύλλογον, τούς τε δορυφόρους, καὶ φύλακας, καὶ πάντας τοὺς ἐς βασιλέως τιμὴν συντεταγμένους, ναὶ μὴν καὶ τοὺς ἐπισημοτέρους τοῦ δήμου, αὐτὸς μὲν οὐδέπω τοῖς ἐντυχοῦσι διείλεκται. βασιλέως δὲ γλῶτταν τὴν Ἰωάννην ἐδείκνυεν, ἄνδρα, ῥήτορά τε δεινόν, καὶ νόμων ῥωμαϊκῶν ἐπιστήμονα.

CVM iam Tiberio Augusto, atra bile, quam medici vocare consueuerunt, morbum aggrauãte, ex huius vitæ diuersorio demigrãdum esset, & dies commune illud naturæ debitum persoluẽdi adesset, Mauricius successor ante nominatus, ad imperatorios honores magnificè extollitur, purpuraque insignis, supremam Augustorum potestatem sortitur. Tiberius namque in atrium palatij, iuxta domum, in qua multi ex herbis, seu frondibus ad cœnandum, dormiendumúe tori, siue lectisternia, vestibulum illustre, visendũque prosceniũ, huc, inquã, gestatus, accersito Ioanne, qui ea tempestate cathedram hierarchicam obtinens, Ecclesiæ gubernacula moderabatur, virorum præterea ecclesiasticas dignitates gerentium coacto collegio, præsentibus item prętorianis militibus, & custodibus corporis, & aulicis demum vniuersis, nec non ciuibus primariis, ipse quidem per se ad conuentum non dixit; verùm eas partes Ioanni Quæstori (vt latina lingua appellatur) mandauit; homini eloquẽti, Romanarum-

ὃς τὰ βασιλέως προστάγματα τῷ διατόνῳ τῆς εὐγλωττίας ἐμεγαληγόρει βασιλικῆς μεγαλοφροσύνης ἐπάξια. τοῦτον ἐπιχωρίῳ Ῥωμαῖοι φωνῇ ἀποκαλοῦσι κυαίστορα. παρῆν γοῦν ὁ αὐτοκράτωρ ἐπὶ τῇ χειροτονίᾳ τοῦ βασιλέως, ἅμα τῇ παιδὶ Κωνσταντίνῃ. ἣν τῷ Μαυρικίῳ τύχης ἅμα καὶ βίου κοινωνὸν ἐποιήσατο. καὶ πρό γε τῆς ἀναρρήσεως τῷ ξυλλόγῳ τάδε παρέθετο.

que legum, & consuetudinum haud ignaro; qui decreta & sancita ab Imperatore, potenti facundia sua honorificè, & vt imperiali altitudine animi dignum erat, pro concione promulgare, atq; exponere consueuerat. Ad Imperatorem igitur nouum sibi surrogandum præsens Augustus, vnà cum filia Constantina, quam Mauricio vitę, fortunarumq; comitem, ac sociam indiuiduā tradiderat, ante publicam renuntiationem ad astātium multitudinem hunc in modum disseruit.

Τὸ πολυθρύλλητον τοῖς ἔθνεσιν ὄνομα καὶ ἐπίτιμον, τὸ ἐπὶ στομάτων πολλῶν ἐπ᾽ εὐφημίᾳ δι᾽ εὔκλειαν περικείμενον, μεγάλαι καὶ τελευταῖαι νῦν αἱ τῶν φροντίδων ὠδῖνες ἡμῖν περιΐστανται· αἱ μὲν, τὰ τῇ διαθῆναι καλῶς ἀναγκάζουσαι· αἱ δὲ τῇ διαζεύξει τῆς μεταστάσεως ἐκταράττουσι καὶ τὸ ἐνθένδε τοῖς λόγοις τῆς βιοτῆς παραθέσθαι τῷ δημιουργῷ κατεπείγουσι. καὶ περιδεής μοι σήμερον ἡ πάλαι παρρησία καὶ ἄδεια. οἷς γὰρ ἀφθονία τῆς ἐξουσίας, τούτοις εἰκὸς καὶ τὰ σφάλματα παρέπεσθαι πλείονα. ἀλλ᾽ ὅμως αἱ περὶ τῆς βασιλείας ὑμῖν ὀξύτεραι καὶ προκύπτουσι, οὐχ ὅτῳ ταύτην οὕτω ταχὺ κατατίθεσθαι, ἀλλ᾽ ὅτῳ ταύτην ἔνεστι καλῶς διατίθεσθαι. ἐπεὶ μηδὲ κατενεγγυωμένην ταύτην ἐγὼ ἐπί τε τρυφῇ τῆς

Viri Romani, nomen per omnes gentes vulgatissimum honoratissimumq;, & propter claritudinem atq; gloriam plurimorum linguis decantatum, scitote me nunc magnis, & postremis sollicitudinibus cruciari: quarū aliæ me stimulant, vt à quibus discedendum est, ea rectè atque ordine constituta relinquam: aliæ ipso transitu ex hac luce quo à vobis diuellar, animum percellunt; quandoquidem quæ omnium annorum meorum decursu à me patrata sunt, eorum ratio vniuersorum effectori omnino mihi reddenda erit. Et illa quondam libertas, ac securitas mea in pauorem non mediocrē vertit. Qui enim amplioribus sunt potestatibus præditi, eos plura etiam vitia, & peccata plerumque comitantur. Cæterùm curæ super imperio præponderant, vrgentque vehementius; non in cuius ceruices illud reclinare festinem;

ἐξουσίας, καὶ κολακεία τοῦ σώματος. ὁρῶ δὲ καὶ τὴν φύσιν μετὰ τῆς τύχης ἡμᾶς καταστρέφουσαν. βασιλεία γὰρ, καὶ παῖδες, καὶ γύναιον κατὰ ταυτὸν ἐπιτίθενται· ἡ μὲν, ἡγεμόνα ζητοῦσα σοφόν· ἡ δὲ κηδεμόνα χηρείας ἐπιεικέστατόν τε, καὶ εὐσεβέστατον· αἱ δὲ τοῦ χειραγωγοῦντος, διὰ τὸ τῆς ἡλικίας ἄωρον, τότε τῆς θηλείας φύσεως ἀσθενέστερον. περιφρονῶ δὲ πολλάκις ὑπὸ τῆς νόσου τὴν φύσιν, καὶ τὸν ἐκείνης δραπετεύω δεσμὸν, καὶ παίδων ὑπερορῶ, καὶ περιόπτομαι γύναιον, ἤδη τεθνάναι δοκῶν, καὶ τῆς προμηθείας ἐλευθερίαν λαχεῖν. ἀλλ' εὐθὺς ἡ περὶ τῶν σκήπτρων ἀπαραίτητος φροντὶς εἰσεπήδησεν· οὐ τὸ μόνον γὰρ διατηρῆσαι κράτος ἐμπιστευθέν ἐστιν ἀγὼν, ἀλλὰ καὶ τὸ δεόντως ἑτέροις παραπέμψαι τὸν κλῆρον. δεῖ γὰρ τῶν προτέρων ἡγεμόνων εἶναι τοὺς δευτέρους ἀμείνους, ἵνα τοῖς προσφαλοῦσιν ἐκεῖνοι τὴν παρ' αὑτῶν διόρθωσιν εἰσαγάγωσιν, ἢ διολισθαίνειν ἅπαν, συλλήβδην εἰπεῖν, τὸ ὑπήκοον, ἀδρανεστέρᾳ κρηπῖδι τὴν βασιλείαν στηρίξαντι. τούτων κατεσθιόντων τῶν λογισμῶν τὴν διάνοιαν, ἡ τεχνῆτις ἡμῖν πρόνοια συλλαμβάνει τῶν πόνων, καὶ μίαν μεθ' ἡμῶν βουλὴν προσ-ενήνοχε, καὶ δείκνυσι τὸν βασιλεύ-

ſtinem; ſed cuinam id bene fœliciterque committam. Quoniam nec mihi idcirco deſponſum ac traditum fuit, vt in eo deliciis vacarem, & blandimenta corporis conſectarer. Neq; verò quorum fortuna dominatur, ea tantùm, ſed natura quoq; perquam ſollicitũ me habet. Simul imperium, liberi, vxor premunt. Res Romana rectorem ſapientia valentem: coniux curatorem viduitatis ſuæ ęquiſsimum iuxta ac religioſiſsimum: filiæ, qui eas ob immaturã ætatem, & muliebris animi imbecillitatem quaſi manuducat & regat, deſiderant. Quanquã ego naturæ faces morbo acrius ſæuiente ſępenumero deſpicio, illiuſque vincula abrumpo, & ſimul liberos poſthabeo, ſimul vxorem negligo, dũ me iam hinc excedere, & ab huiuſcemodi procuratione liberari puto. At enim mox ſceptri ſollicitudo inexorabilis in me inſilit: quando non ſolum creditum ſibi imperium tueri atque conſeruare, verùm id ipſum nihilominus, vt hęreditatẽ quandam, & ita vt honeſtũ eſt, ad alios tranſmittere difficultatem habet maximam, cum Principes ſucceſſores præſtare deceſſoribus ſuis oporteat: quò illorum virtute, ſapientiaq; horum lapſus, & delicta corrigantur: alioqui, vt ſummatim dicam, vniuerſa imperij moles, tanquam infirmo nitens fundamento, labatur & corruat neceſſe eſt. Dum hiſce curis exederemur, inſpectrix omnium rerum prouidentia moleſtiam noſtram alleuauit, conſiliumq; nobiſcum quoddam reperit, & qui ſecundùm nos

,, σοντα, ἐπιβάτην τε τῆς ἐξουσίας ἐσό-
,, μενον, μαυρίκιον τουτονὶ, ἄνδρα λυσι-
,, τελέστατον τῇ ῥωμαίων ἀρχῇ. πολλοὺς
,, καὶ μεγάλους πόνους ἐγκαταθέμενον,
,, ὥσπερ ἀρραβῶνάς τινας προκατα-
,, βαλλόμενον τῆς ἐσομένης ἀμφὶ τὸ ὑ-
,, πήκοον προνοίας αὐτῷ. τοῦτον αὐτο-
,, κράτορα τήμερον ὄψεσθε. οὕτω δὲ πέ-
,, ποιθα ἐπὶ τήνδε τὴν μεγίστην ἐγ-
,, χείρησιν, καὶ τὰ τῆς διανοίας οὐ σκά-
,, ζει κινήματα, ὡς καὶ τὸ θυγάτριον ἅ-
,, μα τῇ βασιλείᾳ τούτῳ πεπίστευκα,
,, τηλικούτῳ φύσεως ἐνεχύρῳ θαρρύ-
,, νων ὑμᾶς. ταύτην ἐφόδιον τὴν ψυ-
,, χαγωγίαν ἐπὶ τὴν μακρὰν ἐκείνην
,, ἐκδημίαν ἀποίσομαι. καὶ ὑμεῖς δέ μοι
,, μάρτυρες τῆσδε τῆς καλλίστης συντά-
,, ξεως ἀξιόχρεῳ, ἐξ ὧν ἐπειράθητε ἡ-
,, μῶν τε ἡνιοχούντων τὴν ἡγεμονίαν, καὶ
,, τοῦδε παρεμπεσόντος λίαν ἡμῖν ἐμ-
,, φρονέστατα. σὺ δέ μοι, μαυρίκιε, κάλ-
,, λιστον ἡμῖν ἐπιτάφιον τὴν σὴν βασι-
,, λείαν πεποίησο. κόσμει τὸν ἐμὸν τά-
,, φον, ταῖς σαῖς ἀρεταῖς, μήτε τὰς τῶν
,, πεπιστευκότων καταισχύνων ἐλπί-
,, δας, μήτε τὰς σὰς ἀγνωμονῶν ἀρε-
,, τὰς, τήν τε τῆς ψυχῆς δραπετεύων
,, εὐγένειαν. χαλίνου λόγῳ τὴν ἐξουσί-
,, αν· φιλοσοφίᾳ τὸ κράτος οἰάκιζε·
,, βασιλεία γὰρ ὑψηλόν τι χρῆμα καὶ
,, μετέωρον, ἐς μέγα τὸν ἐπιβάτην ἀ-
,, παιωροῦσα, τοῖς τε λογισμοῖς ἐκφρυ-
,, άττουσα. δοκεῖ μὴ πάντων ὑπερέχειν

imperij faſtigium conſcenſurus eſſet oſtendit; Mauricium hunc ſcilicet, quem coram videtis, hominem rei Romanæ opportuniſſimum; cuius cauſſa nec paucos, & prædicandos labores exhauſit, futuræque erga ciues ſollicitudinis, ac prouiſionis ſuæ quaſi quoddam pignus iam depoſuit. Hunc hodierno die Imperatorem aſpicietis. Tanta porrò cum ſpe, & fiducia hanc prouinciam omnium grauiſsimā illi committo ac trado, idq; bona cum animi valetudine, vt eidē vnà cum principatu filiam quoq; meam vxorē committam: hoc tam eximio, naturalique pignore meo ad bene de ipſo, & repub. ſperandum velut quoddam ſignum ſuſtollens. Solatium iſtuc pro viatico mecum auferens, longam illam peregrinationem inibo. Cæterùm huius negotij pulcherrimè conſtituti vos nobis teſtes eritis idonei ac fide digni: quādo quidem & nos, qui imperium gubernauimus, & hunc, qui ſe nobis adiutorē prudētiſsimum ſemper præbuit, experiundo cognouiſtis. Tu verò, mi Maurici, imperium tuum mihi epitaphium longè elegantiſsimū fac efficias: ſepulchrū meum virtutibus tuis cōdecora; nec eorum ſpes, qui ſe totos fidei, auctoritatiq; tuæ permiſerunt, pudefaciens; nec temetipſum ignorans,
,, & à præſtātia, ac nobilitate animi tui degenerans. Rationis fræno in
,, poteſtatis magnitudine ſuperbiam cohibe, & ex philoſophiæ præce-
,, ptionibus principatus tui nauim dirige. Sublime nimirū, & excel-
ſum

τῷ φρονιμώτατος εἶναι, εἰ καὶ τὰ τῆς τύχης ὑψηλά σοι παρὰ πάντας. θήρα παρὰ τῶν ὑπηκόων, ἀντὶ μὲν φόβου τὴν εὔνοιαν, ἀντὶ δὲ κολακείας τίμα τὸν ἔλεγχον, οἷα διδάσκαλον ἄριστον· ἀνουθέτητον γὰρ ἐξουσία, καὶ παιδείας ἀνεχόμενον. ἔσω περὶ τῶν σῶν ὀφθαλμῶν σύνεδρος ἡ δίκη, πρυτανεύουσα τῶν βεβιωμένων ἀντίδοσιν. νόμιζε τὴν πορφύραν, τῷ φιλόσοφος εἶναι, εὐτελές τι ῥάκος ἀμπέχεσθαι· τὸν δὲ στέφανον μηδέν τι διοίσειν, τῶν ἐπὶ τοῖς αἰγιαλοῖς τῆς θαλάττης ψηφίδων, συγνὸν τὸ τῆς ἀλουργίδος ἄνθος, καί μοι δοκεῖ τοῖς βασιλεῦσι παρεγγυᾶν μετριοπαθεῖν ἐπὶ ταῖς εὐπραγίαις, καὶ μὴ περιγάνυσθαι, καὶ φρυάττεσθαι τῷ πενθίμῳ ταύτῃ τῆς μοναρχίας στολῇ· οὐ γὰρ ἐξουσίαν ἀκολασίας, ἀλλὰ δουλείαν ἔνδοξον τὸ σκῆπτρον τῆς βασιλείας φιλοσοφεῖν ἐπαγγέλλεται. ἡγείσθω τῆς ὀργῆς τὸ φιλάνθρωπον, τῆς δὲ σωφροσύνης, ὁ φόβος. ἐξέταξε γὰρ καὶ ταῖς μελίτταις ἡγεμόνας ἡ φύσις. ὠχύρωσε δὲ καὶ κέντρον τὸν βασιλέα τὴν μέλιτταν, ὥσπερ τι κράτος αὐτόματον ἐγκεντρίζουσά πως αὐτῷ, ἵνα καὶ πλήττειν ἔχῃ τὸν μὴ δικαίως πειθόμενον. ἀλλ' οὐκ ἔστιν ἐκεῖνο τὸ κέντρον τυραννικὸν, δημοφελὲς δὲ μᾶλλον καὶ δίκαιον. οὐκοῦν ἐκείνης ἐσόμεθα μιμηταὶ, εἰ μή γε λόγος δυ-

ſum quiddam eſt imperium, ſibique inſidentem altius effert, aduerſus rationem ferociens, & inſoleſcens. Caue exiſtimes, te prudentia anteire omnibus, licet opibus vincas omnes. Conare à ciuib⁹, & ſubditis tuis diligi potius quam timeri, reprehenſionemq; vt magiſtram optimam, blanditiis, & aſſentationibus antepone. Poteſtas enim admoneri ſe, & cõdoceſieri ægre patitur. Iuſtitia perpetuò ante oculos verſetur, tibique aſsideat, quæ actionibus vitæ noſtræ condignã mercedem diſpenſat. Quia ſapientiæ ſtudioſus es, purpura perinde ac nullius pretij panno quopiam te circumdatũ, coronamq; gemmis illuminatam nihil à calculis & lapillis, in litore marino iacẽtibus differre cogita. Flos purpuræ triſtior eſt, mihiq; principes hortari videtur, vt rebus proſpere fluẽtibus in officio ſint; nec lugubri iſta veſte monarchatus, lętitia geſtiant, & inſoleſcant. Haud enim ſolutam proteruiam, ſed inſignẽ, ſplendidamq; ſeruitutem potius imperiale ſceptrum profitetur. Iram manſuetudo, prudentiam timor regat. Nam & apibus natura regem præpoſuit, eumq; aculeo indito, ceu naturali quadam facultate armauit, vt malè parentes, & immorigeros emendare poſsit: non tamen tyrãnicum, verùm in commune vtilem, ac iuſtum aculeum apis gerit. Hanc ſaltẽ imitabimur, ſi melius conſilium mẽs ſuppeditare non poterit. Iſta ego ad te tanquam ſator, ac parens ad filium.

„ δύνηται χαρίζεσθαι καὶ τὰ μείζονα.
„ ταῦτα μὲν ὁ συμβολεὺς ἐγώ. ἕξεις
„ δὲ τῆς γνώμης ὥσπερ δικαστὴν τὴν
„ ἐξουσίαν ἀδέκαστον, ἣ τιμῶσαν
„ τὰς ἀρετὰς, ἢ τὴν κακίαν φαυλί-
„ ζουσαν.

Ὅτε τοίνυν τὰ τῆς διαλέξεως ἐπεπέρατο τοῦτο τῷ αὐτοκράτορι, πολὺ τοῖς θεαταῖς τὸ δάκρυον ἐπεκύμαινε· τῶν μὲν ἀνιωμένων ἐπὶ τῷ πάθει, παρ' οἷς καὶ τὰ τῆς εὐνοίας ἦν λιπαρώτερα· ἄλλων δὲ καταχηλουμένων ἐπὶ τῷ οἴκτῳ διὰ τῆς συμπαθείας, φιλεῖ γὰρ ἡ συμφορὰ καὶ τῷ θεατῇ μεταδιδόναι τοῦ πάθους. τὴν στεφάνην δὲ ὁ βασιλεὺς ἀράμενος, τήν τε πορφυρᾶν διπλοΐδα, ἀμπεῖχε τὸν καίσαρα. διεχεῖτο δὲ πολλὴ τῆς εὐφημίας παρὰ τῶν ὑπηκόων βοή· ἔνιοι γὰρ τὸν προστησάμενον ἀπεθαύμαζον, ἀγάμενοι τῆς εὐβουλίας τὸν αὐτοκράτορα· ἕτεροι τὸν ἀναῤῥηθέντα, καὶ τηλικαύτης ἡγεμονίας ἑαυτὸν παραθέμενον ἄξιον· ἅπαντες δὲ τὸν αἴτιον τούτων ἁπάντων θεὸν, ἄμφω ταῦτα καλῶς συμβιβάσαντα. ἐπεὶ δὲ ὁ μέγας οὗτος καὶ ὕστατος τοῦ βασιλέως σκοπὸς διανυθεὶς ἐτετέλεστο, τά τε τῆς ἀναγορεύσεως ἔθη, κατὰ τοὺς βασιλικοὺς θεσμοὺς ἐπεπλήρωτο, ἐπὶ τὴν ἑαυτοῦ κλίνην Τιβέριος ὁ αὐτοκράτωρ ἀνέζευξεν.

filium. Habebis autem huius cohortationis meæ iudicem quodammodo poteſtatem illam, quę muneribus minimè tranſuerſim agitur: & aut virtuti honorem & gloriam; aut improbitati dedec⁹, & contemptum remetitur.

Poſtquam dicendi datus finis, omnes collacrymari largiſsimè, cum alij ſuper morte Imperatori iam proxima dolorem capērent, (quorum videlicet in ipſum beneuolentia teſtatior erat) alij per ſympathiā miſeratione colliqueſcerēt. Solet enim aliena calamitas ſenſum ſui cōmunicare cum intuentibus. Tum Imperator corona, purpureaq; chlamyde Mauricium Cęſarē induit; inde multa fauſtum acclamātium gratulantiumq; vox ſecuta eſt. Quidam etenim renuntiantem de tam bono conſilio admirari: quidam renuntiatum ſuſpicere, qui tanto imperio parem animi virtutem attuliſſet: omnes autem horum auctorem Deum collaudare, qui ambo hæc adeo ſalutariter conciliauiſſet. Vbi ſummi momenti, vltimusq; Imperatoris ſcopus, & voluntas ad exitum ſuum perducta, conſuetudoque legitima in creando Imperatore ſeruata eſt, ad lectulum ſuum Tiberius Auguſtus rediit.

CAPVT

CAPVT II.

Vox diuinitus ad Tiberium delata: eius è vita abitio: populi luctus, & lachrymæ: funus, & sepultura.

Λόγος δὲ καὶ θείαν ὀμφὴν πρό τινος βραχέος τῆς νόσου καιροῦ κατηχηθῆναι Τιβερίῳ τῷ αὐτοκράτορι. ἔδοξε γὰρ ἐν ὕπνοις παρεστάναι αὐτῷ, πάγκαλος τὴν θέαν ἀνὴρ, ἐν θέᾳ τινὸς ὡραιότητος εἰκόνα φερόμενος· τῷ μὲν λόγῳ τὸ ἄρρητον· τῇ δὲ γραφῇ τὸ ἀμίμητον. ἐσθὴς δὲ τῷ νεανίᾳ λευκὴ, τόν τε τόπον, καὶ τὸν θεατὴν καταυγάζουσα ταῖς μαρμαρυγαῖς τῆς ἐλλάμψεως· φῆσαι δὲ πρὸς τὸν καίσαρα, συνδιημηγοροῦσης αὐτῷ τῆς χειρὸς ἐν τῷ σχήματι. Τάδε σοι, Τιβέριε, τὸ τρισάγιον λέγει. οἱ τύραννοι τῆς ἀσεβείας ἐπὶ τῆς σῆς βασιλείας οὐ φοιτήσουσι χρόνοι. εἶτα τὸν βασιλέα διανήψαντά τε ταραχθῆναι τῇ φαντασίᾳ, ὄρθριόν τε διανίστασθαι, καὶ τοῖς ἀμφ' αὐτὸν διεξιέναι τὰ τῶν ὀνειράτων θεάματα. τῇδε ὑστεραίᾳ (πρὸς γὰρ τὸν λόγον ἐπάνειμι) τῷ κοινῷ τῆς φύσεως νόμῳ Τιβέριος, εἰ καὶ βασιλεὺς ἐτύγχανεν ὤν, ἐπειθάρχησεν, ἀπέστη τε τῶν τῇδε, καὶ οἷα σκηνὴν τῆς ψυχῆς καταλέλοιπε τὸ ἀχθοφόρον τουτὶ καὶ γήϊνον χιτωνίσκιον. καὶ πολὺς ἀνὰ τὸ ἄστυ ἐπεκύμαινε θρῆνος. πολλῶν γὰρ ὀφθαλμῶν ῥεῖθρον διήνοιξε, καὶ φλέ-

Fertur autem paulùm oppidò ante morbum cœlestis quædã vox insonuisse Tiberij auribus. Per quietem namq; astare illi visus est adolescens aspectu multò pulcherrimꝰ, os humerosq; Deo similis, supra quam dici, aut scribi potest: in veste tam candida, vt splendoris sui radiis locũ ipsum, videntemque perfunderet. Hic concionabundi instar protensa manu, talibus Cæsarẽ est affatus. Hæc tibi ter sanctum numen indicat, Tiberi: tempora impia, & tyrannica te Imperatore non venient. (*imperium te viuo tyranni non inuadent*) Manè somno experrectus Tiberius, visoque illo perturbatus surgit, quæque sibi quiescenti mirabilia oblata sint, præsentibus refert. Postero die ab inaugurato iam Mauricio (vt redeam vnde paulisper deflexi) Tiberius quantumuis Imper. legi naturæ communi obsecutus, & hac onerosa, terrenaq; tunicula exutus, & tanquam è tabernaculo suo liber egressus, esse inter homines desinit. Eius obitu per ciuitatem ingens extitit lamentatio, atque incisis lacrymarum venis, plurimorum ex

G oculis

βας δακρύων ἀνέτεμε. καὶ μέγα ταῖς τῶν πολλῶν ψυχαῖς ἀνεφοίτα τὸ πένθος. τὸ φαιδρὸν τῆς στολῆς διερρήγνυτο, τό, τε κατηφὲς τῆς ἐσθῆτος ἀντελαμβάνετο. ἅπαντας ἐπὶ τὸ στυγνὸν ἐκεῖνο θέατρον συνεκάλει τὸ ἄκουσμα. εἰσήρρει τὰ πλήθη τῇ βασιλίδι αὐλῇ· οὐκ εἶχε τὰ προαύλια φύλακας, τοῖς πολλοῖς προπετάσμασι μόλις τοῖς ἐν ἀξίᾳ φιλοτιμουμένοις τὴν εἴσοδον. κατηφὴς ὑμνῳδία πάννυχος ἦν, ταῖς φωταγωγοῖς λαμπάσι σκυθρωπὴν ὄψιν παρέχουσα. καὶ δῆτα μετὰ τὸν ὄρθρον τὰς ἀκτῖνας προβάλλοντος ἡλίου, καὶ τὸ ὑπέργειον διατρέχοντος ἡμισφαίριον, προὔπεμπεν ἅπας τεθνηκότα τὸν βασιλέα, καὶ μετ᾿ εὐφημίας εἶχεν ἐπομβρῆσαι τὸ δάκρυον, πολύς τε ἦν ὁ ἐπιτάφιος ἔπαινος, εἷς ἀπὸ στομάτων πολλῶν προχεόμενος, οἷά τις ποταμὸς εἰς πολλὰς ἀρχὰς μεριζόμενος· ἢ δένδρον ὑψιτενές τε, καὶ εὔκομον, πολλαῖς τε καὶ μεγάλων κλάδων ἐκφύσεσι διαιρούμενον. εἴωθε γὰρ δεινοπαθεῖν τὸ ὑπήκοον, ἐπὶ ταῖς ἀώροις μεταστάσεσι τῶν ἐπιβεβηκότων δυνάμεων, εἴγε πιθανῶς, καὶ δημοτικώτερον τῆς ἡγεμονίας ἀπάρξαιντο. ἐπεὶ δὲ τοῦτον ὁ τῶν βασιλέων ὑπεδέξατο τάφος, ἐπὶ τὴν ἐς Μαυρίκιον τὸν αὐτοκράτορα δορυφορίαν ἅπας ἐτέτραπτο, καὶ πέρας αὐθημερὸν εἶχε τὸ δάκρυον. οὐχ οὕτω γὰρ τοῖς ἀνθρώποις τῆς παρωχη-

oculis flumina proruperunt, luctusq; singularis populo incessit. Pro nitido cultu vestis obsoleta sumebatur. Ad mœstũ illud theatrum omnes auditio conuocabat, vt in aulam imperatoriam turmatim confluerent. Non sufficiebant pro custodib⁹ complura per vestibula oppansa peripetasmata, per quæ solis magistratibus honoris caussa introitus cõcedebatur. Tristis psalmorum cantus totam noctem continuabatur, & lucentes per tenebras lychni, spectaculum haud iucundum offerebant. Ergo à matutino, sole iam radios iaculante, cœlumq; permeante, populus quãtus quantus erat, in funus Imperatoris se effundit, eumq; prædicatione, & lachrymarum imbribus prosequitur. Multa & vna eademq; laus iã sepultura afficiendo plurimorum ore profundebatur; similiter vt fluuius aliquis multis capitibus, siue initiis manans: aut procera, & frondosa arbor compluribus, magnisq; ramis ab se prodeuntibus dispertita. Moris quippe subditorum est, immatura Principũ funera acerbè pati; eorum puta, qui probari, & ad gratiam popularem conuenienter imperitare occœperunt. Tiberio in sepulcra Imperatorũ illato, ad Mauricium Augustum custodiendum ac tuendũ omnes satellitum instar sese conuerterunt, fletusque ex vltimo Tiberij fato

μένων ἐστὶν ἀνάμνησις, ὡς ἡ περὶ τὰ παρόντα μετὰ σπουδῆς ἐπιμέλεια.

fato suscept⁹, eo ipso die exaruit. Sic enim est ingenium hominũ, non tam meminisse præterita, quam studiosè curare præsentia.

CAPVT III.

Inter Abares, & Romanos ictum fœdus ignominiosum. Chaganus elephantum spectandum, lectum aureum, & præter pactam in fœdere pecuniam, 20. millia ab Imp. poscit; fœdus rumpit.

Ἤδη δὲ τὸν τῆς ἱστορίας ὑφαίνειν ἱστὸν ἀπαρχόμενος, τούς τε βαρβαρικοὺς πολέμους ἀναγράπτους ποιούμενος, τῆς κατὰ τῶν ἀβάρων κινήσεως πρῶτα μνησθήσομαι, διά τε τὸ τῶν πράξεων προσεχέστατον, τῆς τε τάξεως τὸ προσφορώτατον. οὐκ ὀλίγα γοῦν νεανικώτερον παρ' ἐκείνων τὸ τηνικαῦτα τετόλμηται. οὖννοι δὲ ἔτι, προσοικοῦντες τῷ ἴστρῳ, ἀπιστότατον ἔθνος καὶ ἀπληστότατον τῶν νομάδων βιούντων, ἔτι πρεσβεύονται παρὰ τὸν αὐτοκράτορα Μαυρίκιον, οὐχ ἥκιστα τοῦ μεγίστου πολίσματος γενόμενοι κάτοχοι, σίρμιον δὲ τοῦτο ὠνόμαστο. ἄστυ τε περίδοξον ἦν, τοῖς ἀνὰ τὴν εὐρώπην οἰκοῦσι ῥωμαίοις περιλαλούμενον καὶ ᾀδόμενον. τοῦτο ἥλω πρό τινος βραχυτάτου καιροῦ τοῦ τὸν αὐτοκράτορα Μαυρίκιον τὰς Ῥωμαϊκὰς μετὰ τῆς πορφύρας ἐνδύσασθαι φροντίδας τῆς τῶν καισάρων ἐποχεῖσθαι καθέδρας. τὸ δ' ὅπως, μενάνδρῳ τῷ περιφανεῖ σαφῶς διηγόρευται. περὶ ὧν, οὐ μοι σχολὴ ἐπεξεργαστικώτερον τοῖς μακροῖς ἐκείνοις λόγοις ἐπεξελ-

NVnc porrò historię telam texere exorsus, bella aduersum barbaros administrata literis persequar, & motum, expeditionemque contra Abares primo loco: quando res illę rebus hactenus à me expositis continentissimæ sunt: & is ordo est commodissimus. Non pauca igitur tunc ab illis per inconsideratam temeritatẽ, & audaciam perpetrata sunt. Abares Hunni origine, Istrum accolunt gens infidissima, & auarissima omnium, quotquot vitam pastoritiam agitarunt. Hi vrbe longè amplissima potiti, ad Mauricium Augustum Legatos miserunt. Erat huic vrbi nomen Sirmium, famaque & sermone propter nobilitatẽ à Romanis Europæis celebrabatur: quam prius ceperant, paruo admodum spatio, quàm Mauricius curas Romanas vnà cum purpura indueret, solioq; imperatorio consideret. Quo eam modo occuparint, perspicua oratione, & distinctè non ignobilis auctor Menander memorauit. Ego otio non sic abundo, vt eius longitudini accuratius, & elaboratius aliquid possim

θεῖν, αὖθις δ' ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν, καὶ ποικιλικοῖς ἐπιτρίβεσθαι μώμοις. ἐπεὶ δὲ ἐν χερσὶ τὸ ἄστυ ἐγεγόνει τῶν Οὔννων, προῆλθον αἱ σπονδαὶ ὅπως ἡσυχίαν ἀσπάσοιτο τὸ πολέμιον, καὶ τὴν ἠρεμίαν φιλοσοφήσειεν. αἱ δὲ συνθῆκαι ἐπονείδιστοι ῥωμαίοις. μετὰ γὰρ τηλικούτου κολοφῶνα κακοῦ, οἷά πως ἀγωνοθέται καθήμενοι, ὥσπερ ἆθλον εὐδοξίας δῶρα λαμπρὰ τοῖς βαρβάροις παρείχοντο. ὀγδοήκοντά τε χιλιάδας χρυσῶν καθωμολόγουν ἀν' ἔτος ἕκαστον τοῖς βαρβάροις ἐγκαταβάλλεσθαι, δι' ἐμπορίας ἀργύρου τε, καὶ ποικίλης ἐσθῆτος. οὐ περαιτέρω δὲ διήρκεσαν τῶν δύο ἐνιαυτῶν αἱ σπονδαί. κατηυθαδιάσατο γὰρ ῥωμαίων, ὁ παρὰ τοῖς οὔννοις χαγάνος οὕτω λεγόμενος. φήμη δέ τις ἀμφ' αὐτὸν πρὸ τοῦ τὴν εἰρήνην διαφθαρῆναι περιεκέχυτο, ὡς ζῶα τρέφεσθαι παρὰ ῥωμαίοις, τῷ μεγέθει καὶ τῷ σώματι ἐμφανέστατα. διὸ ἐζήτησε βασιλέα, εἰς θέαν τούτων ἐλθεῖν. καὶ ψυχαγωγεῖ θᾶττον ὁ βασιλεὺς τῆς ἱστορίας τὸν ἔρωτα, καὶ δίδωσιν εἰς θεωρίαν ἐλεφάντων γενέσθαι, πέμψας ὡς αὐτὸν ἐκ τῶν παρ' αὐτῷ τρεφομένων θηρίων τὸ ἐξοχώτατον. ὁπηνίκα δ' εἶδεν τὸ ἰνδικὸν ζῶον ὁ χαγάνος ἐλέφαντα, παραυτίκα καταλύει τὸ θέατρον, καὶ παλινοστεῖν προστάττει τὸ θηρίον παρὰ τὸν καίσαρα, ἢ καταπλαγεὶς τὸ θαυμαζόμενον ἢ

addere, præclareque dicta iterum dicere, & poëticis ineptiis ea atterere obſcurareq;. Ergo vbi Sirmium in manibus Hunnorum fuit, legatione miſſa ad fœdus proceſſum eſt, vt poſitis inimicitiis paci tranquillitatique conſuleretur. Sed fœdus illud Romanis probroſiſsimum accidit. Poſt tantarum ſiquidem cladium ab illis inuectarum colophonem, ipſi velut certaminis arbitri ſedentes, barbaris dona illuſtria, quaſi quædam inclytæ virtutis præmia tribuerunt, octoginta aureorum millia in argento, variaque veſte à mercatoribus in annos ſingulos ſeſe numeraturos polliciti. Nec tamen diutius biennio fœdus ſanctũ fuit, cum ſe Princeps Chaganus (vt Hunnis appellabatur) contra Romanos ſuperbè & immodeſtè gereret. Ad cuius aures cum ante pacem violatam perueniſſet, animantes quaſdam ali apud Romanos, granditate & forma corporis viſendas maximè, Imperatorem orauit, vti eas ſpectandi copiam ſibi faceret. Is huic videndi deſiderio celeriter gratificandum ratus, elephantorum quos habebat præſtantiſsimum pro ſpectaculo ad eum mittit. Chaganus belluam Indicam intuitus, illico ceu è theatro digreditur, eamque ad Imperatorem reduci iubet. Vtrum quia admirabilitate, ac nouitate animalis per-

ἀποφαυλίσας, οὐκ ἔχω εἰπεῖν, οὐ γὰρ ἂν ἐκρυψάμην. Ἐπόχλει δὲ τὸν καίσαρα καὶ κλίνην χρυσῆν τεχνουργήσαντα ὡς αὐτὸν παραπέμψαι. ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ τοῦτον μετεώριζεν ἡ τῆς παρούσης τύχης ἀκρώρεια. βασιλεὺς δὲ τὸ δῶρον ἐξεργασάμενος βασιλικῶς, μετεπέμπετο. ὁ δὲ καταβαρβαρούμενος, πολλῷ μᾶλλον κατεβρενθύετο, οἷα περιπηλακιζόμενος τῷ ἀναξίῳ τοῦ δωρήματος. ἀπεπέμπετο δὲ παρὰ τὸν αὐτοκράτορα ὡς εὐτελές τι καὶ ἄκομψον τὴν χρυσῆν ἀλαζονικώτερον κλίνην. Ναὶ μὴν ἠξίου καὶ πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα τοῦ χρυσοῦ χιλιάσι καὶ ἑτέρας εἴκοσιν ἀν' ἔτος ἕκαστον παρὰ ῥωμαίων ἀποτίσεσθαι· καὶ δῆτα δυσαναχετοῦντος τοῦ αὐτοκράτορος, περιφρονεῖ τὰς συνθήκας, καὶ σὺν ὅρκους ταῖς αὔραις φέρειν ἐδίδου.

percelleretur: an quia id contemneret, dicere non habeo: nec enim id filerem. Negotium præterea Imperatori exhibuit de lecto aureo, quem is artificiosè confectum sibi mitteret: eo vsque enim ob præsentis fortunæ fastigium se se efferebat. Imperator donum regaliter fabrefieri curat, eique transmittit. Qui fastidio & arrogãtia præceps, multò magis fremere, vt qui muneris indignitate contumeliam accepisset, lectumque illum aureum vt rem vilem, & inelegantem ad Imperatorem per arrogantiam remittere: insuper ad octoginta illa millia alia viginti anniuersariè sibi à Romanis pendi postulare: Imperatoreq; id durius accipiente, fœdus contemnere, sacramenta iurata ventis discerpenda tradere.

CAPVT IV.

Vrbs Singidon à Chagano capitur: Augusta, & Viminacium expugnantur: Anchialus deuastatur: vici propinqui hostiliter diripiuntur. Romanorum ad Chaganum legatio.

Ἀθρόον τε τὴν πολέμῳ φίλην ἀράμενος σάλπιγγα, τὰς δυνάμεις συνήθροιζε, καὶ τὴν σιγγηδόνα τὴν πόλιν ἐξαπιναίως, ἄφρακτον οὖσαν, ἐλάμβανεν. πολεμικῶν τε ὀργάνων χηρευούσαν, διὰ τὸ ἐκ τῆς εἰρήνης ῥαθυμίαν πολλὴν ὑπερεκχεῖσθαι τῆς θράκης. ἀφύλακτον γὰρ εἰρήνη, καὶ προμηθείας οὐκ ἀνεχό-

NEc cunctatus, amicam bello tubam corripit, agmina in expeditionem euocat, vrbemq; Singidonem haud munitam, & militari apparatu destitutam, ꝙ ex pace & otio Thracia tota in socordiam, & desidiam versa esset (negligit enim custodiã pax, nec in futurum prospicit) quodque ciuium plurimi (vt in messe) foris manen-

μενον. τῶν τε τοῦ ἄστεος τοῖς πλείστοις συμπαρομαρτεῖ ἐν τοῖς αὐλιζομένοις, τῆς ἅλω τοῦτο κατεπειγούσης ποιεῖν. θέρους γὰρ ὥρα ὑπῆν. καὶ ὅσον ἀποζῆν ἐπισιτίζοντο. ἀκονιτὶ δὲ τὴν πόλιν οὐχ εἷλεν ὁ βάρβαρος, μεγίστη γὰρ συμπλοκὴ ἀνὰ τὰς πύλας συνεπεπλέκει τοῦ ἄστεος, πολλοῖς τε τῶν ἀβάρων διαφθαρῆναι συνέτυχε, καδμείαν τε τὸ τοῦ λόγου ἀποφέρεσθαι νίκην, πολλάς τε καὶ ἑτέρας ἄστει γείτονας πόλεις ληΐζεται. ταύτας δὲ ῥᾷστα, καὶ πόνων ἐκτός· ἀόρατον γὰρ ἦν τὸ κακὸν, καὶ ταῖς ἐλπίσιν ἀπαραδόκητον. ἀνελών τε αὐγοῦσταν, καὶ τὸ βιμινάκιον (πόλεις δ' αὗται λαμπραὶ ὑπὸ τὸ ἰλλυρικὸν φορολογούμεναι) παραυτίκα στρατοπεδεύεται, καὶ τὴν ἀγχίαλον περιτέμνεται· τάς τε περιοικίδας κώμας ἐδήωσε. τῶν δὲ τῶν θερμῶν ὑδάτων οἴκων οὐκ ἀναστῆσαι φασί. λόγος δέ τις ὡς ἡμᾶς ἐξεφοίτησεν, ἐνθάδε τὰ τοῦ χαγάνου ἀποκρύψασθαι γύναια, καὶ μισθὸν τῆς ἀπολαύσεως ἐκεῖνον αἰτεῖν, μὴ καταῤῥιπτεῖν τὰ τῶν ὑδάτων οἰκοδομήματα. λέγεται δὲ τὰ ὑδάτια ταῦτα τοῖς λουσαμένοις ἀγαθὸν εἶναι, καὶ εἰς ὑγείαν τούτοις συμμαχεῖν. Τριῶν δ' ἐπιγινομένων μηνῶν, πρεσβεύονται ῥωμαῖοι πρὸς χαγάνον, καὶ τὸν πόλεμον ἀπεκηρυκεύσαντο, ἐλπίδιον ἐκπέμψαντες, ἄνδρα ἐς συγκλήτου βουλὴν ἀναγόμενον, τῆς τε σικελίας ἡγεμονεύσαντα, καὶ τῶν τοῦ πραίτωρος ἐπιβάντα βημάτων. ἀρχὴ δέ τις αὕτη παρὰ ῥωμαίοις οὐκ ἄκομψος. ξυ-

manentes, quantum vitæ tolerandæ sufficeret, frugum sibi demetẽdo colligerent, subitò, quãquam non citra laborem capit. Nam intra portas acerrimè pugnatum est; Abares obtruncati magno numero, & Cadmea, vt dicitur, reportata victoria. Alias item non paucas, & huic vicinas deprædatus est; & quidem minimè operosè: improuisum siquidem ac neutiquam exspectatum malum veniebat. Augusta, & Viminacio ad Illyricum pertinentibus in potestatẽ adductis, mox Anchiolum infesto exercitu profectus, eius agrum, & vicos circumiectos populationibus, & incendiis deformauit. Thermarum ædificiis pepercisse audiuimus, quod eius concubinæ ibi laterent, istamque commercij cum eo sui gratiam peterent. Ferunt aquulas istas lauantibus ꝓficere, & ad corporis sanitatem conducere. Tribus mensibus elapsis, Romani ad Chaganum oratores mittunt, bellum deprecantes. Vnus erat Elpidius, imperialis senator, Siciliæ prætura functus: qui magistratus apud Romanos in honore est. Huic Elpidio collegam addunt Comentiolum, de custodibus imperatoris præcipuũ, Latini Scribonem dicunt. Anchialum igitur

νωρμήκεσαν δ' αὐτῷ καὶ κομεντίολον, ἄνδρα τῶν σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως ὑπερφερόμενον, ὃν σκρίβωνα τῇ λατινίδι φωνῇ ῥωμαῖοι κατονομάζουσιν. ἧκον γοῦν ἄμφω παρὰ τὸν χαγᾶνον ἐπὶ τὴν ἀγχίαλον. καὶ περὶ σπονδῶν ἠξίουν ὡς προσετάχθησαν, τοῦ δὲ μὴ μετελοπαθοῦντος ἐπὶ τοῖς ἀδικήμασιν, ἀλλὰ καὶ προσαπειλοῦντος αὐθαδικώτερον, τὰ λεγόμενα τείχη καθαιρήσειν μακρὰ, καὶ τοῦ μὲν ἐλπιδίου ὑποχαλοῦντος τοῖς λόγοις, καὶ οὑτωσὶ θεραπεύοντος οἰδαινόμενον φρύαγμα, κομεντίολος μεγαλοφρόνως τὴν τῆς γλώττης εὐφυΐαν ἐπεδείκνυτο. τήν τε ῥωμαϊκὴν ἐλευθερίαν, δίκην σώφρονος δεσποίνης τινὸς ἄχραντον θαλαμεύων, καὶ μὴ διαφθείρων μοιχικαῖς κολακείαις, τῶν ἀξιολογωτέρων τῶν ἀβάρων ἅμα τῷ χαγάνῳ παρόντων, τοῖς δε προσεχρήσατο ῥήμασιν.

tur ad Chaganum venientes Legati, vti in mandatis habebant, de fœdere conseruando rogabant. Cum is in inferenda iniuria nihil mitesceret; sed superbius etiam minitaretur, se longum murum, qui nominatur, disiecturum, & Elpidius ei tacens concederet, itaque tumentem hominis fastum sustineret, Comentiolus excelsa mente ingenuitatem linguæ suæ demonstrans, Romanamq; libertatem velut pudicam dominam in thalamo custodiens, nec eam mœchicis adulationibus constuprans, audiente Chagano & proceribus, huiuscemodi verbis locutus est.

CAPVT V.

Liberior, & minacior Comentioli apud Chaganum, eiusq; optimates oratio, cum prædicatione Romanorum eximia.

Ἐδόκουν σε ῥωμαῖοι, χαγᾶνε, τούς τε πατρῴους θρησκεύειν θεοὺς, καὶ τοὺς ἄλλους τῶν ὅρκων αἰσχύνεσθαι, καὶ δεξιὰς καὶ συνθήκας μηδαμῶς ἀποσείεσθαι, μηδὲ τὸν τῆς εἰρήνης ἄξονα διὰ σοῦ καταβάλλεσθαι. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ δώρων βασιλικῶν μεμνῆσθαι πολλῶν, καὶ φιλοφροσύνης ῥωμαϊκῆς, καὶ τῆς περὶ τοὺς σοὺς προγόνους εὐεργεσίας, ταὐτὸν δὲ φιλοξενίας

« Credebant Romani, Chagane, te patrios deos colere, & alios item iurisiurandi præsides reuereri, dextrasq;, & pacta conuenta nequaquam vili pendere, neque pacem per te turbatum & euersum iri: sed & donorum, quę ab Imperatoribus multa tulisti, &, quam expertus es, Romanorum humanitatis, ac beneuolentiæ meminisse, collataque in maiores tuos merita, hospitalitatē-úe nun-

" εἰπεῖν, ἐπιλήσμονα μὴ γεγενῆσθαί
" ποτε, μήτε δι' ἑτέρων τῶν ὑπὸ σοῦ τε-
" ταγμένων ἀδικούντων ῥωμαίους ἀνέ-
" χεσθαι· πρέπει γὰρ τοὺς ἡγεμόνας σω-
" φρονεστέρους τῶν ὑπηκόων καὶ εἶναι,
" καὶ ὀνομάζεσθαι, ἵνα ὅσον τῷ κράτει
" ὑπερέχωσι, τοσοῦτον καὶ τῇ ἀρετῇ
" διενέγκωσι. τοιγαροῦν διὰ τὴν ἐκ τῆς
" εἰρήνης εὔνοιαν ἀμνημονοῦσι ῥωμαῖοι
" τῶν ὑπὸ σοῦ προυπηργμένων δεινῶν,
" καὶ πολλῶν ἀδικημάτων γεγόνασιν
" ἐπιλήσμονες, καὶ φιλανθρωπίᾳ
" πάντων τῶν ἐθνῶν διαφέροντες, οὐ
" πρὸς ὄρεξιν ἀντιλυπήσεως κεκινήκα-
" σιν ὅπλα. τὴν γὰρ ἐς ὕστερον ἠρεμί-
" αν, τῶν ἔμπροσθεν ἀδικημάτων νε-
" ανικώτερον ἐγχειρηθέντων περὶ πολ-
" λοῦ ἐπεποίηντο, χαίρειν φράσαντες
" ταῖς ἀντιδόσεσιν. ἐπεὶ δὲ πάντα σοι
" παρῶπται τὰ πρὸς καλοκαγαθίαν
" ὁρῶντα, καὶ δίκης ὄμμα τυφλὸν καὶ
" πόδες προνοίας χωλεύουσιν, ἀμοι-
" βὴν ἀξίαν τοῖς βεβιωμένοις ἀντιμε-
" τρεῖν οὐ δυνάμενοι, θεὸς δέ σοι τὸ
" βούλημα, ὅποι καὶ θέλει φερόμενον,
" οὐκ ἐπιλήσονται ῥωμαῖοι τῆς ἑαυτῶν
" ἀρετῆς. ἀλλὰ καὶ μέγιστον κομιδῇ κα-
" τὰ σοῦ συστήσονται πόλεμον, καὶ φό-
" νον πολὺν χειρουργήσουσι. προσηνέ-
" στερος γὰρ αὐτοῖς τῆς εἰρήνης ὁ πό-
" λεμος, ὅτι μὴ τὴν ἡσυχίαν ἀσπά-
" σοιτο τὸ πολέμιον. τί γὰρ ῥωμαίων
" τῶν πώποτε γῆς εὐκλεέστερον ὑπὲρ
" ἐλευθερίας ἀθλούντων, καὶ δόξης,
" καὶ πατρίδος, καὶ παίδων; εἰ

úe nunquam non infixam in animo habiturum; nec passurum à tuis vllum Romanis maleficium importari. Aequũ est enim Principes iis, quibus iura & leges dãt, moderatiores & esse, & nominari, vt quantum iis amplitudine imperij antecedunt, tantũ quoque virtutis eminentia antecellant. Quapropter ob initam ex pace composita amicitiam, Romani calamitatum abs te sibi illatarum memoriã ponunt, multaque præter ius & fas in se commissa, voluntaria obliuione obruunt. Et quoniam humanitatis laude inter omnes gentes principatum tenent, vindictæ desiderio arma mouere noluerunt, pacemque consecutam detrimentis superioribus per insolentiam vestrã inuectis opponentes, mala malis compensanda non putarunt. Quia verò cum probitate rationem nullam habere vis, & oculus iustitiæ cæcus est, pedes prouidentiæ claudicant, vt factis tuis dignũ reddere pretium nequeant, & cupido tua tibi Deus fit, agens te quò lubet, Romani virtutem pristinam in pectus reuocantes, longè durissimum aduersus te bellum consensu comparabunt, magnas strages edent; vtpote quibus arma, hostibus quiescere detrectantibus, quam pax iucundiora sunt. Qui enim populus, quæ gens in orbe terrarum fuit vnquam Romanis pro liber-

γὰρ ὄρνισιν εὐτελεστάτοις ἴσον ὑπὲρ τοῦ μὴ ἡττηθῆναι ἑκάτερον, μήτε εἶξαι θατέρῳ τὸν ἕτερον, πόλεμος καρτερὸς καὶ μανιώδης ἐστὶ παράταξις, τί δῆτα ἀνθρώπους οἴει, καὶ ῥωμαίους, ἔθνος τε μαχιμώτατον, καὶ βασιλείαν ὀνομαστοτάτην; ἧς οὐ ῥᾴδιον καταφρονεῖν, εἰ μήγε μόνον αὐταῖς ταῖς ἐναρχαῖς. μὴ τοίνυν μεγαλαύχει ἐπὶ τοῖς κακῶς διαπεθεῖσι καὶ ἀπίστως τὸ τήμερον· ἐπὶ γὰρ τοῖς κατορθωμένοις τὸ μέγα φρονεῖν, ἴσως ἐπαινετόν· τὸ δ' ἐπὶ κακίᾳ βρενθύεσθαι, ἐν ὕβρεως μοίρᾳ, οὐκ ἐν εὐκλείᾳ προσήκει χαρακτηρίζεσθαι. μεγάλα σοι τὰ πρὸ μικροῦ τῆς ἀγνωμοσύνης ἀνδραγαθήματα· ἀλλὰ μεγίστη καὶ Ρωμαίων ἡ δύναμις, ἥτε τοῦ καίσαρος ἐπιμέλεια, καὶ τῶν ὑποφόρων ἐθνῶν τὸ ἐπίκουρον, ἥτε τῶν χρημάτων ῥοπὴ, τό τε τῆς θρησκείας παρὰ πάντα τὰ τῆς οἰκουμένης ἔθνη εὐσεβέστατον, καὶ διὰ τοῦτο καὶ δυνατώτατον. οἷς ἀντιστρατεύειν μόνον ἠθέλησας, τοῦ δὲ ὅπως ἂν εἴη, ἠμέλησας· ποίους δὲ καὶ παρὰ τοῖς ὁμόροις ἔθνεσιν εὐδοξίας χαρακτῆρας ἀποίσῃ, Ρωμαίοις ἀγνωμονῶν; ἢ τί σοι λοιπὸν ἐνέχυρον πίστεως καταλέλειπται; οἱ σοῦ παρά σου παροινοῦνται θεοί· ὅρκοι βιάζονται, σπονδαὶ καταλέλυνται· εὐεργέται πάσχουσι κακῶς ὑπὸ σοῦ· οὐ πείθουσι δῶρα δύναμιν ἀδέσιμον ἔχοντα. ἔασον ἡμᾶς ἠρεμεῖν.

libertate, pro gloria, pro patria, " pro liberis decertantibus illu- " ſtrior? Nam ſi volucres quædam " vilisſimæ ne vincantur, neúe ce- " dant inuicem, validè furenterq; " confligunt; quo tu animo tan- " dem homines, & Romani gene- " ris ac ſeminis homines fore ar- " bitraris, gentem bellicoſisſimã, " & imperium omnium linguis ce- " lebratum, quod (niſi in ipſa ori- " gine, & infantia ſua) haud ali- " quando cõtemni potuit? Quare " ob ea quæ ad hanc diem impro- " bè, contraque fidem deſignaſti, " non eſt quod te iactites. Propter " rectè facta ſibi placere, laudi for- " taſſe dabitur: at in vitio ſe ma- " gnificè circumſpicere, ſuperbiæ, " non honori & gloriæ adſcriben- " dum eſt. Nobilia tu quidem non " multò antehac, & iniqua facino- " ra feciſti: ſed maximæ etiam ſunt " Romanorum vires, maxima Im- " peratoris diligentia, maxima " ſubiectarum illi gẽtium auxilia. " Huc accedit præſentis pecuniæ " commoditas, & ſacrorum, vt " nuſquam, religioſisſimæ ſanctiſ- " ſimæque cærimoniæ. Quamob- " rem officere illis potentia nulla " poteſt. Hos tu oppugnare tan- " tummodò vis; quò autem res e- " uaſura ſit, non curas. Qualem " porrò apud finitimas gentes no- " mini tuo maculam inures, ſi te in " Romanos ingratum iniuſtumq; " præbeas? Aut quodnam fidei " tuæ pignus eſt reliquum? Dij tui abs te læduntur: ſuſceptum ſa- "

» μὴ τὴν σὴν εὐκαιρίαν πρὸς κα-
» κὴν ἀδολεσχίαν μετάβαλε, καὶ τοὺς
» μηδὲν ἠδικηκότας, μόνον δὲ διὰ τὸ
» γείτονας εἶναι, λυμαίνειν πειρώμενος.
» αἰδέσθητι πρὸ τῆς σῆς κορυφῆς τὸ
» Ρωμαϊκὸν τουτὶ καὶ ἡμέτερον ἔδαφος·
» τοῦτο σοι σωτήριον γέγονε. καὶ μετα-
» νάστην ἠγκαλίσατο, καὶ ξένον, καὶ
» ἔπηλυν εἰσῳκίσατο, ὅτε τῆς ἕω, τοῦ-
» τε ἀρχεγόνου φύλου ὁ σὸς ἀπόδασμος
» ἀπερρωγὸς διεσχίζετο. μὴ τὸν καλὸν
» τῆς φιλοξενίας διαλύσῃς θεσμόν, καὶ
» κατείπωσι φιλανθρωπίας οἱ ἄν-
» θρωποι, καὶ διδάξεις τοὺς ἀκούοντας
» καὶ αἰτίαν κακῶν βδελύττεσθαι τὴν
» ἀσέβειαν. εἰ δὲ καὶ χρημάτων ἐρᾷς,
» ἤδη σοι τοῦτο παρὰ Ρωμαίοις διήνυ-
» σται. φιλότιμον γὰρ τὸ ἔθνος, καὶ θη-
» σαυρὸς αὐτοῦ τὸ μεγαλοπρεπές, καὶ
» φιλόδωρον. ἔστι δέ σοι καὶ γῆς εὐρεῖα τε,
» καὶ πολλῷ τῷ μήκει τὴν ἐπίδοσιν ἔ-
» χουσα· ὡς μήτε στενοχωρεῖσθαί ποτε
» τοὺς οἰκήτορας, μήτε θρύψεως ἀπο-
» ρεῖν τοὺς ἐπιβαίνοντας. ἐπάνηκε τοί-
» νυν ἐπὶ τὴν σὴν γῆν, ἣν καὶ σοὶ Ρω-
» μαῖοι πεφιλοτίμηνται, καὶ περαιτέ-
» ρω τῶν σῶν ὅρων τὴν σὴν μὴ μετο-
» χέτευε δύναμιν. οὐδὲν γὰρ ἀδική-
» σουσιν ἄνεμοι, εἰ καὶ ῥαγδαίως ἐπι-
» φοιτήσωσι, δένδρον εὐσθενὲς καὶ με-
» τάρσιον, ὧπερ ἡ κόμη πολλή, στερρόν τε
» τὸ πρέμνον, ἔμβιοί τε αἱ ῥίζαι, ἀμφι-
» λαφές τε τὸ σκίασμα, ὅπερ διατρέ-
» φουσιν ὧραι καὶ ὕδωρ ἢ τοῖς ὀχετοῖς

cramētum violatur: fœdus frangitur; de bene meritis malè mereris; dona, quorum est veneranda efficacitas, tibi non persuadent. Patere nos quiescere; néue opportunitatem tuam ad occupationem non bonam, iis qui nulla in re tibi obfuerunt, nisi quòd vicini sunt, nocere attentans, transferre velis. Age, præ amplitudine tua Romanū hoc, & nostrum solum reuerere. Hoc tibi salutare fuit, exulem complexum est, peregrinumque & aduenam sedibus recepit, quando ab oriente, & à primigenia gente vestra portio tua vt fragmentum diuulsum, ac diuisum est. Noli præclaram hospitalitatis legem infringere, & vagabitur latissimè humanitas tua, docebitque audientes exemplo tuo impietatem malorum fontem & caput detestari. Quòd si te pecunia delectat, iam ea tibi à Romanis parata est, qui honoris sunt auidi, magnificentiamque, & liberalitatē pro thesauro habent. Tenes tu porrò terram latam, & admodum longam insuper, qua neque coarctentur indigenæ, neque ad vitam mollem & delicatam requisitis egeant. Quocirca in tuam regionem tibi à Romanis donatam regredere; vltra fines tuos exercitum mitte educere. Nihil enim ventorum impetus incommodabit arbori ro-
» bustæ, excelsæ, frondosæ, cuius truncus validus, viuida radix, ampla

καταῤῥοῦν, ἢ τοῖς ὑετοῖς οὐρανόθεν περιλιμνάζοντε, καὶ πιαίνον. οἱ δὲ καὶ ἀκόλαστον πόδα περαιτέρω τῶν οἰκείων ἐκτείνοντες, μετά τινος ἐνδίκου ποινῆς, ὀψέποτε φιλοσοφήσουσι, τὴν αἰσχύνην ἀνιαρωτέραν τῶν παθημάτων φέρειν οὐκ ἔχοντες.

ampla inumbratio, quam anni „ tempestas, & vel riuo deductæ, „ vel de cœlo circum stagnantis a- „ quæ humor nutrit, ac pinguefa- „ cit. Qui autem trans fines suos „ proteruè pedem transtulerint, „ cum iusta pœna serò tandem sa- „ pient, vbi dedecus, ipso damno „ tristius ferre non poterunt. „

CAPVT VI.

Chaganus excandescit: Comentiolum punit atrocius. Alia ad Abares legatio. Viginti aureorum millia ad priora octoginta spondentur.

Ἐπεὶ δ᾽ ὁ μέγας οὗτος διεπεράνθη τοῖς ῥήμασιν ἔλεγχος, ἀνάζεσις αἵματος μέγαν τῷ χαγάνῳ θυμὸν ἐπεκύμανε. τό τε πρόσωπον ἅπαν ὑπὸ τῆς ὀργῆς ἐφοινίσσετο, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν ὑποκροκαινομένων τῇ φλογὶ τῆς ἀνοίας, δῆλος ἦν τε τοῦ σχήματος ὑποδηλοῦντων, ὅτι μὴ τῶν πρέσβεων φείσεται· τῶν τε ὀφρύων ἐς μέγα ἐξανισταμένων, καὶ μικροῦ δεῖν τῶν μετώπων ἀπολυσῶν ὑπερίπτασθαι μέγιστος ἀπῃώρητο τῷ κομεντιόλῳ ἐκ τῆς διαλέξεως κίνδυνος. Τὴν γὰρ τῶν πρέσβεων ὁ βάρβαρος διαφθείρας αἰδῶ, δεσμοῖς τὸν κομεντίολον ἠτίμωσεν. ἐν εἱρκτῇ τε ξύλων ποδοκάκῃ τοὺς πόδας ὑπέθλιβε· τό τε σκηνοπήγιον διέῤῥηξε τὸ τοῦ πρέσβεως. κἀντεῦθεν ἐπιχωρίῳ νόμῳ τινὶ ζημία θάνατος ἦν ἀπολούμενος. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ τὰ τοῦ θυμοῦ κατηυξάνετο. λόγοις τε πιθανοῖς παρηγοροῦντο οἱ τῶν ἀβάρων δυναστ

VT primùm finita est ista verborum acerbior castigatio, Chagano sanguis efferuescere, & magnos irarum fluctus in pectore excitare; vultus totus rubescere, oculisq; præ furore scintillantibus; & immodicè arrectis, ac propemodũ supra frontem sublatis superciliis, toto deniq; habitu subindicare, non sic abiturũ Legatis, & Comentiolo propter orationem pronuntiatam periculum grauissimũ denuntiare. Spreta enim, & abiecta Legatorum reuerentia, barbarus illum in carcerem abduci, pedes eius cippo cõstringi, tabernaculumque discindi iussit: quo indicio cuipiam pœna mortis, lege prouinciali exspectãda intelligebatur. Die postero, augescente ira primores Abarum oratione ido-

τώτατοι τὸν ἡγεμόνα, ὑποπείθοντες, ὅπως μὴ δογματίσοι κομεντιόλου τὸν θάνατον. καὶ πείθουσι μέχρι τῶν δεσμῶν ἀποχρήσειν ἀδικείας τοὺς πρέσβεις. ἐπινεύσας γοῦν ὁ χαγάνος, ἠτιμωμένους ὡς βασιλέα ἐξέπεμπεν, σωτηρίαν οὐ προσδόκιμόν σφισιν αὐτοῖς δωρησάμενος. τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους πάλιν ὁ ἐλπίδιος ἐπὶ τῇ αὐτῇ πρεσβείᾳ χειροτονηθεὶς, ἀποστέλλεται. καὶ ὡς τὸν χαγάνον γενόμενος, ἐξῄτει πρεσβευτὴν ἅμα αὐτῷ ἐς βασιλέα γενέσθαι, ὅπως ἀναζωπυρήσειε τὰς σπονδάς· καὶ εἴκοσιν ἑτέρων χιλιάδες χρυσῶν ταῖς συνθήκαις εἴησαν ἐπαυξήματα. ὁ δὲ χαγάνος τοὺς λόγους εἰσεποιήσατο, Ταργίτιόν τε τῷ τῶν ἀβάρων φύλῳ ἄνδρα περίβλεπτον ὡς τὸν καίσαρα σὺν ἐλπιδίῳ παρέπεμπεν. ἧκον δ' ἄμφω ἐς βασιλέα, ῥῆτρά τε, καὶ ὁμολογία ἐγίνετο ἢ μὴν εἴκοσι χιλιάδας πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα καταθεῖναι Ῥωμαίοις χρυσῶν, ἢ πόλεμον ἀντιλαμβάνειν παραμελήσαντας. τοιγάρτοι αἱ συνθῆκαι δοκοῦσί πως ἀναθάλπεσθαι, καὶ ὁ πόλεμος ἐκεχειρίαν ἐλάμβανε μετά τινα δὲ βραχεῖαν χρόνου ῥοπὴν, ἡ τῆς εἰρήνης εὐεξία νοθεύεται, καὶ πάλιν Ῥωμαίοις τὸ τῶν ἀβάρων ἐπιτίθεται φῦλον. ἀλλ' οὐκ ἀναφανδὸν, ῥαθυμότερον δέ πως καὶ δολερώτερον.

nea Principem mitigāt, monentes, ne supplicium capitis in Comentiolum decernat, persuadentesq; Legatos in vincula dūtaxat traditos, satis ei pœnarum persoluisse. Annuit Chaganus, & hac ignominia multatos, ac salute quam non sperabant donatos, ad Imperatorē remittit. Anno insequenti Elpidius iterum ad eundem missus, Legatum vnà secum super fœdere instaurādo, & aliis viginti aureorum millibus priori summæ addendis remitti precatur. Chaganus petitionem haud aspernatus, Targitium, hominē inter Abares spectatissimum cum Elpidio ad Imperatorem legat. Decidunt, statuuntq;, vt Romani vicenis millibus summam priorem cumulent: ni faxint, bellum habeant. Hac ratione fœdus recreari, ac refoueri aliquo modo visum est, & ab armis cōcessa vacatio. Breue tempus intercedit, bonaque habitudo, & tāquam sanitas fœderis corrumpitur, Romanosq; Abari non illi quidem manifestè, sed inertius quodammodò, ac dolosius adoriuntur.

CAPVT

CAPVT VII.

Sclauorum ad longum murum hostilis progreßio, & in iis cædendis fugandisq́ Comentioli ducis memoranda virtus.

Τὸ γὰρ τῶν σκλαβηνῶν ἔθνος ἐπαφίησι, καὶ πλεῖστα τῆς ῥωμαίων γῆς ἀποκείρεται, καὶ τῶν μακρῶν μέχρι καλουμένων τειχῶν οἷα δὴ ἅλλοντες, ἀθρόον προσβαλόντες ταῖς ὄψεσι, πολὺν ἀπεργάζονται φόνον, διὸ καὶ δεδιὼς βασιλεὺς, τὰ μακρὰ διεφρούρησε τείχη καὶ τὰς περὶ αὐτὸν τῶν στρατευμάτων πλήθυς ἀπεξῆγε τῆς πόλεως. ὥσπερ ἀξιολογώτατον ἔρυμα περὶ τὸ ἄστυ αὐτοσχέδιον μηχανώμενος. Τότε δὴ τότε κομεντίολος, οὐκ ἄκομψον ταξιαρχίαν πιστεύεται. κατὰ δὲ τὴν θρᾴκην ἐπιὼν, ἀπελαύνει τῶν σκλαβηνῶν πλήθη. ἀφικνεῖται δὲ καὶ κατὰ τὸν ἐργινίαν, οὕτω καλούμενον ποταμὸν, καὶ ἀδοκήτως ἐπὶ τοῖς σκλαβηνοῖς καὶ καρτερῶς ἐπιτίθεται, καὶ θάνατον πολὺν τοῖς βαρβάροις ἀπεχεδίασε. Διά τοι τοῦτο καὶ στρατηγὸς ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος αὖθις χειροτονηθεὶς ἀποστέλλεται, καὶ ῥωμαϊκαῖς ἀξίαις λαμπρύνεται, τήν τε τοῦ πραισεντίου τὴν παρὰ ῥωμαίοις λεγομένην ἔνοπλον ἡγεμονίας τιμὴν ἀποφέρεται. εἶτα παρελόντι τῷ θέρει, τὰς ῥωμαϊκὰς συναθροίσας δυνάμεις, ἐπὶ τὴν ἀδριανοῦ πόλιν φοιτᾷ καὶ συντυγχάνει ἀνδραγάστῳ, ἐπισυρομένῳ πλήθη σκλαβηνῶν πολλὰ, ἄγρας τε αἰχμαλώτων ἀξιολογωτάτας, καὶ λείας λαμπράς. Διανυκτερεύσας

NAM Sclauini (siue Sclaui) ab ipsis submissi ac subornati, impressione facta Romanæ telluris partem latissimam occupant, & vsque ad murum longum, vt vocatur, confertim prosilientes, grassantesque, funera multa faciunt. Quare etiam timens Imperator, murum custodit: quas apud se habebat cohortes ex vrbe educit: & circum Christopolim tumultuariè veluti vallum ac tutamentum inprimis eximium molitur. Comentiolo tum præfectura militaris, honestum sanè munus iniungitur, qui Slauis per Thraciam instans, eos pellit. Deuenit autem ad fluuium Erginum vocabulo, ibi de improuiso in illos facto impetu, complures extemplò mactat. Qua de caussa ab Augusto Imperator dictus, rursum in hostes mittitur, Romanisque dignitatibus illustratur, & quam Romani Præsentis nominant (is honor est ducum militiæ) ea condecoratur. Deinde reliqua æstate, congregatis Romanorum copiis Adrianopolim contendit, atque in Andragastum incidit, quem ingens Sclauorum caterua cum opima præda, captiuorumque selectissimorum numero sequebatur. Exacta illic nocte,

τε ὄρθριος ἧκε πλησίον Ἐνσίνου τοῦ φρουρίου, καὶ γεννικῶς τοῖς βαρβάροις συμπλέκεται. τὸ δὲ πολέμιον πρύμναν τε ἐκρούσατο, καὶ ἐς φυγὴν ἐξωθεῖτο, καὶ τῆς ἀστικῆς αὐτῆς ἀπελαύνετο, λευκήν τε τοῖς αἰχμαλώτοις ἡμέραν ἀνέσχε τὸ Ῥωμαϊκὸν ἀνδραγάθημα. ὁ δὲ στρατηγὸς ἐπαιώνισεν ἐπινίκιον, καὶ τρόπαιον ἐνιδρύσατο.

mane ad castellum Ensinum graditur, & cum barbaris prælio generosè dimicat. Illi paulatim cedunt, & Astice tota expelluntur; fuitque captiuis dies ille ob virtutem Romanorum candidus. Dux epinicion cecinit, ac trophæum erexit.

CAPVT VIII.

Fœdus à Chagano iterum pessundatur. Caussa Bocolabras quidam magus, Scytha genere. Targitius Chagani Legatus in insulam relegatur. Vrbes Romanorum subiguntur.

ΜΕτοπώρου δ' ἀρχομένου, πάλιν οἱ βάρβαροι τὰς συνθήκας διέχεον, τήν τε ὁμαιχμίαν εἰς τὸ φανερὸν ἀνδραποδίζονται, λέξω δὲ τὴν αἰτίαν, οὐδ' ἀναίνομαι. σκύθης ἀνὴρ Βοκολαβρᾶ τὴν ἐπωνυμίαν περιαγόμενος. εἰ δέ τις καὶ τῆς προσηγορίας τὸ σαφέστατον ὑπογλίχη μαθεῖν, παραυτίκα πρὸς τὴν ἑλλάδα φωνὴν μετοχετεύσω τὸ ὄνομα. μάγον ταυτὸν δὲ φαίην ἱερέα τὴν τῶν σκυθῶν ἐπὶ τὴν ἑλληνίδα μεταμορφοῦντας φωνήν, τῆς ἑρμηνείας τευξόμεθα. οὗτος ἔδρα τὸ τηνικαῦτα καιροῦ φιλοκίνδυνον τόλμημα. παρευνάζεται γὰρ ἑνὶ τῶν τοῦ χαγάνου γυναίων, ἡδονῇ τε βραχείᾳ δελεασθεὶς, εἰς μεγάλας ἄρκυς θανάτου ἑαυτὸν ἐμπέπηχεν. ὑποτοπάσας δὲ μή που τὸ κακὸν φωραθείη, καὶ περίβλεπτον ὠδίνοι τὸν ἔλεγχον, ὑποπείσας ἐκ τῶν ὑπηκόων γηπαίδων ἄνδρας ἑπτὰ τὴν φυγὴν ἐπὶ τὸ ἀρχέγονον ἐπεποίητο φῦλον.

AVtumno ineunte, barbari fœdus de integro temerant, belliqùe societatem apertè abiiciunt & aspernantur. Caussam huius rei explanare non pigebit. Fuit homo Scytha, Bocolabras vulgò dictus: cuius vocabuli planissimam significationem siquis requirit, sciat id græca lingua sacerdotem magum sonare. Hic per id tempus facinus ausus est periculosissimum. Cum vna enim amicarum Chagani stuprum fecit, breuique voluptate inescatus, in magna mortis retia se inseruit: ac metuens, ne rescitum flagitium crudele sibi supplicium pareret, persuasis septem de subiectis sibi Gepidis, cum iis in fugam ad gentem auitam sese tradidit. Sunt autem Hunni, habitan-

Οὖννοι δ' εἰσί, προσοικοῦντες τῇ ἕῳ, Περσῶν πλησιόχωροι, οὓς καὶ Τούρκους ἀποκαλεῖν τοῖς πολλοῖς γνωριμώτερον. καὶ οὖν διαπορθμευόμενος τὸν Ἴστρον, ἐπὶ τὴν Λιβιδίνων πόλιν φερόμενος, ἁλοὺς ὑπό τινος τῶν Ῥωμαϊκῶν ἡγεμόνων, τῶν ἐς φρουρὰν συντεταγμένων τοῦ Ἴστρου, τό, τε γένος ἐδήλου, καὶ τὰς πάλαι διατριβάς, καὶ τὴν ἐντεῦθεν ἐπελαύνουσαν ἡδονήν. ἐπεὶ δὲ πιθανὸς ἐδόκει τῇ διηγήσει τοῦ ἀτυχήματος, παρὰ τὸν αὐτοκράτορα ὑπὸ τοῦ ἡγεμόνος παραπέμπεται· κἀντεῦθεν ἐδόκουν αἱ Ῥωμαϊκαὶ σπονδαὶ διασχίζεσθαι, καὶ παραγυμνοῦται ὁ πόλεμος, ἔπι Ταργιτίου τοῦ βασιλικοῦ ἐπιβαίνοντος ἄστεος ἐν πρέσβεων μοίρᾳ, καὶ τὸν ἐγκύκλιον πλοῦτον παρὰ Ῥωμαίων ὑποθερίζοντος, ὃν αἱ συνθῆκαι τῷ χαγάνῳ ἀν' ἔτος ἐβλάστανον ἕκαστον· τοῦτό τοι καὶ βασιλέα, οὐκ ἀπὸ τρόπου πρὸς ὀργὴν ὑπηρέθιζεν, οὐχ ἥκιστα φενακίζεσθαι ὑπὸ τῶν Ἀβάρων διανοούμενον· τοῦ μὲν ἐξαιτοῦντος τὸν ἐγκύκλιον πλοῦτον, καὶ τὰς εἰρηναίας προσόδους· τοῦ δὲ μὴ ἀτρεμοῦντος, ἀλλὰ τὴν εὐρώπην δῃοῦντος, καὶ ἀναστάτους ποιουμένου τὰς πόλεις. ἐξοστρακίζεται γοῦν ὁ Ταργίτιος ἐπὶ τὴν χαλκίτιδα νῆσον, ἐπὶ μῆνας σκληραγωγούμενος ἕξ. καὶ μέχρι τούτου ὁ τοῦ βασιλέως θυμὸς ὑπεφλέγμαινεν. ἠπείλει γὰρ καὶ θάνατον κατὰ τοῦ πρέσβεως δογματίζεσθαι. οἱ δ' ἀμφὶ τὸν χαγᾶνον τῶν τε Σκυθῶν, καὶ Μυσῶν τοὺς περιοίκους ἐλυμήναντο πάντας, εἷλόν τε πόλεις πολλάς, τήν τε Ῥατιαρίαν,

bitantes in oriente, Perſarum vicini, quos multi vſitatiore vocabulo Turcas nuncupant. Iſtrum ergo traiiciens, & in vrbem Libidinum delatus, atque à quodam è ducibus Romanis, ad Iſtri cuſtodiam conſtitutis interceptus, genus, & vetus ſtudium ſuum, voluptatemque ob quam fugeret indicauit. Cum de infortunio ſuo narrare probabilia videretur, à duce ad Imperatorem trãſmittitur. Atque hinc exiſtimatum eſt, fœdus Romanum turbari, & bellum aperiri cœptũ, cum interim Targitius in vrbem imperatoriam pro Legato veniens, pecuniam anniuerſariam ex fœdere Chagano pendendam exigeret: id quod Imperatorem non immeritò ad iram ſubextimulabat, qui ſe Abaris manifeſtiſsimo eſſe ludibrio cerneret: hoc (Targitio ſcilicet) penſionem annuam, pacalesque redditus poſcente: illo (Chagano videlicet) non quieſcente: ſed Europam lacerante, & vrbes euertente. Relegatur itaque in Chalcitidem inſulam Targitius, & ad menſes omnino ſex durius tractatur. Eo vſque Imperatoris ira feruebat in Legatum, cui pœnam capitalem erat comminat⁹. Chaganus porrò Scytharum Mœſorumque finitimos omnes circumquaque vexabat, multasque vrbes, Ratiariam,

καὶ Βονώνειαν, καὶ Ἀκὺς, καὶ Δορόςυλον, καὶ Σαλδαπὰ, καὶ τὰ Πανασὰ, καὶ Μαρκιανούπολιν, καὶ Τρόπαιον. πράγματα δέ οἱ πολλὰ παρεῖχεν ἡ ἐγχείρησις. οὐ γὰρ ἀνιδρωτὶ, καὶ ἀπεριμερίμνως ταῦτα παρεςήσατο τὰ πολίσματα, καί τοι μεγάλας ἐπικουρούσης ἐπιπνοίας αὐτῷ τῆς ἀθρόας ἐπιφοιτήσεως, ἥ τις ἐς τὰ μάλιςα ἀνανταγώνιςον κακὸν τῇ ῥαθυμίᾳ κατέχεται. βασιλεὺς δὲ Κομεντίολον ςρατηγὸν ἀνίςησι, καὶ τῆς πάσης ἡγεμονίας κηδεμόνα τουτονὶ προεςήσατο.

teriam, Bononiam, Acys, Dorostylum, Saldapa, Pannasa, Martianopolim, Tropæum subigebat. Cæterùm nō leue negotium illi facessiuit oppugnatio, nec absque sudore, sollicitudine, ac diligentia hæc oppida obtinuit; quanquam frequens accessus, ad suos (quæ res socordiæ calamitas est insuperabilis) multum ei velut aspiraret, & opem atque subsidium afferret. Imperator Comentiolum excitat, eumque ex asse ducem exercitus legit.

CAPVT IX.

Transitus ad res Persicas. Romanorum cum Persis ad Nymphium flumen aduerso Marte congressus.

Ἀλλ' ἐπεὶ περί γε τῶν Οὔννων τῶν πρὸς τῷ Ἴςρῳ βιούντων τὰ προαύλιά μοι τῆς ἱςορίας γεγένηται, ἄγε δή, ἄγε καὶ τὰς περσικὰς πράξεις, τῇ τῆς διηγήσεως ἀνατινάξωμεν φόρμιγγι. παλινοςήσω γὰρ ἐπὶ τὴν Μαυρικίου τοῦ αὐτοκράτορος ἀναγόρευσιν, τὸν μηδικὸν νῦν ἀναγραψόμενος πόλεμον. καὶ μή μοί γε τις ἀπεχθανέςω, τοῦ γε ἕνεκα παλινδρομοῦντι πρὸς τὰ πρεσβύτερα. οὐ γὰρ ἐπὶ τὰς αὐτὰς ἐπάνιμεν πράξεις, εἰ καὶ περὶ τοὺς αὐτοὺς χρόνους ἀνταναγώμεθα. τὸ γὰρ συνεχὲς τῶν προαφηγηθέντων οὐκ ἠνέσχετο χαλινοῦ, ἵνα μὴ πως τῇ παρενθήκῃ τῶν ἑτεροίων ἀφηγημάτων σύγχυσιν τοῖς ἐντυγχάνουσιν ἐμποιήσῃ. Ἔτι πρῶτον ἔτος ἠνύετο τῆς ἡγεμονίας

SED iā quia principium, & quasi quoddam vestibulum historiæ nostræ in Hunnis ad Istrum sedes habentibus consumpsimus, age, quæ contra Persas acta sint, literis deinceps prodere aggrediamur. Ad Mauricij autem initia reuersi, bellum in Perside gestum describemus. Ac nolim me à quoquam in vitio poni, si ad superiora, & antiquiora me referā. Non enim ad eadem narranda regrediar, etiamsi ad eadem tempora redeam; coniunctio enim cum his, quę iam exposuimus, dilationem non concedit; nec aliis interpositis, de confusione lector conqueratur. Post prælium illud Persicum memorabile primus adhuc annus Mauricij Augusti

Μαυρικίου τοῦ αὐτοκράτορος, μετὰ τὸν Περσικὸν ἐκεῖνον καὶ ἀοίδιμον πόλεμον, ὅπερ ὁ Ταμχοσρῶ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῶν μηδικῶν στρατευμάτων ἡγήσατο, καὶ βασιλεὺς τὸν Ἰωάννην, ᾧπερ ἐπώνυμον τὸ τῆς ὑπερῴας χελώνης κατάκομον, ὃν δὴ καὶ μυστάκωνα προσηγόρευον Ῥωμαῖοι, τῶν ἐκ τῆς ἀρμενίας στρατοπέδων ἐπὶ τὰς τῆς ἀνατολῆς δυνάμεις Ῥωμαϊκὰς μετεβίβαζεν, ἄρτι τοίνυν ὁ στρατηγὸς τὰς ἑῴας φροντίδας περιβαλόμενος, στρατοπεδεύεται ἔνθα ὁ νύμφιος ποταμὸς τῷ τίγριδι ἀνακοινοῦται τοῖς ὕδασιν. ἐν τούτῳ δῆτα τῷ χώρῳ ἐξαρτύεται πόλεμος, τοῦ μὲν Ἰωάννου τῆς Ῥωμαϊκῆς προεστῶτος δυνάμεως, τῆς δὲ Περσικῆς καρδαριγάν. παρθικὸν τοῦτο ἀξίωμα. φίλον δὲ Πέρσαις ἐκ τῶν ἀξιωμάτων προσαγορεύεσθαι. ὥσπερ ἀπαξιούντων τὰς ἐκ τῆς γεννήσεως ὀνομασίας ἐπιφέρεσθαι. θαυμάζουσι γὰρ τύχης ἐπίδοσιν, ἢ νόμον γεννήτορος τὸν περὶ τῆς σφῶν αὐτῶν προσηγορίας, ἄρτι τῆς μητρῴας αὐτοῖς νηδύος προκύψασι συνανίσχον. ὁ μὲν οὖν Ἰωάννης τὴν πᾶσαν πληθὺν τῆς δυνάμεως τριτταῖς κατετάξατο μοίραις. καὶ αὐτὸς μὲν ἀνεδέξατο τοῦ μαχίμου τὸ μεσαίτατον, κοῦρς δὲ τὸ δεξιὸν ὁ ὑποστράτηγος, ἀρίουλφ δὲ, τὸ λαιόν. καὶ ὧδέ πως τὰ τριττὰ διεκεκόσμητο σίφη. ὡσαύτως δὲ καὶ τὸ Περσικὸν συνετέτακτο. ἐπεὶ δ' αἱ σάλπιγγες ἐνυάλιον ἤχησαν, καὶ τὸ μεταίχμιον ἐβραχύνετο, ὁ πόλεμος εἶχε τὴν πάροδον, προσβάλλουσι τοιγαροῦν

gusti voluebatur: quo in prælio, Tamchosro, qui tum Persicas copias ductabat, suis præfuit. Imperator Ioannem, cui ex longitudine mystacis, Romani cognomentum Mystaconi indiderant, cohortibus Armeniis præfectum, inde auocatum militiæ Romanæ orientali magistrũ dederat. Iam igitur huic muneri præpositus, eò cōtẽdit, vbi Nymphius cum Tigride confunditur; quo in loco certamini accinguntur, Romanos quidem Ioanne, Persas Chardarigano ducentibus. Nomen dignitatis hoc est apud Parthos, quos à dignitatibus indigitari delectat; dedignantes videlicet nomina ab ortu sibi imposita. Pluris enim accessiones fortunæ, quam paternam legem in ipsis appellandis, simul ex vtero materno prodeuntem faciunt. Ioannes ergo totum exercitum suum tripartitò distribuit, medium agmen sibi deposcit, Cursio hypostratego, siue Legato dextrum, Ariulpho sinistrum committit. Atque hunc in modum, in tres partes nimirum eius copiæ digestæ sunt. Ad eundem modum Persæ dispositi. Postquam exortus tubarum clangor Martem accendit, nullumque procedentibus vtrinque spatium in medio relictum, pugnam inuadunt; ac Ioannes quidem agmine medio,

Ῥωμαῖοι τοῖς δυσὶ κέρασιν. Ἰωάννης μὲν τῷ μέσῳ, Ἀρίουλφος δὲ τῷ εὐωνύμῳ. καὶ δῆτα κρατοῦσι τῶν ἀντιμετώπων δυνάμεων. Κοῦρς δ' οὐκ ἐνέμιξε χεῖρας, ἐβάσκαινε γὰρ τὸν Ἰωάννην εὐπραγίας, περὶ ἅπερ δὴ μεγίστην ἀγωνιούμενον δόξαν, καὶ οὖν εἰς τοὐπίσω Πέρσαι ἐτρέποντο. ἐδεδίεσαν γὰρ, μή πω τὸ ἀντίπαλον ἐμβριθεστέραν τὴν ὁρμὴν ἐπιθείη. Ῥωμαῖοι δὲ τὸν Κοῦρς ἑωρακότες ἀπόμαχον, τήν τε περὶ αὐτὸν δύναμιν, τὰ νῶτα τοῖς βαρβάροις ἐγνώριζον, καὶ πρὸς τὰ ἀνάντη μετεφοίτων χωρία. οἱ δὲ Πέρσαι τῇ παλιώξει χρησάμενοι, ἐπεὶ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἵππον κεκμηκυῖαν ἑώρων, ἔκ τε τῆς συντονίας τοῦ δρόμου, ἔκ τε τῆς χαλεπότητος τῆς πρὸς τὸ δυσάναντες τῶν ὀχυρωμάτων καταφυγῆς, ἀρρενικῶς ἐπιτίθενται, καὶ πλεῖστον τοῦ Ῥωμαϊκοῦ κεραΐζουσι, καὶ μόλις ἐπὶ τὸν χάρακα ἐπανήκειν Ῥωμαίους οἱ βάρβαροι συνεχώρησαν. ἐν τούτοις ὁ πόλεμος ἐπεπέραστο, καὶ μετοπώρου παρενέκυπτεν ὥρα.

Ariulphus læuo in hostem se incitant, oppositisq; à fronte aciebus præualent. Cursius, quòd Ioannis fœlicitati inuideret (pro summa nimirum gloria adipiscenda certaturo) manus nō conferebat. Persæ itaque, metuentes, ne aduersarij validius incumberent, retrocedebant. Cum Romani Cursium conflictu abstinere cōspicati, barbaris terga dant, & ad loca accliuia se penetrant. Persæ fugientibus inhærentes, cum Romanum equitatum ex continenti cursu, & difficultate ad ardua, munitaque locorum euadendi defatigatum cernerent, premebant viriliter, maximam eorum partem ita dissipantes, vt ad castra se recipere vix possent. Hic pugnæ exitus fuit, & autumnus iam aduentabat.

CAPVT X.

Mauricij, & Constantinæ Augustorum nuptiæ magnificentissimæ. Ciuitatis publica lætitia, gratulatióque.

Ὁ δὲ αὐτοκράτωρ τὸν πατέρα τὸν Παῦλον ἐπὶ τὴν αὐλὴν βασίλειον λαμπρῶς καὶ περιφανῶς εἰσεδέξατο, ἔναγχος ἐπὶ τὸ Κωνσταντίνου ἄστυ γενόμενον. καὶ νυμφίος τῇ ὑστεραίᾳ ὁ βασιλεὺς πομπεύεται. τὸν γὰρ Ἰωάννην τὸν τῶν ἱεραρχικῶν ἐξηγούμενον θρόνων ἐς τὸ ἀνάκτορον εἰσκαλεσάμενος, ἐν τῷ μεγάλῳ θαλάμῳ

IMperator patrē suum Paulum, qui nuperrimè Constantinopolim venerat, honorificè ac splendidè in palatium accepit, seque postridie sponsum in pompa exhibuit. Accito enim Ioanne Patriarcha, in magno thalamo, iuxta aulam eiusdem palatij amplissimam, cui Augustali nomen est, rogat, vti precibus faustas fortunatasq;

τῷ πρὸς τῇ μεγίστῃ τῶν βασιλέων αὐλῇ (αὐγουστεῖος δ' ἄρα οὗτος κατονομάζεται) ἠξίου τῆς ἐκ τοῦ κρείττονος τυχεῖν συναινέσεως, διὰ τῆς πρὸς τὸ θεῖον τοῦ ἱερέως ἐντεύξεως, ὅπως αἴσια τῷ βασιλεῖ τὰ τοῦ γάμου συμβαίη ἐπίχειρα. ὁ δ' ἱερεὺς τὸ βασιλικὸν ἐθεράπευσε βούλημα τῇ περὶ τὸ θεῖον ἱκετείᾳ· καὶ τῶν χειρῶν τῶν βασιλέων ἑλόμενος, συνῆπτεν ἀλλήλαις. εὐκλεοῖς τε προσφθέγμασι τὸν τοῦ αὐτοκράτορος κατηυφήμησε γάμον. ναὶ δῆτα καὶ τὰς κορυφὰς τῶν βασιλέων τοῖς στεφάνοις καθίδρυσε. τῶν τε θεανδρικῶν μυστηρίων μετέδωκεν, ὡς σύνηθες τοῖς θρησκεύουσι τὴν παναγῆ ταύτην, καὶ ἀκίβδηλον πίστιν. εἶτα μετ' ἐκεῖνο εἰσέφρησαν ἐπὶ τὴν βασίλειον παστάδα, οἱ ταῖς κορυφαῖς τῶν ἀξιωμάτων περιλαμπόμενοι, οὓς καὶ γονεῖς ἀποκαλεῖν βασιλεὺς οὐκ ἀπηξίωσεν, ἀντὶ σπορᾶς ὥσπερ καταβαλλομένους τὴν εὔνοιαν. οὗτοι προπομποὶ τοῦ βασιλέως γινόμενοι, ἐν τοῖς προπυλαίοις τῶν βασιλείων ἐλιπάρουν ταῖς εὐφημίαις τὸν νυμφίον, τὸν καίσαρα, ἐπὶ θρόνου καθίσαντα, ἐπιφαίνεσθαι τοῖς στρατεύμασι, καὶ γαμήλια δῶρα τοῖς ὑπηκόοις χαρίζεσθαι. ἡ δὲ παστὰς ἡ βασίλειος, μεγαλουργῶς ἐκεκόσμητο. ἐν τῷ περιβόλῳ τῶν πρώτων μεγάλων τῶν βασιλέων εἰκῶν, χρυσῷ, καὶ λίθοις ἀγερώχοις κατάκοσμος. ναὶ μὴν καὶ ἀλουργέσι ἱματίοις βαφῆς δεσποτικοῦ Τυρίας μεγαλιμίου περιπόρφυρος ἦν. ἡ δὲ Τιβερίου παῖς ἡ παρθένος ἡ νύμφη προηγεῖτο τοῦ βασιλέως ἐπὶ τὸν γαμήλιον

natasq; sibi nuptias à beneuolente numine precetur. Ille Imperatoris voluntatem officiosè complexus, vota concipit, & vtriusq; apprehensa dextera, eos connubio iungit, coniugibusque optabili affatu bona omnia à Deo exoptat; capitibus quoque amborum coronas imponit, & mysteriis eos Dei, hominisque (vt nobis sinceram, sanctissimamque fidem colētibus fieri consuetum est) impertit. Posthæc clarissimis honoribus eminētes, quos etiam Imperator parentum appellatione dignabatur (qui scilicet beneuolentiam illi, amoremque patrium præstarent) eos in geniale cubiculum deduxerunt. Hi eundem & sponsum, & Cæsarem rogabant bonis precibus vehementer, vt ad propylæa palatij è throno sese militibus gratulaturis in conspectum daret, & congiarium nuptiale in illos conferret. Iam verò thalamus imperatorius magnificè exornatus visebatur. In circuitu siquidem primorum, & magnorum illorum Imperatorum simulachra, auro & lapillis conspicua apparebant, parietesque velamina è purpura Tyria, tincturæ optimæ ac pretiosissimę vestiebant. Tiberij autem filia, virgo & sponsa, Imperatorem in solium nuptiale, subtilibus tex-

 tis,

θρόνον, ὡς ἐν παραβύστῳ ὅσον οὔπω ὀψομένη τοῖς δήμοις, τῶν λεπτῶν ὑφασμάτων ἀθρόον διαστελλέντων ὡς ἐκ συνθήματος. παραυτίκα δ' ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τὸν παστὸν παραγίνεται, ὑπὸ πολλῶν λευχειμόνων ἀνδρῶν περιφανῶς προπεμπόμενος. καὶ οὖν αὖθις ἐν τοῖς ὑψηλοῖς παραπετάσμασι πομπεῦσαί τε ἅμα τοῖς θεαταῖς τὴν βασίλειαν, καὶ περιπτύξασθαι. παρῆν δ' ὁ τοῦ βασιλέως νυμφευτὴς (εὐνοῦχος δ' ἄρα ἦν οὗτος τοῦ αὐτοκράτορος) μαργαρίτης ὄνομα αὐτῷ, ἀνὴρ περίβλεπτος ἐν τῇ ἑστίᾳ τοῦ βασιλέως. ἡ δὲ βασίλεια ἐξανέστη τοῦ θρόνου, τὸν γαμέτην τὸν βασιλέα γεραίρουσα, ἀνέκραγόν τε οἱ δῆμοι ὑμέναιον. ὁ δὲ νυμφαγωγὸς κύλικι τοὺς νυμφίους, ὁρώντων τῶν δήμων ἐφιλοφρονήσατο. οὐ θέμις γὰρ ἦν ἐπιθέσθαι στεφάνους. οὐ γὰρ ἰδιῶται ἐτύγχανον ὄντες οἱ νυμφευόμενοι· ἤδη γὰρ τοῦτο τῷ βασιλικῷ ἀξιώματι προκατείληπτο. ταῦτα μὲν δῆτα τῇ προτεραίᾳ. ἡ δὲ πόλις ἐπανηγύριζεν ἐν ἡμέραις ἑπτά, ἀργυρέοις τε ἐστεφάνωτο σκεύεσι· κοῖλαί τε γὰρ πίνακες, καὶ λεκανίδες, καὶ κυλίχναι, καὶ τρυβλία, μαγίδες τε, καὶ κανᾶ, πλοῦτος Ῥωμαϊκὸς διεκέχυτο. τρυφή τε χρυσέου κόσμου, τὰ οἴκοι μυστήρια, θέατρον ἦν τοῦ βουλομένου παντὸς ἑστιᾶσαι τὰς ὄψεις· αὐλοί τε καὶ σύριγγες, καὶ κιθάραι περιελάλουν ἀνειμένον ὁμοῦ καὶ ἐπαγωγόν, πολλοί τε τῶν θαυματοποιῶν πανημέριοι τὰς

tis, variè picturatis de industria exornatum, vt in abdito, mox à populo conspicienda præcedebat. Illico Imperator à compluribus candidatis honorificè deductus ingreditur, & in locum editum, peristromatis illustrẽ, tum vt Augustam spectantibus, ceu in pompa ostentaret: tum vt eam complexu foueret, ascendit. Et aderat, cuius munus sponsam deducere, eunuchus quidam Imp. Margarites nomine, aulicorum non postremus. Honoris ergô Imperatrix, venienti marito Imperatori assurrexit. Tum spectatores hymenæum exclamare. Hîc nymphagogus ille palàm sponsis pateram meri plenam vultu iucundo porrigit: nam serta iisdem imponere non licebat, quòd priuati non essent; & istuc ipsum iam imperatoria maiestas anteuerterat. Hæc igitur die altero, vt diximus, acta sunt. At ciuitas vniuersa diebus septem continuis ferias agitare, & honoris caussa vasis vti argenteis; discis, inquam, patinis, patellis, cantharis, trullis, quadris, & canistris, quæ tum Romanorum diuitiæ proferebantur; deliciæque ornatus aurei, domestici thesauri theatrum quoddam erant planè quibusuis oculos pascere volentibus, Tibiis, & fistulis, & citharis ad remissionem, & oblectationem animi omnia circumstrepebant, multique præstigiarum artifices ludicris suis totos

tos

σφῶν αὐτῶν εὐτραπελίας τοῖς φιλοθεάμοσιν ἐθριάμβευον. οἵ τε ἐπὶ σκηνῆς λοιδορούμενοι, οἷς ἂν ἐθέλοιεν, μετὰ μεγίστης ἁμίλλης τὰς γελωτοποιοὺς δραματουργίας, οἷα περὶ σπουδαίου τινὸς τοῦ πράγματος ἐπεδείκνυντο. ἱππικοί τε ἐτελοῦντο ἀγῶνες. καὶ ὁ βασιλεὺς ἑστία τοὺς ἐν τέλει, ἐν τῇ τῶν βασιλέων οἰκίᾳ. καὶ οὕτως ὁ περίδοξος ἐκεῖνος κατεπέπαυτο γάμος.

tos dies ſpectandi cupidos detinebant. Alij in ſcena, hominum quorum libebat vitia carpentes, perſtudioſè ridicula dramata, velut ſeria quædam, & grauia exercebant. Inſuper ludi equeſtres committebantur, & Imperator magiſtratus in regiam ad epulas inuitabat. Atque iſto modo ſplendidæ illæ nuptiæ finem acceperunt.

CAPVT XI.

Incendium in foro, ſub initia imperij Mauricij. Miraculum de concha Glyceriæ martyris. Paulinus præſtigiator in crucem agitur: filio caput amputatur.

Ἐπεὶ δὲ τὴν ἱστορίαν ἀναγραφόμενον τὰς ἐπισήμους τῶν πράξεων, πάντῃ που προὖπτον ἐς μέσον προτίθεσθαι, ἄγε δὴ φέρε καὶ τὰς δυσχερεστάτας τύχας τοῖς φαιδροτέροις ἐμμίξωμεν. ἦρος ἀρχομένου, ἐν τῷ λεγομένῳ φόρῳ (περίλαμπρος δ' οὗτος χῶρος τῆς πόλεως) φλόγες μαινόλεις πυρὸς ἐνεπέμπρων τὴν ὥραν τοῦ ἄστεος, καὶ θεραπεύειν τοῦ παμφάγου πυρὸς οὐχ οἷόν τε ἦν τὸν θυμόν. ὀψὲ ὑπομαλάττουσι τὸ πῦρ οἱ τῆς πόλεως, ῥείθροις χρυσοῖς ὥσπερ ὑπονικήσαντες αὐτοῦ τὸ ἀμείλικτον· μεγάλη γὰρ ἐτύγχανεν οὖσα ἡ ῥύμη τοῦ πνεύματος, ὡς μικροῦ δεῖν τῆς αἰθάλης μεταλήψεσθαι ἅπαν τὸ πόλισμα. Κατὰ τοῦτον δὴ τὸν ἐνιαυτὸν Παυλῖνός τις, ἀνὴρ τῶν οὐκ ἀσήμων τῆς

QVoniam verò, inſignia quæque in medium afferre, hiſtoriæ ſcriptori propoſitum eſſe nôrunt omnes, agedum etiam triſtiſsimum caſum lætioribus intexamus. Vere ſe aperiente, in Foro, quod appellatur (eſt autem hic locus Conſtantinopoli nobilis) flamma furens vrbis elegantiam corripuit, nec ignis omnia conſumentis rapida vis cohiberi potuit. ciues ſerò tandem flammā velut aureo flumine mitigant, & rigorem eius implacabilitatemque quodammodò expugnant: ſæuiebat quippe ventus, vt fauillæ tota propemodum vrbe volitarent. Eodem anno Paulinus quidam, ciuis haud obſcurus, & doctrina liberali inſtructiſsimus, qui animam ſuam

πόλεως, πλήστης παιδείας μετειληφώς, ἐπὶ τὸ τῶν γοήτων βάραθρον τὴν ψυχὴν κατωθήσας, κατάφωρος γίνεται· ὁ δὲ τῆς ἐλέγξεως τρόπος τῶν παραδοξολογουμένων λόγων καθέστηκεν ἴδιος. λέξω δὲ τοῦτον, πάνυ καθεστηκότα θαύματος ἄξιον. ἀργύρεος λεκανίς τις ὑπῆρχε τῷ γόητι, δι' ἧς τὰς τῶν αἱμάτων χύσεις συνήθροιζεν, ὁπόταν ταῖς ἀποστατικαῖς προσομιλοίη δυνάμεσι. ταύτην τὴν λεκανίδα διαπωλεῖ ἀργυρὸν ἐμπορευομένοις ἀνδράσιν, οἱ μὲν οὖν ἔμποροι τὰς τῆς λεκανίδος τιμὰς ἀποδόμενοι τῷ Παυλίνῳ, μετικχωρεῖν ἐνεχείρουν τὸ σκεῦος, καὶ περὶ τῶν θυρῶν τοῦ ἑαυτῶν οἰκίσκου ταύτην προετίθεσαν, ἐξουσίαν διδόντες ὠνήσασθαι τῷ βουλομένῳ παντί. ἐδέησε τοίνυν τὸν ἐπισκοποῦντα τὴν πόλιν Ἡράκλειαν, ἣν Πέρινθον οἱ πάλαι ποτὲ κατωνόμαζον, κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἐς Βυζάντιον διατρίβειν. καὶ θεασάμενος πρὸς ἐκποίησιν ἠρτισμένην τὴν λεκανίδα τοῦ γόητος, ταύτην ὠνεῖται περιχαρῶς, καὶ ἀπεκδημήσας τοῦ ἄστεος, πρὸς τὸν ἑαυτοῦ θρόνον ἐπάνεισιν. ἐπεὶ δὲ τὰ θεότευκτα μύρα Γλυκερίας τῆς μάρτυρος χαλκῆ τις λεκανὶς ὑπεδέχετο, αἰδοῖ τοῦ σεβάσματος ὁ ἱερεὺς ὑπαλλάττει τὰ σκεύη. καὶ τὴν μὲν χαλκῆν ἀφαιρεῖται τῆς ἱερωτάτης ἐκείνης λατρείας, τὴν δὲ ἀργυρᾶν δεξαμένην προεστήσατο τῶν θεορρήτων μύρων.

in barathrum præstigiarum, incantationumq; demerserat, deprehenditur, Modus quo sceleris huius compertus est, plurimum admirationis habet, quem exponemus. Erat venefico huic peluicula ex argento, ea hostiarum, quas dæmonibus sacrificabat, sanguinem excipere solebat, quoties eorum colloquio vti liberet. Hanc pretio vendit argentariis; emptam illi præ foribus domunculæ suæ venalem proponunt. Eo ipso tempore Antistiti Heracleæ (quæ olim dicta est Perinthus) Byzantij commorari necesse erat. Is venditionis caussa forte suspensam malefici peluim cõspicatus, eam percupidè mercatur, & ad sedem suam reuertitur. Quia verò diuinitus stillans vnguentum, siue oleum de ossibus S. Glyceriæ martyris ænea peluis etiamnum excipiebat, Episcopus rei tam venerandę reuerentia contactus, vascula cpmmutat, & à cultu sacratissimo ęneum remouens, argenteum cœlesti stillicidio supponit. Ex eo operum mirandorum riuus desinit; fons gratiæ euanescit: non prodit publicitus vim suam martyr; beneficium retrahit: donum aufert; sibiq́ue legem indicit, propter detestandum excipulum vnguẽto in posterum non scaturire. Sanè quod purum est, non debet impurum contingere: vt aliquid externæ

erudi-

ἐντεῦθεν ὁ ποταμὸς ἀποπαύεται τῶν θαυμάτων, καὶ ἡ τῆς χάριτος πηγὴ κατακρύπτεται, οὐ στηλιτεύει τὰς δυνάμεις ἡ μάρτυς, συστέλλει τὸ χάρισμα, ἀφαιρεῖται τὸ δώρημα, καὶ νομοθετεῖ, διὰ τὸ μῦσος μὴ πηγάζειν τὸ μύρον. τῷ ὄντι γὰρ τὸ καθαρὸν τοῦ μὴ καθαροῦ οὐ θέμις ἐφάψασθαι, ἵνα καί τι τῆς θύραθεν παιδείας προσφόρως ἐνείρω τοῖς διηγήμασι. τούτου δὴ ταῦτα ἐπὶ συχνὰς γινομένου ἡμέρας, καὶ τῆς συμφορᾶς ἐπιφανοῦς γινομένης τῇ πόλει. πρὸς πένθος ὁ ἱερεὺς ἐτέτραπτο, ὀδύρεται τὸ πραττόμενον, θρηνεῖ τῶν θαυμάτων τὴν ἐγκοπήν, ἀνακαλεῖται τὸ χάρισμα· τὴν ζημίαν οὐ φέρει, τὴν αἰτίαν ἐπιζητεῖ, τὴν αἰσχύνην οὐ καρτερεῖ, καὶ ἦν αὐτῷ ὁ βίος ἀβίωτος, χηρευούσης τῆς ἐκκλησίας τοῦ θαύματος. διά τοι τοῦτο νηστεῖαι, καὶ προσευχαὶ καταβάλλονται, στρατεύονται δάκρυα, συμμαχοῦσιν οἱ στεναγμοί, παννύχιοι δεήσεις ὁπλίζονται, καὶ πάντα συνέρχονται, ὁπόσα δύνανται λύπην θεοῦ μεταβαλεῖν πρὸς τὸν ἔλεον. τοῦ τοίνυν θεοῦ καὶ τὸ μῦσος ἀποστραφέντος καλῶς, καὶ τὴν ἄγνοιαν δικαίως οἰκτείραντος, γίνεται κατ᾽ ὄναρ τῷ ἐπιποιμῶντι τὴν πόλιν κατάδηλα τὰ περὶ τὴν λεκάνην βδελύγματα. ὁ μὲν οὖν ἱερεὺς ὑπεξάγει παραχρῆμα τοῦ ἱεροῦ τὴν ὠνηθεῖσαν λεκάνην, καὶ ἐν μέσῳ τὴν χαλκῆν ἐνεγκάμενος, προστίθησι τῷ σεβάσματι, ὡς ἁγνήν, καὶ πρεσβῦτιν λάτριν, οἷα παρθένον τινὰ καὶ ἄχραντον βδελυρᾶς γοητείας. καὶ δὴ τὰ πα-

eruditionis narrationi commodè interseram. Hoc cum diebus compluribus euenisset, calamitatemque rumor per ciuitatem dissipasset, Episcopus se se in luctum dat, & quod fiebat lamentatur: effectorum supra naturam interruptionem deplorat; donũ reposcit; detrimentum non sustinet; caussam indagat: dedecus indignatur: Ecclesiaque re tam admirabili viduata, vitam sibi vitalem non putat. Igitur ieiunia, & comprecationes instituuntur: profunduntur lacrymæ; ducũtur gemitus: totæ noctes in deo suppliciter rogitãdo ponuntur: cõiunguntur q; omnia, quæ irã eius conuertere in misericordiã possunt. Cum itaq; Deus & execrandũ illud scelus iure auersaretur, & ignorantiã iustè miseraretur, Episcopũ de abominandis sacris in pelui illa factitatis per quietẽ monet. Ille nil moratus, peluim argenteam templo subducit, illatamque in medium æneam, perinde vt castam, & antiquam famulam, & virginem aliquam incorruptam pro execranda præstigiatrice venerabili monumento rursum subiicit. Statim sese miracula denuo effundunt, oleum depluit, beneficium scaturit, donum profluit, lacrymæ inhibentur, luctus præciditur,

ῥαυτίκα ἐπιφαίνονται αὖθις τὰ θαύματα, καὶ καταμβρίζεται μύρον, βλύζει τὸ χάρισμα, πηγάζει τὸ δώρημα, τὸ δάκρυον στέλλεται, τὸ πένθος ἐγκόπτεται, τὸ σκυθρωπὸν διαλύεται, τὸ βδέλυγμα στηλιτεύεται, καὶ πάλιν τὴν ἑαυτῆς περιβάλλεται δόξαν. ἕτοιμος γὰρ οἰκτειρῶσαι θεὸς, εὐσεβῶς προσδεόμενος. ὁ μὲν οὖν ἱερεὺς ἐπὶ τὸ βασίλειον γινόμενος πόλισμα, τίς τε ὁ πεπρακὼς τὴν λεκανίδα ὑπὸ τῶν ἐμπορευσαμένων μεμαθηκὼς, ἐπὶ τὸν ἱεράρχην ἀφικόμενος ἰωάννην, πάντα τὰ συγκυρήσαντα ἀνατίθεται. ὁ μὲν οὖν ἰωάννης δεινοπαθήσας ἐπὶ τοῖς διηγήμασι, καὶ φέρειν οὐκ ἔχων τὴν ἀκοὴν, ἀθρόον φοιτᾷ πρὸς τὰ βασίλεια, τῷ τε αὐτοκράτορι τῶν ἱστορηθέντων αὐτῷ μεταδίδου τοὺς λόγους. ὁ μὲν οὖν μαυρίκιος νωθρότερόν πως πρὸς τὸν φόνον τῶν ἠτυχηκότων ἑώρα. ἠξίου γὰρ μεταμέλῳ μᾶλλον, ἢ ζημίᾳ τοὺς παραπεπτωκότας ἰάσασθαι. ὁ δὲ ἱεράρχης ἐκραταίου τὴν ἔνστασιν, ἀποστολικώτερον ἐπαγόμενος πυρὶ τοὺς ἀφεστηκότας τῆς πίστεως παραδίδοσθαι, ἐπὶ στόματος τὰ τοῦ παύλου προφερόμενος ῥήματα, φάσκων ἐπὶ λέξεως οὕτως· ἀδύνατον τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας, γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου, καὶ καλὸν γευσαμένους θεοῦ ῥῆμα, δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος, καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, ἀνασταυροῦντας ἑαυ-

ciditur, triſtitia fugatur, piaculumque deteſtabibile perinde vt in columna inciſum cognoſcitur ab omnibus, & peluis ænea poſtliminio gloriam ſuam recuperat. Paratus eſt enim Deus tribuere miſericordiam piè ſupplicantibus. Epiſcopus in vrbem imperialem reuerſus, venditoreque peluis illius ab argentariis exquiſito, & inuento, ad Ioannem Patriarcham adit: rem totam à capite arceſſens, ei commemorat. Patriarcha exclamare, indignum facinus, aureſque auertere; è veſtigio in palatium abire, & ſibi cognita Imperatori nuntiare. Mauricius ad ſontes capite puniendos aliquanto languidior erat, cum eos reſipiſcentia, quam ſupplicio ſanari æquius arbitraretur. Sed Patriarcha admouere ſtimulos, & libertate Apoſtolica poſtulare ad rogum, qui à fide defeciſſent: proferreque illam Pauli ſententiam ad verbum, *impoßibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, qui guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſq; ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pænitentiam, rurſum crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei, & oſten-*

tui ha-

τοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας. γῆ γὰρ ἡ πιοῦσα τὸν ἐπ' αὐτῆς ἐρχόμενον πολλάκις ὑετὸν, καὶ τίκτουσα βοτάνην εὔθετον ἐκείνοις, δι' οὓς καὶ γεωργεῖται, μεταλαμβάνει εὐλογίας παρὰ τοῦ θεοῦ· ἐκφέρουσα δὲ ἀκάνθας, καὶ τριβόλους, ἀδόκιμος καὶ κατάρας ἐγγὺς, ἧς τὸ τέλος εἰς καῦσιν. γίνεται τοίνυν τὸ βασιλικὸν ἀδρανέστερον βούλημα, καὶ κρατεῖ ὁ ἰωάννης τοῖς λόγοις. καὶ τῇ ὑστεραίᾳ δικαστήριον συγκροτεῖται, καὶ οἱ γόητες ἀνετάζονται, καὶ καταδίκῃ περιπλακέντες ἀφύκτῳ, πρὸς κόλασιν ἐξεδίδοντο. ὁ μὲν οὖν παυλῖνος ἀνασκολοπίζεται ξύλῳ στερρῷ, τὴν πρὸς τὸ ἄνωντες κεχηνότι ἀκρόρειαν, ἐνερσθέντι τούτῳ ἅμα τῷ φάρυγγι σὺν ἐν τῷ τραχήλῳ σφονδύλους ἀπαγχονιζόμενος ἀπεπνίγετο, οὕτω τε τὸν ἀσεβῆ κατεστρέψατο βίον, προτεθεαμένος τὴν ἀποτομὴν τοῦ παιδός. ὃν γὰρ μεταδοὺς τῷ υἱῷ τῆς βδελυρᾶς, καὶ ἀνοσίας τῶν γοήτων καὶ μαγγανείας.

tui habentes. Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima: cuius conſumatio in combuſtionem. Hac oratione Ioannes voluntatem Imperatoris inflexit. Die proximè ſequenti iudices coguntur; præſtigiatores legibus interrogati, ſententia irreuocabili ad pœnas deduntur. Paulinus in palum, ſeu ſtipitem robuſtum tollitur, cuius ſumma pars diffiſſa hiabat. In eum hiatum collo inſerto ſtrangulatus expirat. Sic ille vitam impiam finiuit, cum prius filio caput reſcindi aſpexiſſet; quem ſibi in nefariis, & impiis impoſturis, carminibuſque magicis diſcipulum atque ſocium aſciuerat.

CAPVT XII.

Aphumi castellum à Persis, Acbas à Romanis oppugnatur, & à Persis superuenientibus liberatur. Ingens terræmotus imperio Mauricij adhuc recenti, eiusdemq; consulatus, & in populum liberalitas. Ioannis ducis exauctoratio.

Ὁ δὲ τῆς μηδικῆς σατράπης δυνάμεως τὸ ἀφούμων περικαθήμενος φρούριον, ἐπειρᾶτο ἑλεῖν. ὁ δὲ τοῦ Ῥωμαϊκοῦ ταξίαρχος τοῦτο πυθόμενος, ἧκε πλησίον τοῦ νυμφίου, καὶ τὸ ἀκβὰς ἐνεχείρει αἱρήσειν. δύσληπτον δὲ τουτὶ τὸ ὀχύρωμα, καὶ πρὸς πολιορκίαν ἀκαταγώνιστον. ἐπικάθηται δὲ τὸ φρούριον ἐπ' ὄρους αὐχένα, ἀμφοῖν δὲ ταῖς λαγόσιν ἐστὶν ἀμφίκρημνον. τό τε φρούριον τοῦτο μεγάλαις κοιλαίνεται φάραγξιν, ὡς μίαν εἶναι λοιπὸν συμβαίνειν τὴν ἐπὶ μέτωπον εἴσοδον, τειχιζομένην στεγανῶν λίθων συνθήκαις. ἐπεὶ δὲ τοῦτο ἐν τῷ φρουρίῳ ὁ στρατηγὸς ἐπετίθετο, ἐπὶ τὴν στεφάνην τοῦ ἕρκους φρυκτωρίας ἐξῆψαν οἱ πολιορκούμενοι, ὁπόσος παραδηλοῦντες ὁ κίνδυνος τοῖς ἀμφὶ τὸν καρδαριγὰν γλιχομένοις παραστήσασθαι τὸ ἀφούμων. τοιαύτας γὰρ τοῖς τοῦ ἀκβὰς συνθήκας ὁ τῶν περσῶν κατεβάλετο στρατηγός. Τὸ δὲ περσικὸν ἀναλαμπούσης ἡμέρας ὑπὸ πρώτην ἕω συντεταγμένον τοῖς Ῥωμαίοις ἐφίστατο, τῶν τε ἵππων ἀποβάντες τῆς μάχης ἀπήρχοντο. καὶ τῷ συνεχεῖ τῆς βολῆς οἱ βάρβαροι Ῥωμαίων ἐκράτησαν. συνέχεαν γὰρ τὰς ὄψεις ἀντιπάλων ταῖς ἐκπομπαῖς τῶν βελῶν. τοξοφόρον γὰρ τὸ ἔθνος, καὶ δύναμις αὐτῷ τὸ κατάπλεον τοῦτο ἀκόντιον. τῶν δὲ Ῥωμαίων συγκεκλεισ-

CAEterùm Persarum ductor Aphumos castellum circumsidens, id expugnare incipiebat. Re comperta, Romanus dux Ioannes ad flumen Nymphiū procedit, castellumque Acbas contrà recipere molitur: quod quidem quia naturà munitum, captu fuit difficile, & obsidione inexpugnabile. Situm est in iugo montis, ab vtroque latere præcipitium habet, & altis vallibus cingitur, vt vnicus à fronte ingressus sit reliquus, & is solido de lapide extructus. Vbi Romanus locum hunc adortus est, obsessi in pinnis murorum faces accendunt: significantes iis qui cum Cardarigano Aphumos premebant, quanto in discrimine versarentur. De huiusmodi namque signo cum Acbasianis Persarum duci conuenerat. Persæ die albescente, instructis ordinibus Romanis superueniunt, & ex equis se deiicientes, pugnam auspicantur, sa-

gitta-

μένων ἔν τινι χώρῳ τοῦ ὄρους, καὶ παραθλιβομένων ὥσπερ ὑποπιεζούσης αὐτοὺς τῆς ἐπιθέσεως, πολλοὶ τῶν μαχίμων ἀφήλαντο ἀπὸ τοῦ κρημνοῦ τοῦ ἀποβλέποντος πρὸς τὸν ποταμὸν τὸν νύμφιον. οὐ γὰρ ἀνεφίκτῳ βάθει ἀπῃώρητο ἡ κατάδυσις. ἔνιοι δ' ἥλωσαν ὑπὸ τῶν βαρβάρων. οἱ δὲ διὰ τῆς ὑπωρείας τοῦ ὄρους τὴν κάθοδον ποιησάμενοι, ἀποδράντες τὸν κίνδυνον, οὐ κατ' ἐλπίδας ἐσώζοντο, καὶ διαπεραιωθέντες τὸν νύμφιον ποταμὸν, εἰς τὸ Ῥωμαϊκὸν στρατοπεδεύουσι σύνταγμα. τοῦ δὲ διεληλυθότος ἐνιαυτοῦ, ἦρος ἀκμάζοντος, καὶ κατακομῶντος τὴν γῆν, ἐν τῇ ἐγκυκλίῳ τῶν ἐγκαινίων ἡμέρᾳ τῆς πόλεως (πρῶτον δὲ τοῦτο ἔτος τῆς βασιλείας τοῦ αὐτοκράτορος) πάθος γῆς ἀνεφοίτησε, καὶ μέγιστος σεισμὸς ἐνεδήμησεν, οἷα τῆς γῆς παρασκιρτώσης ἐκ πυθμένων αὐτῶν· τὸν δὲ λόγον οὐ δίειμι, τῷ γὰρ Σταγειρίτῃ, οὐκ ὀλίγα ἄττα περὶ τούτου πεφιλοσόφηται, καὶ εἴτῳ λέγων πιθανὸς φανεῖται, ἐπαινείσθω τῆς εὐφυΐας. εἰ δὲ μὴ, τῷ γε πατρὶ ἀποπεμπέτω περιθάλπειν τὸ δόγμα. τοιγαροῦν ἡμέρας κλινούσης, ἐδονεῖτο τὸ κέντρον. καὶ ὁ φόβος ἐξαίσιος ἦν, ὡς καὶ τοὺς ἱππομανοῦντας ὑπὸ τοῦ δέους ἀθρόον μεταπάλλεσθαι πρὸς τὸ σῶφρον. δίκην παίδων ἐν παιδιᾷ κύβων, ἀφικομένου ἐξαπιναίως τοῦ παιδοτρίβου,

gittarumque imbre cœli aspectum adimentes, superiores euadunt. Est nimirum gens ea arcui dedita, & iniaculis pennatis robur eius virtusque consistit. Romanis autem in montis parte conclusis, & coarctatis (vtpote vrgētibus aduersariis) multi milites, quà mons Nymphium flumen respicit, quod minor ibi esset altitudo, præcipites desiliebant. Alij à barbaris capiebantur. Ast qui ad crepidinem montis se præcipitauerant, vitato periculo, salui (quod non sperarant) traiecto fluuio, ad Romanum agmen sese recipiebāt. Anno hoc elapso, verna tempestate iam procedente, & humum gramine, arbores frondibus induente, encœniorum, seu dedicatæ vrbis anniuersario die, primo adhuc anno postquam Mauricius iniuit, passa tellus quod solet, concussu atrocissimo, veluti si ab imis sedibus exiliret, Constantinopoli quassata est. Caussam adducere nihil attinet, cum de ea Stagirites pluribus philosophatus sit. Quæ si cui probabuntur, auctoris ingenium commendet: sin autem, ea dogmata suo sibi parenti placere sinat. Igitur sole occumbente, ipsum centrum, seu media terræ concutiuntur, & immensus timor animos peruadit; vt etiam qui equarum in morem libidinum furiis agitarentur, icti metu, repente

τό τε παραπέτασμα, τὸ περὶ τοῦ γυμνασίου τῶν ἱππικῶν ἀγωνισμάτων (ὃ δὴ σύνθημα τῆς ἱλαρίας ἐτύγχανεν ὂν) περιαιρεῖται διὰ τὸν ἀδόκητον κίνδυνον. ἅπαντάς τε συνέβαινε πρὸς τοὺς ἱεροὺς σηκοὺς ἐντιμνίζεσθαι, ὀρρωδοῦντας τὸν θάνατον. Δεύτερον ἔτος τοῦτο τῆς μαυρικίου ἡγεμονίας, καὶ ὁ αὐτοκράτωρ χειμῶνος ὥρα ὕπατος ἀναγορεύεται· καὶ περιβὰς τὸν βασίλειον δίφρον, ἐπιφανέστατος ἦν. ἦγον τὸν βασιλέα οὐχ ἵπποι, οὐχ ἡμίονες, οὐκ ἐλέφαντες· ἄνθρωποι δ᾽ ἄρα τὸ τιμιώτατον χρῆμα καὶ ὄνομα. ἐπεὶ δὲ ἐπέβη τοῦ δίφρου, κοινωνὸν τῶν ἑαυτοῦ θησαυρῶν τὸ ὑπήκοον ἐποιήσατο. οἱ δὲ τοῦ ἄστεος τῆς βασιλικῆς εὐδαιμονίας μετειληφότες, κατεκελάδουν ὕμνοις τὸν καίσαρα χρυσῆς ἑορτῆς οἷα καταλαμπούσης καὶ περιγαννούσης αὐτούς. τῷ δ᾽ ἐνισταμένῳ τούτῳ ἐνιαυτῷ, ὁ μὲν ἰωάννης τὰς ἡνίας τῆς στρατηγίας ἀφῄρητο, οἷα τοῦ περσικοῦ ἀνανταγωνίστου καθεστῶτος, καίτοι κρείττονα κατὰ τὸν πόλεμον κληρωσαμένου ῥοπήν.

ad pudicitiam ſe ſe darent. Non ſecus quam à pueris in ludo teſſerarum, pædotriba nec opinatò interueniente, ante equeſtria certamina parapetaſma ſeu velum (hilaritatis eorum ſignum) propter inexſpectatum periculum aufertur. Et impendentis formidine exitij templa vniuerſi concurſabant. Agebatur annus Mauricij ſecundus, cum hyeme conſul creatus, conſcenſo curru imperatorio, ſummè conſpicuus erat: quem non equi, non muli, ſed homines (res, & nomen honoratiſsimum) trahebant. Curru conſcenſo, ciuibus ampliſsimũ congiarium dedit; qua de cauſſa illum laudibus extulerant, vt ſi dies feſtus aureus illuxiſſet, eoſque lætitia perfudiſſet. Hoc anno ingrediente, Ioannes ducis loco mouetur, vt qui Perſis, quanquam in maiore belligerandi commoditate, neſciret reſiſtere.

CAPVT

CAPVT XIII.

Philippicus Imp. sororius Prætor orientis decernitur. Eius expeditiones. E Perside redeuntes Romani, via aberrant, & extrema siti cruciantur. Captiuos vtriusque sexus interficiunt. Pueri seruati, moriuntur siti.

Φιλιππικὸς δὲ ἀντανίσταται, καὶ στρατηγὸς ἀναγορεύεται ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος, ἀνὴρ ἐπιδέξιος, καὶ βασιλικῆς συγγενείας ἐγγύτατος· γαμέτης γὰρ ἐτύγχανεν ὢν γορδίας ἀδελφῆς τοῦ αὐτοκράτορος. ὁ μὲν οὖν στρατηγὸς μετὰ τὴν χειροτονίαν ἐπὶ τὸ μονόκαρτον γενόμενος, τοῦ αἰσουμᾶ ὄρους πλησίον οὕτω λεγομένου, χάρακα διεγράψατο, καὶ ἄνδρας ἐπὶ στρατείαν συνήθροιζε. μετοπώρου τε ἀρχομένου, παρὰ τὸν τίγριν αὐλίζεται. καὶ πλείστοις χρησάμενος χάραξιν, ἧκεν εἰς χῶρον καρχαρωμὰν ὀνομαζόμενον, κἀκεῖ πως ἐνδιατρίψας, ἐπύθετο καρδαριγὰν τοῦ ὄρους τοῦ ἰζαλὰ ἐπιβήσεσθαι μέλλειν, διὰ τῶν ἐχυρωμάτων τῶν μαϊακαριρεί. διά τοι τοῦτο ἀπῆρε τῶν ἐντεῦθεν ὁ στρατηγός, καὶ πεδίῳ προσωμίλησε γειτνιῶντι τῇ νισίβει. καὶ στρατοπεδεύσας ἐν τοῖς ὑψηλοῖς, ἀθρόον κατῆρε τῆς περσίδος, καὶ πλείστης λείας ἐκράτησεν. οὐ μετὰ πολὺ δὲ γηπόνος ἀνὴρ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἔφοδον τῷ καρδαριγὰν ἐπεδήλωσεν· ἃ δ᾽ εἶπεν, ἐκεῖνά ἐστιν. αὐτὸν μὲν ἀλᾶσθαι τοῖς ὄρεσιν κεναῖς ἐλπίσι φερόμενον, τὸ δὲ Ῥωμαϊκὸν τὴν μηδικὴν διατέμνεσθαι χώραν. εἰς τοὐπίσω τοίνυν τοῦ καρδαριγὰν γενομένου, καί πως ἔνεδραν ἐγκαθίσαι τῷ Ῥωμαϊκῷ πειρωμένου, ὁ στρατηγὸς τὰς δυνάμεις

In eius locum Philippicus orientalium dux militum sublegitur, vir dexter, Imperatorique, cuius sororem Gordiam habebat in matrimonio, necessitudine proximus. Qui post adeptam dignitatem Monocartum, iuxta montem Aïsumam profectus, castris locum describit, & delectum agit. Auctumno primo apud Tigrim statiua habet, multisque castris inde in locum Carcharomanum appellatum peruenit; vbi aliquamdiu subsistenti affertur, Cardariganum Izalam montem, propter Maiacariri arcē, seu castellum velle conscendere. Quare inde mouens, campos Nisibi vicinos tenet, locoq; præcelso tendens, crebrius in agrum Persicum descendit, ac prædam plurimam facit. Non diu post colonus quidam infestum Romanorum aduentum Cardarigano indicans, adiecit, ipsum quidem per montes vagari, vana spe confisum; Romanos interea Persidem hostiliter depopulari. Cardarigano retrocedente, Romanisq; insidias moliente, Philippicus collectis co-

συνέλεξε, καὶ πρὸς τὸ ὄρος τὸ Ἰζαλὰ στρατοπεδεύεται, ἅτε δὴ τῶν τόπων ἀσυλίαν παρεχομένων τοῖς ἐπιβαίνουσι τὴν πλείαν, ἐπιφέρετο περιμηθεστάτῃ φρουρᾷ. μετὰ τοῦτο ἦλθεν, ἐπὶ τὸν νύμφιον ποταμὸν, οὐκ ἄδοξα τὰ προαύλια ἡγεμονίας ἀπενεγκάμενος. πάλιν δ' αὖ Φιλιππικὸς προσβάλλειν τῇ μηδικῇ χώρᾳ ἐθάρρησε, καὶ τὰ ὑπὸ τὸ βεαρβαὲς διατέμνεται. τὸ δὲ Περσικὸν, ἐπεὶ τούτων ἀκήκοεν, ἐπιτείνει ἵππον τούτῳ, καὶ διόλωλε τοῦ ἵππου πλείστη ἀπόμοιρα. Τοὺς δὲ Ῥωμαίους λόγος τῆς ἀφίξεως τῶν βαρβάρων τὴν συντονίαν θαυμάσαντας, τῆς μηδικῆς χώρας ὑπεξελθεῖν, δίχα τοῦ παντὸς διαιρεθέντος συντάγματος. καὶ οἱ μὲν ἀμφὶ τὸν στρατηγὸν, ἧκον ἐπὶ τὸ σισαρβάνων, εἶτα ἐπὶ τὸ τοῦ ῥαβδίου. ὁ δ' ἕτερος ἀποδασμὸς ἀποπλανηθεὶς, τὴν ἐπὶ θεοδοσίου πόλιν ὁδὸν ἄλλως ἐπονεῖτο. ἡ δὲ γῆ ἐκείνου, ἀκοῇ ἴσμεν, ἄνυδρός τε καὶ κάταυχμος, ἄχρι τοῦ ἀβόρρα ποταμοῦ λεγομένου. Συμπίπτει γοῦν τοῖς Ῥωμαίοις ἀπαρηγόρητος κίνδυνος. χηρεύουσι γὰρ ὑδάτων ἐς τὸ καρτερὸν, οὗ, τί ἂν γένοιτο στρατιᾷ χαλεπώτερον; καὶ μέντοι ὠμοτάτην κατὰ τῶν αἰχμαλώτων ἀποσχεδιάζουσι ψῆφον, καὶ πάντας ἀνεῖλον ἄρρενάς τε καὶ θηλείας. τοὺς δὲ παῖδας διέσωζον, τὸ ἄωρον τῆς ἡλικίας οἰκτείροντες. ὅμως μετ' οὐ πολὺ κἀκείνοις ἡ τῶν ὑδάτων διεχρήσατο σπάνις. Ῥωμαῖοι δὲ μεγάλοις περιπεπτωκότες κακοῖς, τῆς θεοδοσίου πόλεως ἐπιβαίνουσιν.

piis ad Izalam montem castrametatur: & quod illa loca accedentes securissimos redderent, velut asylum quoddam perfectũ, tutissimæ custodiæ sese credit. Posthæc ad Nymphium flumen, cum non indecoris muneris sui prœmiis, & quasi præludiis accedit, rursumque in Persidem irruptionẽ facere, & agrum Bearbaësium deuastare audet. Quod vbi senserunt Persæ, cum equitatu in illum contendunt, cuius pars maxima periit. Romanos festinatum barbarorum aduentum admiratos, Perside excessisse narrant, toto exercitu bifariam diuiso. Qui cum duce erãt, Sisarbanum, inde in Rhabdios regionem veniunt. Pars altera cum itinere aberrasset, versus Theodosiopolim ambulando, frustra se fatigabat. Ferunt, tellurem illam, vsque ad Aboram flumen æstuosam esse, & aquis defici; vnde Romanis creatum periculum inconsolabile. Quid enim exercitui aquarũ extrema penuria contingere possit exitiosius? Nihilominus crudelissimam statim in captiuos sententiam ferunt, & omnes mares fœminasq; contrucidant: pueros, teneram ætatem miserati reseruant. Veruntamen non multo post illos quoq; sitis magnitudo confecit. Romani insignibus exerciti calamitatibus, Theodosiopolim deueniunt.

CAPVT

CAPVT XIV.

Philippicus Arzanenam regionem ſuis diripiendam permittit. Ab imitatione Scipionis Romani commendatur. Aegrotat. Cardariganus Monocartum fruſtra inuadit: latrociniis & incendiis graſſatur. Philippicus Byzantium redit: inde rurſum veris initio diſcedit.

Ὁ δὲ φιλιππικὸς μεγαλοφρόνως εἰς τὸν ἐπιόντα ἐνιαυτὸν τῇ ἀρζανηνῇ χώρᾳ τὸ δόρυ ἐμπέπηχε, καὶ λαμπρὰν, καὶ ἀξιολογωτάτην λείαν ἐζώγρησε. Φήμη δέ τις διέρρει, ὡς ὁ στρατηγὸς φιλομαθέστατος ὢν, καὶ πολεμικὰς ἐπιστήμας ἐκ τῶν πάλαι σοφῶν ἀρυσάμενος, ἐκ τῆς σκιπίωνος τοῦ ἡγεμονικωτάτου ἀγχινοίας τὴν ἐντρέχειαν ταύτην τῆς σοφῆς στρατηγείας περιεβάλετο. ὡς γὰρ οἱ τὰς ἱστορίας καθάπερ ἀγάλματα θεῖά τινα τῷ τεμένει τῆς μνήμης γραφῇ παριδρύσαντες διελέχθησαν, τοῦ ἀννίβα τοῦ καρχηδονίων στρατηγοῦ τὴν ἀνὰ τὴν εὐρώπην Ῥωμαίων διατέμνοντος τὴν γῆν, σκιπίων ὁ πρεσβύτερος, τὸν οἴκοι πόλεμον τῇ ἀναβολῇ ἀναθεὶς, τῇ καρχηδονίων χώρᾳ περιπλέκεται, καὶ ἐς μέγα κακοῦ ἐλήλακε τὸ πολέμιον. τὸν δ᾽ ἀννίβαν τὰς καρχηδονίων τύχας ἀκηκοότα, ἐς τὰ ἑαυτοῦ ἐπαναζεῦξαι, τὰς μεταβολὰς τῶν πραγμάτων ἐκ τῶν εἰς αὐτὸν συμβεβηκότων δεινῶν παιδευόμενον. καὶ ἔτος ἐδόκει ὁ περὶ φιλιππικὸν εἶναι λόγος παράλληλος. οὐκ ἀπὸ δὲ σκοποῦ γέγονεν αὐτῷ ἡ βουλή. ἔτυχε γὰρ τὸν στρατηγὸν κάμνειν τὸ σῶμα· μεγίστου νοσήματος αὐτοῦ

PHilippicus excelſo animo anno deinceps ſequenti Arzanenę regioni arma intulit, opulentamque, & ad memoriam inſignem prædam abſtulit. Fama tenuit, ducem hunc diſcendi cupidiſsimum, artes bellicas ex veterum ſcriptorum monumentis hauſiſſe, & ex ſollertia P. Scipionis, belli ducis omnium pręſtantiſsimi hanc ſibi ſapienter regēdi exercitus induſtriam comparaſſe. Nam vt tradiderunt, qui hiſtorias ſcribendo, in mentibus noſtris tanquam diuina quędam ſimulacra in ſacris ædibus collocarunt, Scipio, is, qui primus Africanus eſt appellatus, bello cū Pœnis in Italia intermiſſo, Carthaginenſium fines inuaſit: nec qualibuſcunque cladibus hoſtes mactauit. Annibalem vbi de afflictis patriæ fortunis audiſſet, domum reuertiſſe, atque ita rerum mutabilitatem è ſuis caſibus didiciſſe. Hæc de Philippico omnium iactata ſermonibus, iis reſpondere videbantur, quæ de Scipione annalium monumentis commendata leguntur. Sed enim non proceſsit conſilium.

Morbo

ἐνσκήψαντος. διὸ ἐπὶ τὴν μαρτυρόπολιν ἀφικνεῖται, ἐπιτρέψας τὸ στράτευμα Στεφάνῳ τῷ ταγματάρχῃ. ὑπασπιστὴς δ' οὗτος ἐγεγόνει Τιβερίου τοῦ αὐτοκράτορος, τόν τε Ἄψιχ τὸν Οὖννον τῶν ὅλων ὑποστράτηγον ἐχειροτόνησε τάξεων. οὕτω μὲν οὖν ὁ στρατηγὸς ὑπὸ τῆς νόσου ἀπόμαχος ἦν. ὁ δὲ καρδαριγὰν τὴν ὅλην ἀναλαβόμενος δύναμιν, τῇ ἔναγχος Τιβερίου πόλει προσαγορευθείσῃ προσέβαλλεν, ἥτις μονόκαρτον πάλαι ὠνόμαστο. ταύτης ὁ στρατηγὸς τῷ παρῳχηκότι ἐνιαυτῷ γεγηρακότα τὰ τείχη ἀνέῤῥωσε, καὶ προμηθείᾳ τοῦ μέλλοντος ὠχύρωσεν. Ἐπιστὰς δὲ τῷ πολίσματι ὁ περσῶν στρατηγὸς, οὐχ οἷός τε ἦν παραστήσασθαι τοῦτο· τοιγάρτοι εἰσήῤῥησεν ἐπὶ τὰ προάστεια τῆς μαρτυροπόλεως, καὶ τὸν Ἰωάννου τοῦ προφήτου κατενεπίμπρα νεὼν, ὡς ἀπὸ σημείων δυοκαίδεκα ὄντα τῆς πόλεως, κατὰ τὸν ἑσπέριον κρόταφον. ἔνθα δὴ καὶ φροντιστήριον ἐτύγχανεν ὂν, ἀνδρῶν φιλοσόφων τὸν βίον. μοναχοὶ δ' ἄρα οὗτοι κατονομάζονται, οἷς ἔργον προεκδημῆσαι τοῦ σώματος, καὶ ζῶντας τεθνᾶναι, καὶ σώφρονι μανίᾳ τινὶ μεταφοιτᾶν πρὸς τὰ κρείττονα. ἀνέστησε δὲ καὶ τοῦτο ἐκ βάθρων ὁ βάρβαρος. τῇ δ' ἐπιούσῃ ἀρθεὶς ἐντεῦθεν, ἐπὶ τὸν ζόρβαδον χωρίον ἐφοίτησε, καὶ τοῖς ἀμφ' αὐτὸν διετάξατο μηδαμῶς τοῦ χάρακος ἀπολείπεσθαι. ὀγδόῃ δ' ἡμέρᾳ ἐς τὰ οἴκοι κατῆρεν. ἐδόκει δὲ πως καὶ αὐτὸς λῃστρικώτερον τῶν Ῥωμαϊκῶν ἐπιβήσεσθαι, καὶ

Morbo quippe correptus difficillimo, Stephano Tribuno, Tiberij Augusti quondam satelliti copias committit, Apsichum Hunnum totius exercitus hypostrategum, seu minorem ducem, Legatúmue instituit, & Martyropolim concedit. Sic Philippicus aduersa valetudine compulsus, ab armis se remouit. Cardariganus cum copiis quantæ erant, Tiberiopolim nuper olim Monocartum appellatam aggreditur: cuius mœnia vetustate ruinosa Philippicus anno præterito instaurauerat, futurique prouidus, eam communiuerat. Persa, quòd vrbem subigere nequiret, in vicina Martyropolis irruens, Ioannis Prophetæ ac Præcursoris ędem, ab oppido versus occasum duodecimo lapide distantem incendit, & quod ibi erat phrontisterium, virorum in vita sanctè agunda philosophantium (qui monachi dicuntur, quorum opus & labor est, ante tempus secedere à corpore, & adhuc viuentes emori; & sobria quadam insania ad meliora eniti) hoc, inquam, phrontisterium barbarus etiam ab imo euertit. Sequenti lumine inde proficiscens, zorbandum oppidulum attigit, suisque edixit, ne vllo modo â castris abessent. Octauo die domũ aduenit, apparebatque maioribus latrociniis Romanos inuasurum,

τὴν αὐτῶν Ῥωμαίοις ἀπενέγκασθαι δόξαν. ὁ δὲ στρατηγὸς τῆς νόσου ἀπήλλακτο, καὶ τὸν χάρακα διελύσατο. χειμῶνος γὰρ ὥρα ἤδη πως παρεφαίνετο. καὶ τὸν βασιλέα ἀσπασάμενος, ἐς Βυζάντιον ἧκεν. ἦρος δὲ παρανίσχοντος, καὶ ἀλέας ἐπιφοιτώσης τῇ γῇ, Φιλιππικὸς τῆς βασιλίδος ἐξεδήμησε πόλεως.

ſurum, eorumque gloriæ parem relaturum. Philippicus è morbo recreatus, militibus hyeme iam appetente miſsionem dedit, Imperatoremque ſalutaturus, Byzantium venit; ac vere poſtea incipiente, & tepore ſuo aruorum ſinus laxante, denuo ex vrbe imperante diſceſsit.

CAPVT XV.

Perſarum ad Romanos de bello finiendo legatio. Mebodi Legati oratio, Locus communis contra bellum. Romanorum recuſatio, & ad confligendum cum Perſis promptiſsima voluntas.

Ἐπεὶ δὲ τῆς Ἀμίδης ἐπέβη, πρεσβεύουσι Πέρσαι ἐνδόξως πως καταθέσθαι τὸν πόλεμον. προσέταττον γὰρ Ῥωμαίοις χρήμασι τὰς σπονδὰς σφεῖς πορίζεσθαι, Μεβόδην τὸν σατράπην, ὡς τὸν στρατηγὸν ἀποστείλαντες. καὶ οὖν ἧκε Μεβόδης ὁ Πέρσης παρὰ τοὺς Ῥωμαίους. καὶ ὁ στρατηγὸς ἐκκλησίαν ἐκάθισεν, ὡς ἑαυτὸν συγκαλεσάμενος τοὺς ταγματάρχας, καὶ λοχαγοὺς, καὶ ὑπασπιστὰς, καὶ τῆς μαχίμου δυνάμεως τὸ ἐμφανέστερον. ὁπηνίκα δὲ ὁ σύλλογος ἐπεπλήρωτο, ὁ Πέρσης τῶν αὐτῶν λόγων ἀπήρξατο.

VBI Amidam intrauit, Perſæ pro bello conſopiendo, & fœdere pecunia à ſe redimendo ornatiſsimam ad Romanos legationem mittunt. Mittunt autem Mebodum Satrapam. Dux Romanus coactis ordinum Præfectis, cẽturionibus, ſatellitibus, & quicquid erat in exercitu illuſtrius, conſeſſum celebrat. Pleno iam conuentu Perſa ſuper iis rebus ita exorſus eſt.

Ἄνδρες πολέμιοι, μὴ ταραττέτω δὲ τοὺς ἀκούοντας τοῦ πρεσβευτοῦ τὸ προοίμιον· εἰ γὰρ τὰς γνώμας ἀμείψητε, μεταλλάξω κἀγὼ τὴν προσφώνησιν. ὁπλίσατε νῦν εἰρήνην, ἀποχειροτονοῦντες τὸν πόλεμον. δόρυ καὶ ξίφος, ὡς γεγηρακότα χαιρέτωσαν. καὶ στρατεύσατε σύριγγα, πρᾷον ὄμου καὶ ποιμενικὸν ἐπιλαλοῦσαν τερέτισμα, ὁ

Viri hoſtes (ne vos, queſo, conturbet hoc orationis meæ initium: nam ſi vos ſententiam, ego appellationem facilè mutabo) pacem colite, bellũ tollite. Gladius & haſta velut ſenio confecta valeant. Fiſtula in poſterum, leue & paſtoritium ſonãte ludicrum, militate. Perſarum rex pacis eſt amans, & ſe priorem bello nun-

» περσῶν βασιλεὺς τῆς εἰρήνης ἐστὶν ἐ-
» ραστὴς, καὶ σεμνύνεται ἀπεκδυόμε-
» νος πρῶτος τὸν πόλεμον. βασιλι-
» κὸν γὰρ ἡ τῆς εἰρήνης ἀρέσκεια, ὡς δὲ
» τυράννων ἴδιον τὸ φιλόνεικον. ἄνδρες
» τῶν αὐτῶν παθημάτων ἡμῖν κοινωνοὶ,
» μενάτω τῶν πάντων ὁ πόλεμος μό-
» νος ἀκόρεστος. αἵματι τὴν γῆν ἐ-
» πιάναμεν, πολλάκις τὸν θάνατον ἱστο-
» ρήσαμεν ζωγράφος γὰρ τοῦ θανάτου
» ὁ πόλεμος ἐγὼ δέ φημι καὶ ἀρχέ-
» τυπος. καὶ τῶν ἀνθρωπίνων κακῶν
» ἀρχηγέτης, καὶ διδάσκαλος αὐτο-
» δίδακτος. χρημάτων ἐρᾷ τις; ἀλλὰ
» πλούτῳ καὶ πενίᾳ γεγόναμεν παίγνιον,
» ποτὲ κρατοῦντες, ποτὲ δὲ κρατούμενοι
» καὶ συμμεταβαλλόμενοι ταῖς τοῦ πο-
» λέμου τροπαῖς, ἀΐδιον ὥσπερ τὴν με-
» ταβολὴν ἐκαρπούμεθα. ἐκόμα τις
» τῶν ἀριστέων χρυσῷ; μετὰ τῆς ἡδονῆς
» τὴν ἀπιστίαν ἐκέκλητο. τί γὰρ ἀπιστό-
» τερον ἐν πολέμῳ χρημάτων, ἀμέσως
» μετατιθεμένων ἐπ᾽ ἄλλον, καὶ πάλιν ἐξ
» ἐκείνου εἰς ἕτερον. ὡς ἐγρηγορότα βλέ-
» πειν ἐνύπνιον τὸν κτησάμενον, ἢ τῇ ὑστε-
» ραίᾳ τῆς ἔναγχος μεμνῆσθαι κραι-
» πάλης; ὑμεῖς ὦ Ῥωμαῖοι, πάλαι τὴν
» παῤῥησίαν τῷ πολέμῳ δεδώκατε.
» ὑμεῖς καὶ τῆς εἰρήνης γίνεσθε μαθη-
» ταὶ ἐπικηρυκευομένων περσῶν τὸν φι-
» λόδακρυν ἀποσείσασθε πόλεμον. οἷς
» γὰρ τῆς ἁμαρτίας ἡ ἔναρξις, τούτοις
» καὶ τῆς ἐπανορθώσεως ὁ μεταμελός
» ἐστιν ἁρμόδιος. μὴ γινέσθω θρασὸς
» ὑμῖν ταῦτα τὰ φιλάνθρωπα ῥήμα-

tium remittere, gloriæ sibi ducit. Regia enim res est pacis studium: contrà, res tyrannica certamen & discordia. Viri, iisdem quibus nos affectionibus obnoxij, tollatur bellum, quod solum natura sua est insatiabile. Sanguine campos pinguefecimus, mortem sæpe vidimus: pictura enim mortis, bellum est. Ego verò etiam archetypon dixerim, humanarumque miseriarum auctorem, & magistrum sine magistro. Pecuniam quis amat? atqui diuitiis, & paupertati bello ludibrium euadimus, aliâs victores, aliâs victi: & vnà cum eius mutabilitate mutati, perpetuam quodammodo mutationem perpetimur. Potentiorum quispiam auri copia sibi plaudit? habet cũ voluptate simul diffidentiæ materiam. Quid enim belli tempore magis infidum pecunia? Citra discrimen ad alium, iterumque ab illo ad alium transfertur, vt possessor eius vigilans somniet: aut tanquam hesternæ crapulæ recordetur. Vos Romani pridem bello licentiam, occasionemque dedistis: iidem nunc discipuli pacis estote, Persis eam docentibus, ac promulgantibus. Bellum lachrymarum seminarium auersamini. A quibus enim peccandi factum est initium, hos quoque pœnitere conuenit. Ne verba isthæc humanitate condita confidẽtiam vobis pariant. Nec enim Persa-

τα. οὐ γὰρ περιδεὴς γεγονὼς ὁ περσῶν βασιλεὺς χθές που καὶ τρίτην, ὅτε τῆς μηδικῆς τὸ Ρωμαϊκὸν κατετόλμησε γῆς, τὴν συμπλοκὴν ἀπαναίνεται. χρυσῷ γὰρ πολλῷ, καὶ δώροις λαμπροῖς πρίασθαι Ρωμαίοις τὰς σπονδὰς ἐγκελεύεται. οὐ γὰρ νηποινὶ καταθέσθαι τοὺς ἡμαρτηκότας θέμις τὸν πόλεμον. ἱκανὴ γὰρ ἡ ἔκτισις καὶ περσικὸν κατευνάσαι θυμὸν, καὶ θράσος περιστεῖλαι Ρωμαίων, πολεμικῆς ὀρεγόμενον σάλπιγγος.

nos, dira insuper fame affligebantur. Dux Aphumos, locum eo tempore Romanorum proprium peruenit. Hinc terrores, timores, tumultus, & inopia cōsilij milites incesserunt: nec inueniebatur vllum in tanto malo solatium, cum per noctem illunē, ac tenebris horridam traheretur. Per vias igitur difficiles & inuias periculosè fugiebant; nec sat rationis in fuga. Barbari dubitare quid illi molirentur, nec eorum assequi propositum. Ad vallem, fossamúe in medio confluunt; ibi detrimentis multantur ingentibus, cum per tenebras noctis iumenta sarcinaria in profundum delapsa prope interirent; milites condensati & explicati, impellentes, & impulsi dum se huc illuc conuertunt, ab vrgente casu se expedire non valerent. Tantam vim incommodi stultitia ducis inuexit. Sanè (ita me Deus iuuerit) si de Persis non amplius decem, seruuli illorum, qui supellectile castrensi circumuehenda ministrant, tum clamores edidissent, manum Persicam à tergo eius insequi, iam iamque ab ea cæsum iri, agmen vniuersum periisset, atque, vt opinor, ne nuntius quidem calamitatis superfuisset: vsqueadeò magnum malum temeritas & amentia illis pepererat.

τάγμα, ὡς κινδυνεύειν, οἶμαι, καὶ ἄγγελον τῆς συμφορᾶς ἀποσώζεσθαι. τοσοῦτον αὐτοῖς κακὸν αἱ τῆς ἀβουλίας λαγόνες ὠδίνησαν. καὶ οὖν ὑπὸ τὰ ἑωθινὰ καταυγάσματα διεσκεδαζομένου τοῦ σκότους, μόλις τὸ Ῥωμαϊκὸν διεξοδεύετο στράτευμα, καὶ ἐς τὸ Ἀφούμων μεταβιβάζεται. ἐντεῦθεν βλασφημοῦσι τὸν στρατηγὸν αἱ δυνάμεις, καὶ ὡς ὑπήκοον ἐκωμῴδουν αὐτόν. τὸ δὲ περσικὸν σχολαίως καὶ ἠρέμα παρείπετο. οὐκ ἐθάρρει γὰρ ἐς τὸ φανερὸν χεῖρας ἐμμίξαι. οὐ γὰρ κατάφωρον αὐτῷ ἐγεγόνει ἐκδειματούμενον τὸ πολέμιον. οὐραγοῦσι τοίνυν, καὶ τὰ κατόπιν τῆς Ῥωμαίων δυνάμεως τόξοις ἐβάλλοντο. ἐπετοξάζοντό τι οἱ μῆδοι ὥσπερ ἐπὶ σκοπῷ. τηλικαύτη τις ἦν Λατίνων ἡ μετὰ τῆς ἀκοσμίας ἀπόδρασις. τοιγαροῦν βάλλεται καὶ μία τῶν κλινοφόρων ἡμιόνων τοῦ στρατηγοῦ βέλει βαρβαρικῷ, καὶ τάραχος ἐς τὸ παραυτὸ ἐπανίσταται. παρεμορφοῦτο γὰρ ἡ φήμη, ὡς οἷα καὶ τῆς ἀποσκευῆς τοῦ στρατηγοῦ ἁλούσης ὑπὸ τῆς πολεμίας χειρός. μετὰ τοῦτο τὰ βέλη τηνάλλως ἀφίεντο, καὶ μέγιστα Ῥωμαίοις διεπόρθμευον τραύματα. ὅμως οὐ συνεπέθετο ἄγαν τῇ ἀποδράσει τὸ βάρβαρον. τοῦτο μὲν δεδιότες. τοῦτο δὲ καὶ διανοούμενοι μηχανᾶσθαι τι Ῥωμαίους, καὶ προκαλύμματι ἀποδράσεως περιπέττειν, ὅ,τι ἂν εἴη αὐτοῖς τὸ πανούργημα. ἐπεὶ δὲ μεσοῦντος ἡλίου ἅπαντες ὡς τὸν στρατηγὸν συνηθροίσθησαν, ὕβρεις, καὶ ἀποσκώμματα ὡς τὸν Θεόδωρον ὑπὸ τῶν στρατευ-

rat. Vbi dies cœpit, dispulsis vndique tenebris, vix progrediuntur, & Aphumis castello succedunt. Illic probra in ducem iaciunt, & vt priuatum dictis aculeatis perstringunt. Persæ sensim, & taciti sequebantur. Quod enim terrore exagitatos nesciebant, aperto Marte cum eis ferro decernere non audebant. Extremo igitur agmini inhærentes, postremos sagittis haud secus quam scopum appetebant. Huiuscemodi fuit Latinorum illa confusa, & perturbata fuga. Vulnerata est etiam telo barbarico vna ducis mula lecticaria, vnde derepentè turbatio; fama vulgante, etiam impedimēta, siue supellectilem ducis ab hostibus captam esse. Tela deinde haud incassum volitare, & Romanis luculenta portare vulnera: quanquam fugientibus barbari non admodum instarent: simul quòd timerent; simul quòd vererentur, nequid Romani machinarentur, vafrūque facinus fugæ tegumēto abscondent. Vbi sole medium cœli tenente omnes ad ducem conuenere, contumeliis & scommatis Theodorum lacerarunt, cui speculatoris munus reuera impositum fuerat. Sed is otio, & inertia languidus, laborem ignauiæ posthabuit, vnde hoc

ματων συνέρρει. τῷ ὄντι γὰρ οὗτος ἐπὶ τῆς ἐπισκοπῆς τὰς φρουρὰς ἐγκεχείριστο. ὁ δὲ, ἐκδοὺς ἑαυτὸν τῇ ῥᾳστώνῃ, κατερραθύμησε τοῦ πόνου, καὶ τὸ κακὸν ἐντεῦθεν χώραν ἐλάμβανεν. ἥλω δ' ὑπὸ τοῦ περσικοῦ καὶ τὰ τῆς ἀποσκευῆς τῶν Ρωμαίων, καὶ περιτυγχάνουσι πέρσαι μεγίστῳ τινὶ ἀγαθῷ. ὁ λιμὸς γὰρ ἐξέωστο οἷά τις τύραννος ἀπαραίτητος, χαλεπῶς σφίσιν αὐτοῖς ἐπικείμενος. ὁ δὲ στρατηγὸς τὸν νύμφιον ποταμὸν διενήξατο μετὰ μεγίστων κινδύνων διανύσας τὴν ἐπανάζευξιν, καὶ οὕτω λίαν αἰσχρῶς τῆς περσικῆς ἀπηλλάττετο. τῇ δ' ὑστεραίᾳ τῇ ἀμιδῇ προσομιλήσας, πολλὴν ἀποβάλλεται δύναμιν, τοῦ περσικοῦ τὰ νῶτα τῆς Ρωμαίων δυνάμεως περικείροντος. ἀποκαραδοκήσας δ' ὁ στρατηγὸς, ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ ἰζαλᾶ φρούρια ἀνεστήσατο. καὶ μὴν καὶ τὰ γεγηρακότα ἀνέρρωσε, παρειμένα τε καὶ διερρυηκότα τῷ χρόνῳ, καὶ τῷ πολέμῳ. ὧν τὸ μὲν προσαγορεύεται Φαθαχών, τὸ δ' ἕτερον ἀλαλεισός. περιέβαλέ τε φρουρὰς ἐν αὐτοῖς, τὸ ἰζαλᾶ ὄρος ἐντεῦθεν παρακατέχειν διεγχειρῶν. μετεδίδου δὲ τῷ ἡρακλείῳ τὸ στράτευμα, αὐτὸς δ' ὑπὸ τῆς λύπης καταλκλυζόμενος, ἀπόμαχος ἦν.

malum deinde propagatum est. Persæ autem sarcinas, & apparatum Romanorum, suo maximo bono diripuerunt: famem enim, qui velut inexorabilis quidam tyrannus eos acerbè vexabat, depulerunt. Dux ad reditum incumbens, & Nymphium flumen periculosissimè tranans, insigni cum turpitudine se se à Persis seruauit. Postridie Amidam accedens, multos de suis, Persis vltimum agmen carpentibus, amittit. Moratus apud Izalam montem, castellis prospectum iuit. Nam & vetusta confirmauit; & longinquitate temporis, obsidionumq; iniuria luxata & soluta restituit; quorum vnum Phatachon, alterum Alalissus nominatur. Præsidia item imposuit, montemque de cætero illis custodiendum tradidit. Præterea exercitus partem Heraclio transdidit: ipse mœstitudine obrutus, ab armis vacationem sibi indixit.

CAPVT

CAPVT X.

Tigris fluuius describitur. Gesta Heraclij ducis in Perside ad meridiem. Missio militum in hyberna. Morbus Philippici, & exercitus ad Persas denuo vexandos diuisio. Res contra Abaros feliciter, & cum gloria administrata. Chaganus fuga beneficio seruatus.

Ὁ δ' Ἡράκλειος τὸ ὁπλιτικὸν διατάξας, κατὰ τὰ παρύπια τοῦ Ἰζαλᾶ στρατοπεδεύεται. μὲν οὖν γε καὶ τοῦ ποταμοῦ τὰς ὄχθας τοῦ τίγριδος, ὃς ἀπὸ τῶν ἀρκτῴων τῆς περσικῆς τῆς βαδίσεως ἀπαρχόμενος, τὴν Ῥωμαίων γῆν διαχορεύει, καὶ περιπλύσσεται. ἀνακολποῦταί τε, καὶ περιάγεται. καὶ οἷα διπλόην τινὰ τῷ ἰλίγγῳ τῆς περιτροπῆς ἀπεργάζεται. περιβάλλεται δὲ καί τι τοῦ ὄρους τοῦ ἰζαλᾶ, καὶ τὸ ἐπιλεγόμενον θομανῶν διανοστῶν ἀγκαλίζεται. εἶτα διεξοδεύεται ἁπαλῷ τῷ ῥείθρῳ διὰ τοῦ μελαβασῶν ὄρους, καὶ ἐς τὴν μεσημβρίαν διαφοιτῶν καπυωάζεται. τὸ δὲ μελαβασῶν ὄρος ἔφυ τῆς μηδικῆς. μετὰ τοῦτο τὰ καρδούχια ὄρη ἰνδοὺς περικύπτοντα, ὡς γεωγράφοι κηρύττουσιν, ἀξιοπιστίαν ἡμῖν προβαλλόμενοι τὴν κατάληψιν. τοιγαροῦν ἀπολιπὼν τὸ θομανῶν ἡράκλειος, εἰς τὰ μεσημβρινὰ τῆς μηδικῆς προεχώρησε, καὶ ἅπασαν ἐκείνην τὴν γῆν παρετέμνετο. Διαπορθμεύεται δὲ καὶ τὸν Τίγριν, καὶ εἰς τὸ πρόσω παρελαύνει τὸ στράτευμα, καὶ ἐνεπίμπρα τῆς μηδικῆς ἐκείνης χώρας ὅσα ἐπίσημα. εἶτα ἐπανήκεν ἀνὰ τὴν Ῥωμαϊκὴν πολιτείαν, καὶ τὴν θεοδοσίου περιπλύσσεται πόλιν, καὶ ἀναμίγνυται αὖθις τοῖς ἀμφὶ τὸν Φιλιππικὸν τούτων

Heraclius agmine composito per plana iuxta Izalam secũdam ripas Tigridis ducit, qui fluuius à septentrionali Persidis ora erumpens, terras Romanas perlabitur, amplectitur, & per eas se insinuat, illas ambit, suaque ambage, velut duplicitatem quandam efficit. Partem etiam montis Izalę circuit, & castellum Thomanum, quod dicitur, reditu suo includit. Deinde per Melabasum (mons est Persidis) meridionalem plagam minoribus vndis influens, absorbetur. Post eum mõtes Carduchij in Indiam porrecti, vt Geographi scribunt, haud absonam fidei cognitionẽ nobis tradentes. Igitur Thomanum castellum relinquens Heraclius, versus meridiem progreditur, totamq: regionem deuastat. Transit etiam Tigrim, & vltra pergit, omniaque loca illa illustria ignibus corrumpit. Post in ditionem Romanam reuersus, Theodosiopolim se recipit, rursumque ad Philippicum sese aggregat. His ita preter opinionem perfectis, dux militi missionẽ dedit. Hyems quippe ante fores iã erat, anniuersariaq; stipẽdia exer

CAPVT XI.

Comentiolus fidei violatæ, timiditatisq́; reprehenditur. Montis Aemi luculenta descriptio. Hostium transitus inuestigatur. Castus fortuna prospera elatus, Comentiolum deserit: in calamitatem incidit.

Κομεντίολος δὲ τὴν ὁμολογίαν ἀποπεμψάμενος, τάς τε περὶ τῆς περατεραίας συνθήκας, οὐδέν τι διεπράξατο πρὸς ἐντρέχειαν βλέπον. οὔτε ὡς τὸν κάστον, καὶ Μαρτῖνον ἀπῴχετο διὰ τὸ πλῆθος βαρβάρων ἐς νῶτα διασύρεσθαι, καὶ ἐν τροπαίῳ συμπλέκεσθαι. λόγος δὲ καταιτιᾶται ῥουστίβιον, συντάγματός τινος ἡγεμονεύοντα, τῷ στρατηγῷ ὑποτίθεσθαι ὀλιγώρως ἔχειν περὶ τὴν ἄφιξιν, καὶ παραμελεῖν τῆς ἐς Μαρτῖνον καὶ κάστον αὐτανόδου, διά τε τὸ τῆς τύχης ἀσαφὲς, καὶ δυσέφικτον, τήν τε βασιλέως γνώμην μὴ οὕτως ἔχειν, καὶ τηλικούτους μὴ ἐγχειρεῖν κινδύνους ἐπείγουσαν. καὶ δῆτα ἐξεδίδου ὁ στρατηγὸς ῥουστιβίῳ τὰ ὦτα, καὶ τὸ σπουδαζόμενον τῇ ῥαθυμίᾳ ἐγίνετο. Μαρτῖνος δὲ καὶ κάστος ἐς μαρκιανοῦ πόλιν τὸν στρατηγὸν ἥκειν πυθόμενοι, παρ' αὐτὸν ἐπανήεσαν. ἡλίου δ' ὑπερχομένου τῆς κυκλικῆς τῆς φωσφόρου δινήσεως, πανστρατιᾷ κομεντίολος ἐπὶ τὸν ἴδιον ἐχώρησε χάρακα, ἔνθα καὶ τοὺς ἀπολέκτους τοῦ ῥωμαϊκοῦ κατελελοίπει στρατεύματος. μετ' ἐκεῖνο δῆτα ἐπὶ τοὺς στενωποὺς τοῦ αἵμου στρατοπεδεύεται, ἐπί τε τοὺς γηλόφους, καὶ τοὺς ἐφ' ὕψους αὐλῶνας ἀνάγονται. σαβουλὲν δὲ μανάλιον ὁ τόπος

Comentiolus autem nudius tertius pacta & conuenta abiiciés, nihil sollers & industrium egit; neque ad Castum, & Martinum abiit, vt barbaros ab iis auerteret, & in fuga manum cum iisdē consereret. Accusatur vulgò Rustibius quidam è centurionibus, qui consilio suo hāc, duobus illis ab hostiū tergo succurrendi negligentiam duci iniecerit: quia nimirum fortuna incerta esset, & ad eam perueniri ægrè posset: nec Imper. istuc velle, qui talibus se offerre discriminib. nō cogat. Commodauit igitur aures Rustibio dux, socordięque vt negotio graui ac serio studebatur. Martinus, & Castus vbi ducem Martianopolim cōcessisse acceperunt, ad eum abiere. Sole iam caput proferente, Comentiolus cū totis copiis ad castra, vbi reiectitios illos de Romano exercitu reliquerat, se recepit. Deinde ad angustias Aemi proficiscens, colles, & in sublimi valles petit, loc⁹ ab indigenis Sabulenmanalion appellatur, quam age describamus, & orationis facultate informare instituamus. Locus hic longè pulcherrimus & excelsus, vsque

ὠνόμασται, ἐπιχωρίῳ προσηγορίᾳ τινί. ἀλλὰ φέρε τοῦτον ὑπογράψωμεν τῷ λόγῳ, καὶ φραστικῇ τινι δυνάμει διαμορφοῦν ἐγχειρήσωμεν. χῶρος δ᾽ οὗτος πάγκαλος καὶ μετέωρος. ἀνὰ τὸ τοῦ ὄρους μεσαίτατον ὕπτιος τὴν θέσιν πεδίον καθειμένον ἀνθοφόροις προπύλαις ἅπαν κατάκομον. λειμῶνες δὲ τούτῳ χλοάζοντες, ὀφθαλμῶν ἑορτὴ καὶ ἑστίασις. διατριβαὶ δὲ αὐτῷ κατάσκιοι, τῷ λασίῳ τῆς ὕλης τὸν ἐπιβάτην ἐγκρύπτουσαι, καὶ πολλὴν ἀλέαν μεσημβρίας ὥρᾳ τοῖς ἐντυγχάνουσιν ἀποτίκτουσαι, ὁπότε ταῖς ἡλιακαῖς ἀκτῖσι, καὶ τὰ τῆς γῆς ἐνδόμυχα κατηθάλωται. καί ἐστιν ὁρᾶν μὲν ἡδὺ, εἰπεῖν δ᾽ οὐ ῥάδιον. περιῤῥεῖ δὲ τὸν τόπον ὑδάτων ἀφθονία, μήτε τὸν πίνοντα παραλυποῦσα ταῖς ὑπερβολαῖς τῆς ψυχρότητος, μήτε τὸν ψυχάζοντα ἀποκναίουσα, διὰ τὸ τῆς ὁμιλίας, ὡς ἔπος εἰπεῖν, μαλθακώτερον. ξεναγωγοῦσί τε ὄρνιθες τοὺς θεατὰς τοῖς μέλεσι μουσικώτερον, ἐν τοῖς νεοβλάστοις τῶν δένδρων ὀχούμενοι. ᾄδουσί τε αὐτοῖς

Νηπενθές τε, ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον
  ἁπάντων,

καὶ πολλὴν τὴν ἀλυπίαν τοῖς ὁδίταις ταῖς ᾠδαῖς παραπέμπουσιν. ὅ τε κιττὸς, καὶ ἡ μυῤῥίνη, καὶ ἡ σμίλαξ μετὰ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀνθῶν, καλλίστῃ τινὶ συμφωνίᾳ τρυφὴν ἄϋλόν τινα ταῖς ὀσμαῖς τελεσφοροῦσι κομιδῇ ἀφθονώτατα, καὶ καταπλουτοῦσι ταῖς εὐωδίαις τὸν ἐνδημήσαντα, ὥσπερ τινὶ φιλοξενίας ἀρίστῳ θεσμῷ παρασκευὴν θυμηδίας τινὰ τοῖς φοιτηταῖς περιφερόμενοι. ἔνθα δὴ τῇ προτεραίᾳ, ἅμα τῇ ὑστεραίᾳ τὸ στρα-

que ad medium mótis positione resupinus est. Campus subiectus, tanquā floriferis vestibulis totus comans. In eo item prata virétia, festū diem, & conuiuium quoddam oculis præbent. Visuntur etiam illic vmbrosa tabernacula ex densitate arborū: quibus qui ascendunt occultantur; multusque ibidem meridiano tempore calor sentitur; quando nimirum radiis solaribus etiam abdita terrarum æstuant. Et est sanè res iucunda visu, difficilis explicátu. Circumfluit aquarum copia, quę neque bibentem nimio frigore molestia: neq; frigus captantem, propter mollius (vt ita dixerim) cōfortium tædio afficit. Praeterea auiculæ arborum ramis fronde noua pubescentibus sustentatæ, spectatores suis cātibus hospitio musico accipiunt. Cantant porrò illis,

Νηπενθές᾽ ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁ-
  πάντων.

Absq; luctu & ira, malorum obliuionem
  omnium inducens,

viatoribusque cantibus illis mœrorem magnopere minuunt, & abstergunt: hederaque, myrtus, & smilax, cum omni florum genere, concordia quadā pulcherrima delicias quasdam incorporeas, quam vberrimè odoratui perfectè prȩstant: & odorum suauitatibus præsentem ditant, aduenis velut optima hospitalitatis lege apparatum quendā iucūditatis offerētes. Hic igitur exerci-

τόπεδον προσέταττεν ὁ στρατηγὸς ἐναυλίζεσθαι. περὶ δὲ τὴν ξυλίνην δὲ γέφυραν τοῦ γείτονος ποταμοῦ ἀνιχνεύειν τὸ Ἀβαρικὸν ἐξ ἑωθινοῦ λοχίτῃ γε ὄντι Μαρτίνῳ ὁ στρατηγὸς ἐγκελεύεται, ἐπισκοπεῖν τε, εἴ γε διεπεραιώθη τὸν ῥοῦν τὸ πολέμιον. Κάστον δὲ κατὰ τὴν λιθίνην διάβασιν ἀνερευνᾶσθαι τὰ τῶν πολεμίων κινήματα, πῶς τε ἔχουσι γνώμης, καὶ πρὸς τὸ ἀντιπέρας εἴ γε στρατοπεδεύοιντο. ἀλλ' ἐπεὶ Μαρτῖνος ἐθεάσατο διαπεραιοῦσθαι τὸν ῥοῦν ὅσον οὔπω τὸ πολέμιον μέλλον, παλίνορσος οἷα ἐπανῆκε, καὶ συνείρει τοῖς ἀμφὶ τὸν Κομεντίολον στρατεύμασιν. ὁ δὲ Κάστος ὑπεκβαίνων, τόν τε ποταμὸν διεπεραιώσατο, καὶ εἰς τὸ πέραν ἀφικόμενος, ξυγγίνεται τοῖς προθέουσι τῶν ἀντιπάλων, καὶ ῥωμαλεώτερον ἅπαντας τῷ ἀκινάκῃ διώλεσε. δράσας δὲ τὰ τοιαῦτα, οὐχ οἷός τε ἦν τὴν παροῦσαν εὐπραγίαν διαφυλάξασθαι, σκαιοῦ τινος δαίμονος ὑποθήκαις. οὐκ ἀνέζευξε γὰρ ἐπὶ τὸν Κομεντίολον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν ξυλίνην ἀποιχόμενος γέφυραν, συμπαρομαρτεῖν ἐπειρᾶτο Μαρτίνῳ. ἐπεὶ δὲ διητύχησε τοῦ βουλήματος, ἡλίου δυομένου ἐπαννύχιζε κατὰ τὸν χῶρον. τῇ δ' ἐπιούσῃ διενυκτέρευε τὸ πολέμιον, καὶ διὰ τῆς ξυλίνης γεφύρας εἰς τὸ πέραν διεπορθμεύετο. οὐ γὰρ οἷόν τε ἦν ἄλλως διαπεραιοῦσθαι τὸ ῥεῖθρον, ἀγχιβαθὴς γὰρ ὁ ποταμὸς ἐπεφύκει, πελαγίζων τε τῷ ῥοθίῳ, τοὺς ἐπιβαίνοντας τῆς πορείας ἀπεῖργε. συνιδόντες δὲ καὶ Κάστου ὡς τὰ οἴκοι, καὶ ἀνταναγομένου ἐπὶ τὸ στρατόπεδον, ἀντιμέτωπον τὸ δυσμενὲς συνεκύρησε πλῆθος, καὶ δυσαντίτητον ἦν τὸ κακὸν, καὶ σοφίσματος ἄμοιρον.

tũ pridie, postridieq; dux habere stationem iussit, & Martino manipulario negotiũ dedit, vt iuxta pontem ligneum vicini fluminis Abaros à mane vsque indagaret, specularetur que, ecquid flumen transiisset. Casto præcepit, vt terrestri via hostium vestigia motusque, & quid in animo haberẽt, & nũ ex aduerso constitissent, scrutaretur. Martinus postquã hostes iam iam fluuium trãsituros animaduertit, celeri pede retrogressus, ad Comentiolum, & exercitũ rẽ defert. Castus verò deflectens, flumẽ transmittit, & in ripa vlteriore inito cum præcurrentibus hostium certamine, robustis viribus oẽs mactat. Ea re confecta, felicitatem oblatã sustinere non poterat, alicuius mali dæmonis instinctu videlicet: nec enim ad Comentiolũ regressus est: verùm ad pontem ligneum abiens, cum Martino se coniungere conabatur. Quo proposito lapsus, cũ sol iam occidisset, noctẽ eo in loco totam transegit. Hostes sequenti nocte exacta, per pontẽ ligneũ in aduersam ripam transeunt; aliter quippe non dabatur, quod iam profundius flumen & tumidum, fluctibus transitum negaret. Domum autem Casto respiciente, & ad castra parante reditũ, à fronte hostiũ numerus illi occurrit; nec iam præsenti discrimini obuiam ire ingenio aliquo licebat.

CAPVT

CAPVT XII.

Agmen Casti, timore perculsum dissipatur. Capti de Romanis atrocissimè pulsantur. Castus, & cum eo multi in potestatem veniunt. Abares in Thraciam vastabundi sese infundunt. Ansimuthus peditatus Thraciæ præfectus capitur. Consultatio Comentioli cum prioribus, & ad constanter dimicandum cohortatio.

Αὐτὰρ ἱδρὼς περιέρρει τῷ Κάστῳ, ἀπορία δὲ τὴν ψυχὴν κατεβάλλετο. ὠρρώδει τε καὶ ἐδεδίει, καὶ ἐς μέγα κακοῦ τὰ τῆς συμφορᾶς εἶχε τὴν πρόοδον. περισχίζεται δὲ παραυτίκα τὸ σύνταγμα, καὶ ἄλλος ἄλλῃ, ὡς εἶχε δειλίας, ἐτράπετο. καὶ οἷα πτῶκές τινες, ἢ νεβροὶ κυνηγέτου ἐπιβουλαῖς παρωθούμενοι, πρὸς τὰ τέμπη παρεκρύπτοντο, ἐγκεκορδυλημένοι τοῖς ἄλσεσιν. ἁλόντες δέ τινες τοῦ Ρωμαϊκοῦ ὑπὸ τῶν ἀβάρων, ἀνήκεστά τε ᾐκίζοντο, καὶ ἄλλας ἄλλοτε στρεβλώσεων ἐπινοίας ὑπέμενον, ἠπειλεῖτο δ' αὐτοῖς καὶ τρόπος θανάτου πικρώτατος, εἰ μὴ τὸν κάστον ὅπη καὶ τύχοι τραπέντα παραδηλώσωσι. τοιγαροῦν καθομολογοῦνται, δακτυλοδεικτοῦσί τε τὸν κάστον, οἷά πως ἐπιφυλλίδα ὕνα ἐν μέσῳ τῆς ὕλης ἀποκρυπτόμενον. ὡς οὖν ἐζωγρεῖτο ὁ ταξίαρχος, καὶ λιπαρόντι κύρμα τοῖς πολεμίοις ἐγίνετο. ἀλλὰ καὶ πλείστη ἀπόμοιρα τοῦ στρατεύματος, ἅμα τῷ κάστῳ ὑπὸ τῶν δυσμενῶν συνεσφίγγετο. ὁ δὲ πόλεμος ἐπίδοσιν μᾶλλον ἐλάμβανε, καὶ πρὸς τὸ λαβρότερον ἐξεκαίετο. ὁ γὰρ χαγᾶνος ὥσπερ ἀπό τινος ἀφετηρίας κακῶν ἐπαφίησι στρατιὰν πολλὴν, ὅπως τὴν θρᾴκην

Caeterùm Castus sudore diffluebat, & quo se verteret nesciens, animo concidebat, timebatque, & pauebat: ad malum ingens spectabat calamitas. Extemplo tota acies dissipatur, & alius aliò, vt quemq; metus hortabatur, diffugiunt: nec secus quam lepores, aut hinnuli venatorum exercitæ insidiis, per syluas se occultant, & nemorum saltibus delitescunt. Capti quidam indignissimè verberantur: & aliâs aliis cruciatibus, tum primum excogitatis subiiciuntur, cum minis acerbissimæ mortis, ni, vbi Castus fugitiuus deliteat, enuntiarint. Enuntiant, Castumque velut racemum sub folio vitis, in media sylua absconditum digito intento produnt. Ducitur captiuus, fitque præda hostibus non vulgaris. Plurima insuper eius agminis pars cum eo comprehenditur. Bellum porrò increscere, & ad maiorem auiditatem exardescere. Etenim Chaganus quasi è carceribus malorum, frequẽtem immittebat exercitum, qui Thraciam vniuersam

διατέμνηται πᾶσαν. ἐνάλλεται τοίνυν ἐπὶ προνομὴν τὸ πολέμιον, διὰ τῶν τῆς μεσημβρίας ὁρίων. καὶ δῆτα τοὺς φύλακας (πεντακόσιοι δ' οὗτοι, περιφρουροῦντες τὰ ἐχυρώματα) ἡρωϊκώτερον παραταξαμένους ἀνεῖλον. Ανσιμοὺθ δέ τις ταξίαρχος (πεζικοῦ δὲ οὗτος στρατεύματος ἡγεμόνευε, περὶ τὴν Θράκην ἐνδιατρίβοντος) ὁπηνίκα ᾔσθετο τὸ ἀβαρικὸν ἐπιφοιτῆσαν, ἠθροίκει τὴν στρατιάν, καὶ πρὸς τὰ μακρὰ τείχη διέσωζεν. αὐτὸς δὲ ἐπὶ τὸ οὐραῖον τῆς δυνάμεως ἐτύγχανεν ὤν, συνώθει τε πρὸς τὸ εἴσω τὸ στράτευμα. τοῦτό τοι καὶ ζῶντα τοῖς βαρβάροις ἀπέδοτο. ἥλω γάρ, καὶ πρόχειρον θήραμα τοῖς προθέουσι τῶν πολεμίων ἐγίνετο. οὐ γὰρ τὰ νῶτα διὰ φυλακῆς εἶχεν ὁ δείλαιος. μετ' ὀλίγον δ' ὁ χαγᾶνος καὶ τὴν λοιπὴν τοῦ πλήθους ἀπόμοιραν τῇ Θράκῃ προσέχεε, διὰ πλείστων τε τόπων τὴν εἴσβασιν ἐπεποίητο. σκαιόθεν δ' οἱ ἀμφὶ τὸν κομεντίολον ἐστρατοπεδεύοντο· διά τοι τοῦτο ἀποκρύπτονται οἱ Ῥωμαῖοι πρὸς ταῖς ὕλαις τοῦ αἵμου, τό γε πολέμιον παρήεσαν εἰς πλείστας ἀνὰ τὴν θράκην διασπείρεσθαι μοίρας. Τρίτῃ δ' ἡμέρᾳ ὁ κομεντίολος τοὺς λοχαγούς, καὶ χιλιάρχους, τούς τε ἐπιεικεστάτους τοῦ συντάγματος ἐπὶ τὸ ἑαυτοῦ συνήλιξε σκηνοπήγιον, καὶ συνεκοινοῦτο, ὅτι καὶ μέλλοιεν δρᾶσαι. τῇ δ' ὑστεραίᾳ τούς τε ἵππους, καὶ τὸ πεζικὸν συναθροίσας, ἐκκλησίαν τε ἀγείρας παρεγγυᾷ τῷ συλλόγῳ, μὴ τὰ νῶτα τοῖς βαρβάροις παρέχεσθαι, δεύτερά τε πάντα τῆς ἀρετῆς διατίθεσθαι.

ſam ad vaſtitudinem redigeret. Prorumpunt igitur ad direptiones verſus meridiem, quingentosq; præſidiarios, à quibus munitiones defendebãtur, animosè viriliterq; contra dimicantes vita exuunt. Anſimuthus cẽturio, peditatus in Thracia præfectus, vt Abarum irruptionem ſenſit, collectas in vnum copias ad longos muros incolumes perduxit, cum in extremo ipſe ſequeretur, ſuosq; propelleret: quæ res illum barbaris viuum tradidit. Captus enim obuia præda fuit hoſtibus ante ambulantibus: neque enim tergo, miſer, tutelã gerebat. Non multo poſt Chaganus, etiam, quod ſibi reſtabat militum, in Thraciam effudit, locaque plurima incurſauit. Quos Comentiolus ducebat, eorum erat infelix militia. Quare per Aemi ſyluas ſeſe condentes, ſinebant hoſtes per regiones Thraciæ plurimas diſpertiri. Tertio die Comẽtiolus centuriones Chiliarchas, & optimates in tentorium ſuum conuocat, deq; repub. ad eos refert. Die ſequenti equitatu, peditatuque congregatis, ne hoſtibus terga dare velint, & vt omnia infra virtutem æſtiment, concionem hortatur.

CAPVT

CAPVT XIII.

Chiliarchi oratio de hostibus non inuadendis, à paucitate militum, ab accepta recens calamitate. Huic suasori senex miles aduersatur constantissimè, & lacrymans audientiam rogat.

Τουθορίζων δέ τις τῶν χιλιάρχων ἐς μέσον ἔστη, ἀπαρακαλύπτως τε τοῦ στρατηγοῦ τὰς ὑποθήκας διέχεεν. εἰς τοὐπίσω δ' ἀναρρεῖν ἔφασκε συνοίσειν αὐτῇ τε τῇ στρατιᾷ, καὶ τῷ στρατηγῷ, τοῖσδε τοῖς λόγοις χρησάμενος.

Ἄνδρες τεχνῖται τὸν πόλεμον, τολμηταὶ τὰς ψυχάς· ἀλλ' ὅτε καιρὸς συμμαχεῖ, καὶ τύχη τίς ἐστι τοῖς ἡμετέροις ἐπίρροθος. ἄνδρες, παρ' οἷς κοινὸς μὲν ὁ κίνδυνος, ἡ δὲ σωτηρία ἁπάντων ἀμέριστος, ὁπόσον ἡ δειλία κακίζεται, ἐπὶ τοσοῦτον ἔχει ψόγον τὸ θράσος ἀντίθετον, ὄκνος δὲ φρονήσεως ὅρος ἀκρότατος, ὅταν οὐκ αἰσχύνην τὴν εὐβουλίαν, ἀλλ' εὐσχημοσύνην τὴν σωφροσύνην ποιήσηται. ἀλλὰ πρίν τι τῶν ἐμῶν ῥημάτων ἐκ τῆς ἑαυτῶν μητρὸς τῆς καρδίας προκύψαι, καὶ τοῖς ὠσὶ τοῖς ὑμετέροις μαιώσησθε, τοῦ στρατηγοῦ τὴν ἀξιοπιστίαν μικρὸν ἀποπέμψασθε, μή πως τῶν βουλευτῶν τὴν ἀκοὴν διαδύσηται, καὶ προφθάσῃ ὥσπερ θύρα τινὶ κεκλεισμένῃ τῇ ἐγκοπῇ τὸν φθεγγόμενον, καὶ τοὺς ἡμετέρους πρὶν εἰσοικίσησθε, ἀποβάλησθε λόγους. ἀξιοπιστία γὰρ αὐτὸ δυνατόν τι χρῆμα, καὶ τὴν ἰσχὺν οὐκ ἐπίκτητον ἐ-

Tum quidam de Chiliarchis, siue Tribunis Tuthorizō vocabulo in medium surgens, apertè, ac sine dissimulatione ducis consilium improbat; ac retro abire tum in exercitus, tum in eius rem fore, huiuscemodi oratione demonstrare contendit.

« Viri militiæ gnari, & fidentes animi (sed cum tempus adiuuat, & fortuna res nostras propius aspicit.) Viri, apud quos omnium commune periculum, omnium communis, & indiscreta salus: quantum timiditas reprehenditur, tantum vicissim audacia eius aduersaria vituperatur: cunctatio prudentiæ fastigium est, quando non dedecus pro bono faustoque consilio, sed decus pro sana intelligentia amplexata fuerit. Verumenimuerò, priusquā verborum meorum quippiam è corde, ipsorum fonte ac parente se expromat, & illi aures vestræ obstetricentur, dignam fide ducis auctoritatem paulisper seponite; ne fortè vobis suadere cupientium voces prætereatis, iisq; interceptis, ianua præcludatur: & orationem nostram prius eiiciatis, quam domum vestram intromiseritis. Hoc enim efficere potest, cui propter dignitatem

" χει, ἀλλ' οἷα πηδάλιον τὸ βούλημα
" κέκτηται, ὅποι καὶ θέλει τοὺς ἀκούον-
" τας οἰακίζουσι. ἀντιτείνειν ἄνδρες ὁ
" στρατηγὸς τῷ πολεμίῳ παρεγγυᾷ, καὶ
" ἀντιπρώρους πλεῖν τοὺς ὀλίγους τοῖς
" πλείοσιν ἐγκελεύεται, καὶ ταῦτα καὶ
" Κάστου διολωλότος. ὑμεῖς δέ μοι καὶ
" μάρτυρες, ὡς μὴ πάντες ἀγαθοὶ πα-
" ρατάττεσθαι, εἰ μή γε λυπῶ μικρόν τι,
" διαγυμνώσας ὑμῖν τὴν ἀλήθειαν.
" παρ' ἐμοὶ γὰρ ἐπίπλαστος ἔπαινος
" ἀληθοῦς ἀτιμότερος ψόγου, ἐπεὶ μη-
" δὲ δουλεύει τοῖς ἐγκωμίοις τὰ πράγ-
" ματα. ἢ οὐχὶ τὸν χάρακα ὁ στρατηγὸς
" ἔναγχος τοῖς ἀπομάχοις περιφρου-
" ρεῖν διετάξατο; ἄνδρες δ' οὗτοι τετρα-
" κισχίλιοι, ὡς μικροῦ δεῖν τὸ λειπὸν
" τοῖς συμπλεκομένοις ἰσάζεσθαι, καὶ τοῖς
" ἀγωνισταῖς τὸ ἀπόμαχον, τό τε ὑγιὲς
" ἐφάμιλλον εἶναι τῷ σκάζοντι. σιωπή-
" σομαι δὲ καὶ ὅσην τῆς ψυχῆς εὐρω-
" στίαν διώλεσε, τὰ περὶ μικροῦ δυστυ-
" χήματα, ὅπως τε πλείστην ἐπίκουρον
" ῥοπὴν ἀπέκειρε τὸ πολέμιον. καὶ εἰ
" μὴ σφάλλομαι, μείζονα τῆς περὶ μι-
" κροῦ συμβάσης εὐκλείας τὰ τῆς ὑπο-
" γύου συμφορᾶς ἀποτελέσματα. ἀνεῖ-
" λε Κάστος τῶν βαρβάρων πολλούς, καὶ
" τὴν λείαν ὡς αὐτὸν ἀνελάμβανεν,
" ἀλλ' ἀνθεῖλε ταύτην τῇ ὑστεραίᾳ ὁ
" βάρβαρος. νῦν δὲ δυσφημίας
" τὸν ἐπιμύθιον λέξω· κἀκεῖνον συνέ-
" λαβε, τούς τε στρατιώτας ἐζώγρησε, καὶ
" θρίαμβον ἔνδοξον ἀνεδήσατο, καὶ λα-

plurimùm, & facillimè creditur; cui non aliunde acquiſita vis ineſt; ſed voluntatem pro temone poſsidens, audientes quò lubet dirigit. In hoſtem ire dux hortatur, & obuerſa prora paucis aduerſum multos nauigandum cēſet; idque cum & Caſtus perierit. Iam & vos mihi teſtes eſtis, non omnes noſtrûm (liceat bona cū venia veritatem nudā proloqui) prælio idoneos videri. Apud me quidem certè ficta & commentitia laus, vera & iuſta vituperatione deſpicabilior habetur: quandoquidem res ipſæ encomiis nō ancillantur. Quid? an non paulò antè ad pugnā inutilibus caſtrorum cuſtodiam dux mandauit? atque iſtorum numerantur quaterna millia; vt non multum abſit, quin quod relinquitur, bellatoribus numero exæquetur, & imbellis turba pugilibus, & claudicantes rectè incedentibus. Tacebo quantum nuperrimè accepta clades de animorum robore, firmitateq; detraxerit, & quomodo hoſtes auxilij momētum maximum nobis præciderint. Ac niſi me fallit, non tantam paucos ante dies adepti ſumus gloriam, quantā nunc ex infelici ſucceſſu calamitatem. Letho dedit Caſtus barbarorū multitudinem, quāque ipſe prædam tulit, poſtridie barbarus retulit. Atq; vt peſsimi ominis epimythion tanquam fa-

" bulæ adiiciam, & illum inſuper, & milites viuos comprehēdit, & triumpho

θεῖν ἐν ἄλσει κρυπτόμενον τὸν Κάστον οὐκ ἦν. καί τοι τὸν Χαγᾶνον λιμναζομένη νῆσος ἐκάλυπτε, καὶ οὐκ ἐξεῖπε Μαρτίνῳ τὸν ἐμφωλεύοντα. ἀλλ' οἷα μυστήριόν τι ἀπόρρητον τοῦ ἀμυήτου ἀπέκρυπτεν. ἤδη δέ πως καὶ βασιλέα τὰ μικρὰ ἐκεῖνα ψυχαγωγοῦσιν ἀνδραγαθήματα, κοὐκ ἂν ἐπίπεμπον ἡμῖν σύμμαχον προχέῃ βοήθειαν, μή πω τῶν νεωτέρων ἀτυχημάτων αἰσθόμενος. οἶδα δ' ὅτι καὶ τὸ πολέμιον προμηθέστερον ἀπεργάσονται, οἱ ἔναγχος αὐτὸ περιστροφήσαντες θόρυβοι, καὶ πολλὴν λοιπὸν τὴν περιφυλακτικὴν ἀσυλίαν ἀσκήσειε, διὰ τὸ μικρὸν ἐκεῖνο δυστύχημα. ἀποχρώντως ὑπὲρ τοῦ συνοίσοντος, ἄνδρες, διείλεγμαι. ἐμοὶ δὲ τύχη διασφαλῆναι δοίη τῆς δόξης, αὐτὴ τὴν παρ' ἑαυτῆς ἐπικουρίαν ὑμῖν ἀντιχάργουσα.

Ὅτι τοίνυν ὁ χιλίαρχος τοὺς ἀγεννεῖς τούτους ἐξηρεύξατο λόγους, τοῖς τε ῥήμασιν ἐξεδειμάτου τὸν σύλλογον, ἀτρεμοῦντός τε τοῦ πλήθους, καὶ τεθηπότος τοῖς φοβεροῖς διηγήμασιν, ἀνήρ τις πρεσβύτης ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἀνέθορε μετὰ βοῆς τῷ χιλιάρχῳ μεμφόμενος. ἐζήτει τε τὴν ἐκκλησίαν ἐς λόγους ἀντιλογίας γενέσθαι. ἐπεὶ δὲ τὸ πλῆθος ἐπένευσε, καὶ ταῖς χερσὶ προαγορεύειν ἐκέλευσε, φωνῇ μεγαλέᾳ ποτνιώμενος, πρεσβυτικῷ τε δακρύῳ τοῖς ῥήμασι τὴν

" umpho glorioſo decoratus eſt. Caſto in ſaltu deliteſcere non licuit, cum tamen Chaganum poſita in ſtagno inſula texerit, nec abſconditum Martino prodiderit: ſed perinde atq; myſterium quoddam non efferendum profanos celauerit. Imperatorem nunc egregia illa noſtra, ſed parua tamen facinora delectant; qui cum recentiora infortunia noſtra nec dum cognouerit, auxilia nulla mittet. Arbitror autem ipſos quoque hoſtes è tumultu proximo cautiores futuros, ac propter exiguũ illud quod pertulere incommodum, daturos operam diligenter, vt in poſterum ſecuritati ſuæ melius proſpectum eant. De eo quod conduceret, ſatis à me dictum eſt. Vtinam fortuna hoc mihi largiatur, vt opinione aberrem, ipſaq; per ſe opem nobis afferat. "

Poſtquam Chiliarchus ſermonem hunc nequaquã liberalem, & ingenuum effutiuit, ac verbis ſuis conuentum exterruit, & omnis cõcio ad horribilem commemorationẽ immota & attonita conſtitit, ſenex quidam è medio prodiẽs, clariſona voce Chiliarchum increpat, & refutationi ſuæ audiendæ cogi cõuentum petit. Vbi miles annuit, ſublatiſque dexteris diſſerere iuſsit, ſenili voce fidem omnium implorans, ſenilibuſque lacrymis ab ſe dicen-

αἰδῶ περιτρεπόμενος, ὧδέ πως τῶν λόγων ἀπήρξατο.

dicendis reuerentiam concilias, sic demum fari occœpit.

CAPVT XIV.

Oratio senis, qua sententia Chiliarchi vt timida & ignaua refellitur, & Abares armis appetendos consulitur: ipsius hostis, Romanorumq; veterum exempla assumuntur, & sententiosa cohortatio adiungitur.

Ἄνδρες Ῥωμαῖοι, ἀλλ᾽ εἰ μὴ τοῖς ἔργοις ψεύσησθε τὰ ὀνόματα· ἄνδρες, ἀλλ᾽ εἰ μετὰ τοῦ σώματος ἀῤῥένας σχοίητε τὰς ψυχάς. εἰ καὶ τοῖς λόγοις κομπάζειν μεγάλα οἶδε, καὶ περικυκᾶν ὁ χιλίαρχος, ὅμως ἐνδρανέστερα τῶν ῥημάτων τὰ πράγματα, καὶ ψόφων οὐκ ἀνεχόμενα. οὐ γὰρ καθάπερ παῖδας ἡμᾶς μορμολύττεται τοῖς σοφίσμασιν. ἐγὼ δὲ πρῶτον ἡδέως ἐροίμην ἐκεῖνον. πρὸς τῆς ἀληθείας, τίσι ταῦτα δημηγορεῖς ὦ χιλίαρχε; ἀγροίκους ἂν ἐβουκόλησας ταῦτα φθεγγόμενα, παρ᾽ οἷς, ἀντὶ μὲν ξίφους τὸ πτύον, διφθέρα δὲ θώραξ, ἀντὶ δὲ ἵππου γαύρου τε καὶ ὑψαύχενος ἀροτῆρες βόες, ἰδιῶται τοῖς ἔργοις, καὶ θεράποντες γεωργῶν. τί τὴν ἐκκλησίαν γυναικωνῖτιν ὑπείληφας, καὶ μετὰ τοῦ γένους τὴν φύσιν ἐνύβρισας; ἀδικεῖς τοῖς λόγοις τὰ πράγματα, καταναισχυντῶν τῆς βουλῆς. οὐκ ἐν ἀῤῥένων ὄψεσιν ἐκχεῖν ἀσχήμονας λόγους ἐδόκησας; ἢ οὐκ ἐκκλησίαν ὁρᾷς καὶ δῆμον Ῥω-

VIri Romani (si non factis nomen istuc mentiamini) Viri (si cum corporibus etiam viriles geritis animos) tametsi Chiliarch⁹ verbis crepare grādia, & permiscere omnia didicit, nihilominus ipsæ res verbis efficaciores, tantos crepitus non admittunt. Non enim nos sophismatis suis, tanquam pueros laruis territat. Equidem primum libenter interrogarem illum: Per veritatē obsecro te, Chiliarche, quibus hæc concionaris? Agrestibus ista demulcendis & oblectādis diceres, apud quos est pro gladio ventilabrum, pro thorace ferreo tunica pellicea, pro equo feroci & sublimi ceruice boues aratores, dicati operi rustico, agricolarumque famuli. Cur tandem hunc cœtum esse gyneceum putauisti, & cum genere naturā ipsam contumeliosè læsisti? Verbis tuis res dedecoras, dū te aduersus conciliū tam impudenter geris. Non tu videbas te coram viris ista tam fœda, & indigna dictu profundere? An non aspicis conuentum, populumque Romanum,

μαχικὸν αὐχοῦντα τῇ προθυμίᾳ, καὶ σφριγῶντα τοῖς ὅπλοις, καὶ πεῖρα κινδύνων, καὶ προμηθείᾳ τοῦ συνοίσοντος ἐπιστήμονα; τί σοι μικρὰ συμφορὰ μεγάλων ἀνδραγαθημάτων ἐπίδοσιν περιέτεμε; καταισχυνέτω σε τὸ πολέμιον, μὴ τεθνηκὸς ἐπὶ τοῖς ἀτυχήμασιν. ὁ πρὸ μικροῦ λιμναῖος ὥσπερ γενόμενος, καὶ πρὸς τῇ νήσῳ φυγὼν, καὶ τὴν τῶν ὑδάτων πίστιν σωτηρίαν ἄπιστον ἀνελόμενος, νῦν ἀνδρικῶς παρατάττεται. καὶ παραθαῤῥύνει τοὺς τραυματίας· καὶ πείθει τοῖς ἕλκεσι μείζονας ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν βολὰς ὑποδέχεσθαι, ὥσπερ ἵνα φάρμακα μεγίστων ἀλγηδόνων θελκτήρια. τῶν γὰρ ἔμπροσθέν ἐστιν ἐπιλήσμων κακῶν· ἀπορεῖν γὰρ εὐπραγίας ἀνάγκη, τὸν μὴ μεταβάλλεσθαι τὰς δυσχερείας ἐλπίσαντα. πόθεν Ῥωμαῖοι ἐς μέγα προῆλθον δυνάμεως, καὶ μικρὰν πολιαρχίαν ἐς τοσοῦτον κράτος παρέτειναν; ἐγὼ μὲν οἶμαι τῷ μεγαλόφρονας εἶναι, καὶ ζέοντας ἔχειν τοὺς ἔρωτας, καὶ τῷ τολμητὰς πεφυκέναι, καὶ φιλοκινδυνεύτας. καὶ τῷ δοκοῦντας τεθναίαι, τὸ μὴ τεθναίαι δι' εὔκλειαν. εἰ γὰρ παραπλήσιοι ἦσαν τῇ τοῦ χιλιάρχου ψυχῇ, οὐ τῆς εὐρώπης ἐκράτησαν ἄν· οὐ τὴν λιβύην εἶχον ὑπήκοον· οὐκ ἀργυρολόγους ἐπὶ τὴν ἀσίαν ἐξέπεμπον· οὐ τὸν νεῖλον ὑπηρέτην ἐκέκτηντο, τὸν αἰ-

manum, qui & alacritatem animi gloriæ sibi ducit: & armis viget ac floret: & discriminum variorum experientia, futurique præuisione quid expediat non ignorat? Quid est quod tibi calamitas nõ ita magna magnorum facinorum accesſionẽ præcidit? Vel hostes te pudefaciant, quos aduersus casus minime fregit. Qui paulò antè lacustris quodãmodo factus est, dum ad insulam profugit, aquarumque fidem ad salutem infidam elegit, nunc viriliter se aduersum nos instruit, & saucios impellit: persuadetq; vti plagas his maiores, tanquam medicamẽta dolorum maximorum delinitiua ab hostibus excipiant. Præteritorum quippe malorum obliuio illum cepit. Et necesse est careat rebus secundis, qui asperas commutari posse desperat. Cedò, vnde Romani tantam sibi potentiam cõpararunt, paucarumque vrbium principatum in tantam imperij amplitudinem propagarunt? Ex eo, meo quidem iudicio, quod magnos, & rerum magnarum studio incitatos ac feruẽtes, & ad audendũ, atq; ad pericula subeunda paratos gererent animos: & non mori pro gloria, mortẽ interpretarentur. Qui si sensum Chiliarchi similem habuissent, nunquam Europam occupassent; nunquã Africæ iura dedissent: nunquam coactores in Asiam misissent: nunquam Nilum, Aegyptiorum di-

» γύπτιον πλεῖστον ὥρᾳ θέρους ταῖς Ῥω-
» μαϊκαῖς πελαγίζονται πόλεσι, καὶ
» ταῖς ὁλκάσιν ὥσπερ ἀποχερσοῦνται
» τὴν θάλασσαν. οἷον δέ σου καὶ τὸ
» θαυμαστὸν τῶν λόγων ἐφόλκιον; οὐκ
» ἔσται φησὶν ἡμῖν ἐπίθετος δυνά-
» μις. τίς σοι οὖν τῆς μαντικῆς ταύ-
» της ἐπίστευσε γνώμονας; ἢ ὥσπερ ἐκ
» πυθίας τινὸς τῆς ἀνανδρίας ἀνεῖλου
» τὸ μάντευμα; ἔχει καὶ τοῦτο μετὰ τῶν
» ἄλλων ὁ ὄκνος ἐγκώμιον, μάντις ἐ-
» στὶν αὐτοδίδακτος, καὶ στοχαστὴς ἑ-
» τοιμότατος, ἀεὶ τοῖς πράγμασι
» τὴν ἀναβολὴν ἀποσχεδιάζων αὐτό-
» ματον. ἐγὼ δὲ τεθαύμακα εἰ πρὸς
» τοῖς μακροῖς οἱ βάρβαροι διαθέουσι
» τείχεσι, καὶ βασιλεὺς οὐκ ἐγρήγορε.
» τηλικούτων ἀνὰ τὸ ἄστυ κυμαινόντων
» θορύβων, μία τις, ἄνδρες, ἀκατα-
» γώνιστος σύμμαχος, ἡ πάντων ὑ-
» ψηλοτέρα μεγαλοψυχία καθέστηκε·
» τὰ μὲν τοῖς ἄλλοις ἀδύνατα, δυνα-
» τὰ καθιστῶσα· τὰ δὲ τῷ πλήθει φο-
» βερὰ, θαρσαλεώτερον ὑπομένουσα.
» ἔνθους τοίνυν ἅπας ἐς μάχην χω-
» ρείτω τὸ τήμερον, καὶ μέγαν τοῖς ἔρ-
» γοις εὐδοξίαν χαρακτῆρα προσβά-
» λωμεν, οὐ γὰρ τοῖς ὀνόμασιν ὑβρίσω
» τὰ πράγματα, καὶ τὴν ἀνδρείαν
» θάρσος ἀποκαλέσομαι, ἢ τὴν ἀρι-
» στείαν προπέτειαν. ταῦτα μὲν ὁ
» πρεσβύτης ἐγὼ, καὶ φιλοκίνδυνος.
» εἰ δέ τῳ καὶ ἄλλο δοκεῖ, ταῦτα

uitias pro ministro possedissent; qui æstiuo tempore vrbibus Romanis pro pelago est, & onerariarum quas recipit multitudine, ipsum mare quodammodo incultum ac desertum reddit. Qualis autem, quamque mirabilis est orationis tuæ epilogus? Non suppeditabit nobis auxiliaria manus, inquit. Cujus tandem in ludo vaticinandi artem didicisti? An verò vt aliqua Pythia de nostra segnitie oraculum edidisti? Habet & hanc laudem præter cæteras ignauia, vates est per se docta, & coniectrix promptissima, semper negotiis moras ex tempore, & vltro iniiciens. Miror autem, si barbari ad longos muros concurrerunt, & Imperator, tãtis turbis, ciuitatem instar fluctuum inundantibus non vigilauit. Vnum, mihi credite, idque inexpugnabile subsidium est, excellentis animi magnitudo. Quæ sola facit, vt effici possint, quæ aliis fieri non posse videntur: & quæ vulgus horret, ea fidenter subit. Quocirca vnusquisque vt diuino numine cõcitatus ad prælium hodie procedamus, factisque nostris illustrem gloriæ notam imprimamus. Nolo enim ego nominibus res ipsas deturpare, & fortitudinem audaciam, aut strenuitatẽ temeritatem appellare. Hæc ego senex, periculo-
» rumq; suscipiendorum cupidus. Si cuipiam præterea placet, hæc ap-
» probet: sin autem, mihi ea placere sinat. Neq; enim quod rectum &
hone-

κρινέτω. εἰ δὲ μή, ἀλλ' ἔμοιγε περιθάλπειν ἐάτω· οὐ γὰρ τὸ καλὸν τῆς ὁμοίας παρὰ πάντων εὐνοίας τετύχηκεν. οὔτε τὰ δεξιὰ τοῖς πᾶσι σπουδάσαι δοκεῖ. ἡ γὰρ ἀρετὴ ὑψηλόν τι χρῆμα, καὶ δύσαντες, καὶ τοῖς πολλοῖς οὐ μετόν, ἢ διὰ κακίας ἰσχύν, ἢ ἀνορεξίαν τοῦ κρείττονος.

honestum est, id pari fauore & gratia omnes amplectuntur: neque in dextris & laudabilibus elaborandum omnes arbitrãtur. Virtus siquidem arduum quiddã ac sublime est, quò vulgus, siue quia in improbitate obduruit; siue quia præstantiorum rerum desiderio nullo commoueri solet, non aspirat.

CAPVT XV.

Persuadet senex, arma capiuntur, in hostem gradiuntur. Ex falso terrore clamor totum exercitum disturbat. Fugit etiam Chaganus. Abarum complures obtruncãtur. Chaganus Apperiam castellum adoritur.

Ἐπεὶ δὲ ταῦτα ὁ γέρων τῇ ἐκκλησίᾳ ἐνήχει τὰ ῥήματα, ἐζωπύρει τὸ πλῆθος, καὶ παρώτρυνε πρὸς παράταξιν, τῶν μὲν βελτίστων ἀκαθέκτους τὰς ἐφέσεις ποιούμενος, τῶν δὲ νωθροτέρων, οἷα μάστιγι τῷ λόγῳ τινὶ διανύττων πως, καὶ μεταπλάττων τὸ ἄνανδρον. βοὴ δὲ πολλὴ ἐκ τῆς βουλῆς ἐκεκίνητο, καὶ ταῖς εὐφημίαις κατεκελάδουν τὸ θέατρον, ἀγάμενοι τῆς μεγαλονοίας τὸν στρατιώτην τὸν γέροντα. παραχρῆμα δ' ἀδελφὰ τῆς ἑαυτῶν γνώμης συμφρονήσαντες ἅπαντες, τὴν βουλὴν διαλύσαντες, ἐς πανοπλίαν ἐτρέποντο. κατῆραν τοίνυν τοῦ Αἵμου ἐπὶ Καλβομοῦντιν, καὶ Λιβιδούργον πολεμησείοντες, καὶ τὸν Χαγᾶνον εἰσορῶσιν, οὐ πόρρω που διατρίβοντα, ἀλλ' ὡς ἀπὸ σημείων τεττάρων ἀπεριμερίμνως

CVm in concione senex ista dissereret, ardorem in pectoribus militum, velut ignem sopitum suscitauit, & ad pugnam capessendam eos exacuit, & fortissimo cuique concurrendi cupiditatem, omnis fræni impatientem ingenerauit: ignauiorum verò effæminatam mollitiẽ ceu flagello quodam cruentauit, & in virilitatem conuertit: multusque in concilio sublatus est clamor: & militem annis grauem de animo tam excelso admirantium, atque collaudantium vocibus totum theatrum perstrepebat. Nec mora, vniuersi in eãdem voluntatem consentientes, arma expediunt. Itaq; ex Aemo monte in Calbomuntim, & Libidurgum (vicorum fortasse nomina sunt) prælio decertaturi descẽdunt, Chaganumq; non pro-

τὰς σκηνὰς συμπηξάμενον, ἅτε δὴ τῆς ἐκείνου πληθύος ἀνὰ πᾶσαν ἐκχεθείσης τὴν Θρᾴκην. Διακοσμήσας γοῦν ὁ Κομεντίολος τὸ στράτευμα, καὶ ἐς τάξιν μίαν συντάξας, βαδίζειν εἶα καὶ πρὸς τὴν Ἀστικὴν χωρεῖν διατάττεται, τήν τε νύκτα διὰ φυλακῆς ἔχειν, προσπίπτειν τε τῇ ὑστεραίᾳ τῷ Χαγάνῳ λαίλαπος δίκην, καὶ μέγιστον φόνον διὰ τῆς ὁμιλίας παρέχεσθαι. ἀλλ' ἔδοξε τύχῃ τινὶ παραχαράττειν τῆς στρατηγείας τὸν γνώμονας. κηφῆνος γὰρ δίκην τὸν τῆς εὐβουλίας σίμβλους ἠφάνισε, καὶ οἷα μελίττης τινὸς τοῦ στρατηγοῦ τοὺς πόνους ληΐζεται· οὐ γὰρ ἡλίου τὰ νῶτα τῇ σκυθρωπῇ νυκτὶ παραδείξαντος, καὶ τῆς περικαλλοῦς, καὶ φωσφόρου λαμπάδος τὸ φαιδρὸν περιεσταλμένης, καὶ παραχωρούσης κράτει νυκτερινῷ, ἕν τι τῶν ὑποζυγίων τὸν ἐπικείμενον παραπέρριψε φόρτον. συνέτυχε δὲ τὸν κεκτημένον εἰς τὸ πρόσω βαδίζειν. οἱ δὲ παρεπόμενοι, καὶ ὁρῶντες τὸ νωτοφόρον ζῶον τὰ ἐπικείμενά πως αὐτῷ ἐπισυρόμενον ἀκοσμότερον, εἰς τοὐπίσω τραπέσθαι τὸν δεσπότην ἐκέλευον, τό τε σκευοφόρον ζῶον ἐπανορθοῦσθαι τοῦ πλημμελήματος. τοῦτό τοι τῆς ἀταξίας γέγονεν αἴτιον, καὶ τὴν εἰς τοὐπίσω παλίρροιαν αὐτοματίζεται, παρηχεῖται γὰρ τοῖς πολλοῖς ἡ φωνὴ, καὶ παράσημον τὸ λεγόμενον, καὶ φυγὴν ἐδόκει δηλοῦν, ὡς οἷα τῶν πολεμίων ἐπιφανέντων ἀθρόον αὐτοῖς καὶ παρακλεψάντων τὴν δόκησιν, μεγίστου δὲ συμπεσόντος

cul inde, ad quartum circiter lapidem, tentoria absque metu habentem (vtpote per totam Thraciam eius exercitu dispertito) prospiciunt. Comentiolus suos instruens, & in vnam aciem componens, ita procedere sinit, & ad Asticen (regio est in Thracia) pergere iubet: noctu excubias agere, die sequenti turbinis instar in Chaganum irruere, concursuque plurimum sanguinis facere. At enim fortunæ cuipiam sinistrę visum est adulterare huius expeditionis gnomonem siue indicem: nam instar fuci alueare boni consilij vastauit, laboresq; ducis, vt apis alicuius depasta est. Etenim vt sol mœstæ nocti tergum ostendit, pulcherrimæque, & luciferæ lampadis splendor contectus, nocturnæ potentiæ concessit, iumentum nescio quod imposita impedimenta excussit. Fortè dominus bestiæ præcedebat, quem qui sequebantur, & animal onus indecorè trahere videbant, vt reuerteretur, peccatumq; corrigeret, acclamantes hortabantur. Id quod cõfusionem ac tumultum creauit, & vt miles retrò difflueret, per se effecit. Voces siquidem multitudo percipiebat, & quod dicebatur signum aliquod erat, fugamq; indicere videbatur, ac si hostes repẽte, & opinione citius iam

τῷ στρατεύματι θρύλλου, θροῦς παρ' αὐτῶν πολὺς ἐπανίσταται. πάλιν ὃς οὖν τε ἐβόα πᾶς γεγωνὼς διαπρεύσιον. ἐπιχωρίῳ τε γλώττῃ εἰς τοὐπίσω τραπέσθαι ἄλλος ἄλλῳ προσέταττε, ῥετόρνα, μετὰ μεγίστου ταράχου φθεγγόμενοι, οἷα νυκτομαχίας τινὸς ἐνδημούσης ἀδοκήτως αὐτοῖς. διασπᾶται γοῦν ἅπαν τὸ σύνταγμα, ὥσπερ ἁρμονίας τινὸς τῶν ἐν τῇ λύρᾳ νευρῶν. ἐντεῦθεν ὁ χαγάνος τὸ δεύτερον τοῦτον, καὶ μέγιστον διεδίδρασκε κίνδυνον, καὶ ᾗ ποδῶν εἶχε, καταλελοίπει τὰς συνήθεις διατριβὰς, καὶ πρὸς ἕτερον μετῳκίζετο χῶρον. σωτηρίαν τε τῆς προτέρας παραδοξοτέραν ἠντύχησε. παραπλήσια δὲ καὶ τὸ Ῥωμαϊκὸν ἔδρα, καὶ ἀμοιβαία τις ἦν ἡ φυγὴ, καὶ φόβος τις κίβδηλος τὸ Ῥωμαϊκὸν περιεστρόφει στρατόπεδον, καὶ νόθος αὐτοὺς ἐξετάραττε κίνδυνος. ὅμως ἀναιροῦνται τῶν ἀβάρων οἱ πλείους συμπλοκῆς ἀδοκήτου συνενεχθείσης ἀμφοῖν τοῖς στρατεύμασιν. ἀντιστραφέντων γάρ τινων τῆς Ῥωμαϊκῆς συμμορίας, εὐσθενέστατα τοῖς πολεμίοις προσέμιξαν. ἐπεὶ δὲ τῶν δισσῶν τούτων θορύβων ὁ χαγάνος ἀνέπνευσε, τὴν ἐκ τῆς ἐφόδων σπιλάδα διακρουσάμενος, τὸ βαρβαρικὸν συναθροίσας, ταῖς Ῥωμαϊκαῖς προσέβαλλε πόλεσι, τό τε φρούριον τὴν ἀππιαρείαν ἐχειρώσατο. οὐ περιττὸν δέ μοι δοκεῖ καὶ τὸ ὅπως διεξελθεῖν, καὶ μικρόν τινα λόγον ὥσπερ ἐμβόλιμον τῇ συνεχείᾳ χαρίζεσθαι.

iam adessent. Inde tumultus ac strepitus non mediocris exercitum peruadere, & nemo nõ voce altißima, vt procul etiã audiretur, reuocandũ esse gradum clamitare: & alius alium patria voce ad reditum impellere, retorna retorna tumultuosißimè vociferãdo, ac si deimprouisò nocturna pugna illis ingruisset. Totum igitur agmen in diuersa distrahitur ac dirimitur: non secus quam in lyra harmonia concentusque fidium. Hinc Chaganus alterum hoc, & grauißimum discrimen, quam potuit celerrimè, fugiens, vias tritas relinquebat, & aliam in regionem se transferens, salutem mirabilius quam ante, fœliciter adeptus est. Similiter & Romani se in pedes dabant, eratque videre fugã mutuam. Ac Romanos quidem falsus timor percellebat, periculumque minimè verum territabat: cumq; de eorum agmine quidã sese conuertissent, & in hostem validißimè intulissent, inexpectato illo congressu complures Abarum oppetierũt. Vbi ex duplici hoc tumultu Chaganus respirauit, quò maculam ex hostium in se profectione cõtractam deleret, collecta barbarorum copia, vrbes Romanas inuasit, castellumque Apperiam subegit. Quo id modo factum sit, haud intempestiuum erit exponere: & breuem quendam sermonem historiæ perpetuitati velut intercalarium inserere.

CAPVT XVI.

Busa miles fortissimus venationi intentus capitur, & à suis nec precibus, nec lachrymis lytrum impetrat. Docet Abaros fabricare machinam expugnatoriam: cuius adactu prostratis mœnibus, oppido potiuntur. Beroen irrito conatu Chaganus oppugnat, incolis strenuè resistentibus; qui tandem non grandi pecunia obsidionem redimunt.

Στρατιώτης τις ἦν Βουσᾶς ὄνομα αὐτῷ, ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐς παράταξιν, καὶ τῶν ἐνηθληκότων ἄλλων ἀριστέων διὰ ψυχῆς ἀρετὴν ἐνδοξότερος, τούτων τε περικινδυνεύων ἀεὶ, ὁπότε που καὶ σάλπιγγος ἐνυάλιον φωνούσης ᾐσθάνετο. οὗτος κατ' ἐκεῖνο καιροῦ παρῴκει τὸ φρούριον. τοιγαροῦν ἔδοξε τῷ Βουσᾷ ἱππάζεσθαι ἐς τοὺς πέλας τοῦ φρουρίου λειμῶνας. ἔτι καὶ πορρωτέρω που παρεκτείνεσθαι, ἅτε δὴ κυνηγετήσων πως εὐδοκιμώτερον. σύνκοιῶ τὸν Βουσᾶν οἱ βάρβαροι συλλαμβάνουσι, καὶ γέγονεν ὁ κυνηγέτης εἰς θήρατρον. ἐπεὶ δὲ κατέσχον, ἠπείλουν αὐτοῦ καθίκεσθαι τῷ δόρατι. ὁ δ' ἐζήτει μὴ τοῦτο ποιεῖν, λύτροις δὲ μᾶλλον τὸ ζῆν ἐμπορεύεσθαι. μὴ γὰρ ὀνήσειν τοὺς βαρβάρους τὸ τεθνάναι τὸν Βουσᾶν, καὶ δώρων ὑπερφρονῆσαι λαμπρῶν. εἰσεποιήσαντο τοίνυν οἱ βάρβαροι τὴν ὑπόσχεσιν, καὶ τὴν ἐμπορείαν οὐκ ἀπηνήναντο. καὶ οὖν ἄγουσι τὸν ἑαλωκότα ἐπὶ τὸ φρούριον, ἐπεκηρυκεύοντό τε τοὺς ἐν τῷ ὀχυρώματι πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἀποσφάττειν τὸν Βουσᾶν, εἰ μὴ δώροις αὐτὸν, καὶ φιλοφροσύνῃ τιμήσαιντο. ἠντιβόλει δὲ καὶ ὁ Βουσᾶς, μὴ περιο-

Miles erat, cui nomen Busæ, homo ad dimicādum aptus, aliorumque vel fortissimorum bellatorum facilè præstantissimus, quique primus semper caput periculo obiectaret, quoties Martium tubæ clangorem audiret. Is per id tēpus in eo oppidulo habitabat. Cui placuit cāpos vicinos obequitare, & aliquanto vltra, insignioris venatus ergô prouehi. Hūc barbari excipiunt, & venator præda fit, eumq; se hasta confossuros minitantur. Obtestatur eos Busa ne id faciant: quin potius accepto liberationis pretio, vitam sibi condonēt: nec enim illis quæstui futurum, si splendida dona despicientes, miserum morte affecerint. Barbari promissum admittunt, & negotiationem huiuscemodi non recusant. Captum ad oppidum deducunt; per caduceatorem incolis denuntiant, nisi Busam beneuolè pro eius capite persoluto pretio honorauerint, se in illorum conspectu hominem iugulaturos. Suppliciter rogabat etiam Busas, ne se, veluti qui medius, mortis iuxta atq; salutis lan-

ce ex-

ρᾶν Ῥωμαίους αὐτὸν, ὥσπερ ἐν μεταιχμίῳ τινὶ τῇ πλάστιγγι σωτηρίας καὶ θανάτου ταλαντευόμενον. καὶ ζυγοστατεῖν αὐτῷ ἀμοιβαίως ἱκέτευε χάριτας, μετὰ βοῆς τε καὶ δακρύων τὰς ἀριστείας ἀπεστόμιζεν, ἃς ὑπὲρ Ῥωμαίων διὰ μεγίστων κινδύνων ἀπεκληρώσατο· τόν τε τῶν ἄθλων κατάλογον ἀπεσχεδίαζε, καὶ τοὺς ἀγῶνας ταῖς τοῦ σώματος ὠτειλαῖς ἀναγράπτους ἐδείκνυε, τὰς ἐμφάσεις ὥσπερ τῶν πόνων ἐπιδεικνύμενος. καὶ τῶν πολεμίων βολῶν τρανέστερον ἀνεγύμνου τὰ σήμαντρα. καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, ἐξ ὧν ἔπαθε, τὸ μὴ παθεῖν ἠξίου παρὰ τῶν εὐεργετηθέντων ἀποίσεσθαι. οἱ δὲ δυσαναχετοῦσιν, ὑπό τινος διαφθαρέντες ἀνδρὸς, ὃν καὶ λόγος διεκωμῴδει τῇ τοῦ Βουσᾶ γυναικὶ, ἐπικλόποις τισὶν ἡδοναῖς ὁμιλῆσαι, ἀτάρτοι τοὺς βαρβάρους ἠτιμωμένους ἀπεπέμποντο. ἐν μείζονι τοίνυν κινδύνῳ ὁ Βουσᾶς γινόμενος, ἐλιπάρει τὸ βάρβαρον, ἀναβολήν τινα μικρὰν τὰ τοῦ θανάτου λαβεῖν, καὶ μισθὸν τῆς τέως ἀνακωχῆς παραδιδόναι τοῖς βαρβάροις τὸ φρούριον. δεῖν γὰρ ᾤετο προπαθεῖν τοὺς ἐπιλήσμονας χάριτος, καὶ μεταλήψεσθαι τῆς συμφορᾶς τὸ ἀπάνθρωπον, ἵνα πρῶτον καθ' ἑαυτοῦ τὸ κακὸν σχοίη τὴν πρόοδον. ἐπεὶ δὲ μείζονος ἐπαγγελίας τετύχηκε τὸ πολέμιον, ἱλαρώτερον πρὸς φιλανθρωπίαν ἐγίνετο, ὀχύρου τε ὅρκῳ τὸν Βουσᾶν περισώζειν, μὴ μὴν ἀναιρεῖν, φυσικῷ δὲ θανάτῳ τὴν ἐξουσίαν χαρίζεσθαι, ὁπόταν ἐθέλοι

ce examinaretur, despicerent, & gratias vicisim sibi in trutina appenderent. Magna item voce, & collachrymans commemorabat, quæ præclara facinora pro Romano nomine per maxima vitæ discrimina effecisset, certaminaque ordine recensens, dimicationes cicatricibus corporis inscriptas ostentabat, & tanquam laborum suorum imagines exhibebat, impositarumque sibi ab hostibus plagarum signa apertè ante omnes nudabat. Atque vt summatim dicam, per ea quæ pertulisset, eos de quibus bene meruisset, obsecrabat, vt sibi gratiam nō patiendi tam dira referrent. Verùm illi à quodam, qui cum vxore Busæ furtiuas tractare voluptates omnium sermone notabatur, corrupti, has preces indignantur, barbarosq; cum contemptu dimittunt. Tum Busas maiore in discrimine constitutus, precatur, vti à nece sua paulùm adhuc temperent: se harum induciarum præmium illis oppidulum traditurū. Sic enim cogitabat, oportere priores malum perpeti, qui beneficij essent obliti: & inhumanitatē illorum calamitatis suæ fieri participem, vt improbitas primum sibi ipsi officeret. Hostes insigniora quā ante promissa accipientes hilarantur, & ad humanitatem misericordiamq; ei tribuendam ma-

gis

τὸν ἐκείνου διαλύεσθαι σύνδεσμον. οὐ γὰρ ἐπιφέρειν αὐτῷ τὸν τεχνητὸν τοῦτον, καὶ ἐπείσακτον θάνατον, εἴγε πέρας αὐτῷ τὰ τῆς ὁμολογίας προσδέξηται. καὶ δῆτα ὁ Βουσᾶς τοὺς Ἀβάρους ἐδίδασκε συμπήγνυσθαι πολιορκητικόν τι μηχάνημα, ἔτι τῶν τοιούτων ὀργάνων ἀμαθεστάτους ὑπάρχοντας. ἀκροβολίζειν τε παρεσκεύαζε τὴν ἑλέπολιν, καὶ μετ' οὐ πολὺ τὸ φρούριον κατεβέβλητο, καὶ δίκας ὁ Βουσᾶς ἀπανθρωπίας εἰσέπραττε, δεινόν τι διδάξας τοὺς βαρβάρους πρὸς πολιορκίαν τεχνούργημα. ἐντεῦθεν γὰρ πλείστας λοιπὸν τῶν Ῥωμαϊκῶν πόλεων ἀμογητὶ τὸ πολέμιον παρεστήσατο, τῷ ἀρχετύπῳ σοφίσματι προσχρησάμενον. μενοῦν γε τῇ Βερόῃ προσαπίπτει, καὶ πλεῖστον παρανάλωμα χρόνου ζημιωθὲν, καὶ μεγάλοις πόνοις προσομιλῆσαν, τὸ τέρμα τῶν ἀγώνων, ἀστεφάνωτον ἀπεφέρετο, τῶν τὴν πόλιν περιοικούντων ἀντιπαραταξομένων γεννικώτερον. ὅμως χρήμασιν ὀλίγοις τισὶ τὴν ὁμαιχμίαν ἠλλάξατο· τοῦτο γὰρ ἦν αὐτῷ πιθανὸν τῆς ἀστοχίας ἐγκάλυμμα.

gis propendent: ac iureiurando interposito affirmant, se ipsum conseruaturos, naturaliq; morti potestatem gratificaturos, eius coagmentationem dissoluendi cum voluerit: nec meditatã & aduentitiam hanc mortem illaturos, si pactum re præstiterit. Busas igitur Abaros hactenus istiusmodi instrumentorum fabricandorum imperitos, machinã expugnatoriam componere docet, & ad tela ex helepoli (tormento, quibus vrbes capiuntur) iaculãda instituit, pauloque post oppidum prostratis muris in hostium manus concessit, & Busas, pœnas inhumanitatis exegit: doctis à se barbaris expugnatorium artificium: quo deinde pro forma primigenia & typo quodam vsi, plurimas Romanorum vrbes nullo negotio subegerunt. At verò Beroën aggressi, cum longissimi iactura temporis, magnisque laboribus voto ac præmio frustrati recesserunt, indigenis viriliter sese tuentibus: quibus modica pecunia pacem & amicitiam Chaganus vendidit; hoc enim frustrationis suæ probabile tegumentum inuenit.

CAPVT

CAPVT XVII.

Chaganus à Diocletianopoli, Philippopoli, & Adrianopoli repellitur. Imperatori à plebeis quibusdam propter Castum & Ansimuthum à barbaris captos maledicitur. Ioannes Mystaco Adrianopolim missus, hostes per hypostrategum vincit. Palabundi fugiunt. Moderatio ducis in victoria.

Περικάθηται δὲ καὶ τὴν διοκλητιανοῦ πόλιν κατὰ τὸ καρτερόν, ἀντετάξατο δὲ καὶ ἡ πόλις ἐς τὰ μάλιστα, καὶ προσβάλλειν ἀπεῖργεν ἐπ' ἀδείας. καταπέλται γὰρ ἐν τοῖς τείχεσιν ἀνεστήσαντο, ἄλλα τε ἀμυντήρια, καὶ ἀπρόσιτον ἦν τοῖς βαρβάροις ἐξ ὑπογύου συμπλέκεσθαι. ἄπεισι τοίνυν ἀσχάλλων, καὶ τὸ δὴ λεγόμενον, τὸ τοῦ λύκου παθών. κεναῖς γὰρ ἐκεχήνει ἐλπίσι. παρ' εὐθὺ δ' ἐπὶ τὴν φιλίππου πόλιν μετέβαινε, καὶ περιβὰς τὸ πόλισμα, ἐνήθλει λαβεῖν. ἀντιμάχονταί τε οἱ τοῦ ἄστεος ἐντρεχέστερον, καὶ πολλοὺς τραυματίας ἔκ τε τῶν περιβόλων, καὶ τῶν ἐπάλξεων ἐποιήσαντο, ὥστε τὸν χαγάνον τὴν ἀσυλίαν διὰ τὴν ἀρετὴν ἐπαινέσαντα, πρώϊκα καταθέσθαι τὸν πόλεμον. ἐξ ἑωθινοῦ δὲ διαπεραιωθεὶς τὰς ὕλας τῆς λεγομένης ἀστικῆς, τῇ ἀδριανοῦ πόλει προστρίβεται. ἀγωνιστικώτερόν τι τῷ ἄστει προσέβαλλεν, ἀντικαθίσταντό τε καὶ οἱ τοῦ ἄστεος ἀλκιμώτερον. τοῖς δὲ βυζαντίοις περιεβομβεῖτο, ὡς κάστος ἥλω καὶ ἀνσιμοὺθ, καὶ πολὺς τῇ πόλει ἐπεκύμαινε θρύλλος. ἐλοιδορεῖτο δ' ὁ αὐτοκράτωρ ἐς τὸ φανερώτατον

Etiam Diocletianopolim arctè circumsedit: sed oppidani summa vi contra nitentes, aditu eum fidenter prohibuerunt, locatis in muro catapultis, aliisq; machinis defensoriis, vt accedere barbari, & cominus pugnare non auderent. Quamobrem indignabundus recessit, cum ei, quod prouerbio de lupo dicitur, euenisset, vana enim spe hiauerat. Hinc confestim Philippopolim transiens, oppidumque circumiens, id occupare nitebatur: sed ciues acrius contra decertantes, multos tum è mœnibus, tum è propugnaculis conuulnerabant, vt eorum virtute, qua tegerentur, cõmendata, gratuitò obsidionem solueret. Mane porrò, syluis Asticæ, quæ dicitur, transitis, Adrianopolim se applicat: quam cum maioribus operibus oppugnaret, etiam ibidem à ciuibus fortissimè vis repulsa est. Populi verò Byzantini aures fama de Casto, & Ansimutho captis circumsonabat, multumque murmuris ac tumultus vrbem inundabat, & apertissimè Imperatori à quibusdam è

R. media

ἀπό τινων τῶν τοῦ πλήθους ἀσυνέτων, καὶ στωμύλων ἀνδρῶν, ὧν καὶ τὰ τῆς τύχης ἦν ἀνεπίφθονα, καὶ τὰ τῆς γνώμης ἀζήλωτα· καὶ βλασφήμους ᾠδὰς κατ' αὐτοῦ συντεθέντες, διέσυρον κωμῳδοῦντες ἐμμελῶς τὸ ἀπαίσιον, οὐ τύχῃ, ἀλλ' ἀνοίᾳ τὸ δυσπραγὲς περιάπτοντες, ἀλλ' οὐκ ἀπέτεκεν ἡ λοιδορία θυμὸν τῷ αὐτοκράτορι· στεῖρα γὰρ ἦν πρὸς ὀργὴν ἡ τοῦ βασιλέως ψυχή. καὶ παρὰ τὴν θυμικὴν φλόγα ἀσυνουσίαστος. τὸν δὲ κάστον ἀπέδοντο χρηματισθέντες λίαν δαψιλῶς οἱ πολέμιοι, ὡς ἐκ τῶν καθ' ἡμᾶς πρεσβυτέρων ἔστι λαβεῖν, καὶ τὸ πιστεύειν ἀζήμιον. βασιλεὺς δὲ τὰς ἑαυτοῦ φροντίδας τοῖς πολεμίοις ἀντέταξε, καὶ μείζονι παρασκευῇ πρὸς τὸ πολέμιον ἐξαρτύετο. καὶ τὸν Ἰωάννην (ὃν δὴ μυστάκωνα τοῖς πολλοῖς ἔθος ἀποκαλεῖν) στρατηγὸν προεστήσατο. ἐχειροτόνει δὲ καὶ τὸν δρόκτωνα, ὥσπερ αὐτῷ ὑποστράτηγον, παρήορόν τινα δύναμιν ἐμπιστεύσας αὐτῷ. λογγόβαρδος δ' οὗτος τὸ φῦλον, ἀνὴρ ἀλκιμώτατος, καὶ πρὸς τὸν πόλεμον ἐμβριθέστατος. ἐπεὶ δὲ περὶ τὴν ἀδριανοῦ πόλιν ἐγένετο, τοὺς βαρβάρους τῆς πολιορκίας ἀφιστᾷ, δευτέρᾳ τε ἡμέρᾳ ὁ πόλεμος ἐτετέλεστο. ἐνίκων τοίνυν Ῥωμαῖοι τοῖς βαρβάροις συμμίξαντες, καὶ ἑτεραλκέα τὴν μάχην διέθεντο. κατεστρατήγει γὰρ τῶν πολεμίων ὁ ὑποστράτηγος δρόκτων. ἐπιπλάστῳ γὰρ φυγῇ τὸ ἐκείνου κέρας ἔδοξε τοῖς πολεμίοις τὰ νῶτα παρέχεσθαι, ὡς οἷα δεδοικότος τοῦ Ῥωμαϊκοῦ τὸ

media plebe, ſtultis, & proteruæ linguæ hominibus, quorum neque fortunis quiſquam inuidit, neque animi bona æmulatus eſt, contumelię dicebantur. Hi compoſitis in illum cantibus, modulatè aduerſum caſum, & comica quadam maledicentia inſectabantur: non fortunæ, ſed amentiæ duram illam ſortem adſcribentes. Tamen probra huiuſmodi Imperatori ſtomachum non faciebant, cuius mens ad iram ſterilis, & à flamma furoris abhorrens erat. Sed Caſtum hoſtes ingenti pecunia æſtimatum reddiderunt, vt ſenes noſtri memorant, & iis fidem commodare nihil habet periculi. Imperator curas ſuas aduerſum hoſtes intendere, maioremque in eos apparatum moliri, & Ioannem, vulgò dictum Myſtaconem, ducem legere, Droctonem ei pro hypoſtratego, parte ſcilicet muneris in illum collata, adiungere. Hic Longobardus natione, vir fortiſſimus, & ad arma promptiſsimus erat. Adrianopolim vt venerunt, barbaros obſidione depellunt, ac die altero ſecundo Marte cum iiſdem congreſsi vincunt, belloque finem imponunt. Strategemate nimirum Drocto illos circumuenit. Quaſi enim timeret hoſtem, fugam cum ſuo cornu ſimulabat. Deinde conuerſus, in-

ſequen-

ἀντίπαλον. εἶτα τοὔμπαλιν ἀντεδίωξε, καὶ μετόπισθεν τῶν βαρβάρων γενόμενον, τοὺς συντυχόντας διώλεσεν. ἀπῆλθον τοιγαροῦν μεσημβρίας ὥρα οἱ βάρβαροι, ἄλλος ἄλλῃ διεσπαρμένοι, καὶ ὡς ἂν τύχοι φερόμενοι μετὰ συντόνου τινὸς ἀποδράσεως. ὁ δὲ στρατηγὸς οὐ κατεδίωξε τὸ ἀντίπαλον. ἐφιλοσόφει γὰρ τῆς εὐδαιμονίας τὸ μέτρον, τὰς ἐπ' ἄκρον εὐεξίας, ὥσπερ εἰκὸς, εὐλαβούμενος. φιλαπόστροφον γὰρ ἡ τύχη, καὶ ἄπιστον.

Νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας,

ἵνα καί τι τῆς ὁμήρου δέλτου ἐπισπείρω τοῖς ἀφηγήμασιν.

ſequentibus viciſsim terga dantibus inhærebat, & quotquot aſſequi poſſet, obtruncabat. Diſceſſerunt itaque meridie barbari, continenti fuga alius aliò, quo ſors tulit, dilapſi. Quos dux non eſt ſecut᾽, quod in fœlicitate modeſtiam adhibendam ſapienter ſtatueret; & velut in optimo corporis habitu, aliquid morbi, vt decebat, metueret. Eſt enim fortuna parum fida, & facilè aliò reſpicit.

Νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας,

Et læta viros victoria mutat,

vt etiã de libris Homeri quippiã narrationib᾽ noſtris aſpergamus.

CAPVT XVIII.

Heraclius caſtrum Perſicum oppugnat acerrimè. Incolarum in ſeſe defendendis induſtria. Ipſum, & Mazarorum præterea occupantur. Theodorus ab agricolis ad Beiudaës oppidulum inuitatur. Infeſtiſsimè oppugnatum, Saperij militis ſingulari, eximiaque virtute capitur.

Ἡράκλειος μὲν οὖν κατὰ τοῦτον δῆτα τὸν χρόνον ἐπέβη αὖ πάλιν τῆς περσῶν πολιτείας, καὶ τοῖς μήδοις φιλεπίδημον ἦν τὸ κακόν. ὁπηνίκα δὲ παρεγένετο, προσβάλλει ἐχυρωτάτῳ φρουρίῳ τινὶ, τοῦτο δ' ὑψηλῆς ὑπερεκαθέζετο πέτρας, καὶ διεκόσμει ὁ ὑποστράτηγος τὰς ἑλεπόλεις τε καὶ τὰς μηχανάς. ἀντιπαλαμῶνται τε καὶ πέρσαι πρὸς τὰς ἐπιβουλὰς ἕτερα ἄττα σοφίσματα. ἱστουργοῦσι δὲ καὶ οἷα χιτῶνας τινὰς, τρίχας συμπλέξαντες, καὶ τῷ στή-

HEraclius per id tempus rurſus in Perſidem ſe inferebat, habebantque domi malum Perſæ. Admouit autem oppugnationem caſtello cuidam munitiſsimo, in ſublimi petra ædificato, helepoles, aliasque machinas hypoſtratego expediente. Perſæ aduerſum impulſus cum alia ingenioſè ſtruebant: tum quaſi tunicas quaſdam longas, è pilis ſtamini tramam, ſeu ſubtemen inducentes conficiebant, quas pa-

μόνῳ τὴν κρόκην συστρέψαντες, προμήκη τὰ χιτώνια διετέλεσαν, καὶ τούτου ἀχύρου εἰς τὸ ἰσχυρὸν ἐνεφόρησαν. νάστους τε κατεργασάμενοι, ἐξήρτων τοῦ τείχους. καὶ τούτοις τὰς προσβολὰς ὑπεδέχοντο, τῷ μαλθακῷ τῆς αὐτοτύπου παρασκευῆς τῶν ἐκπομπῶν τὸ στερρὸν ἐκμαλακίζοντες. ὑπερίπταντο δ' αἱ πολλαὶ τῶν βολῶν καὶ τοῦ φρουρίου αὐτοῦ. ἑτέρας δὲ καὶ κατ' αὐτὸ τοῦ ὀχυρώματος κατεφέροντο. ὁ δ' Ἡράκλειος οὐδεμίαν ἀνακωχὴν παρενέβαλλε ταῖς προσβολαῖς, νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν ἀμείβων τοὺς ἐφισταμένους τῷ ἔργῳ. οἱ μὲν γὰρ ἔναγχος τῶν πόνων μετειληφότες, ὑπὸ τῆς διαδόχου δυνάμεως ἀντελάμβανον τὴν ἀνάπαυλαν. ἕτεροι δ' αὖ συμπονοῦντες ἐκείνοις ἐξανίσταντο. κἀκείνοις αὖθις τοῦ μόχθου συνελάμβανον ἕτεροι. διά τοι τοῦτο ἐξασθενοῦσιν οἱ τιμωροῦντες τῷ ὀχυρώματι, ὅτε ἦν αὐτοῖς τὰ τῆς δυνάμεως ἐξίτηλα. ταύτῃ τοι καὶ καθαιρεῖται τὸ φρούριον, καὶ ὑπὸ Ῥωμαίους ἐγίνετο. ἐπεὶ δ' ἥλω, φρουρὰν ἐν αὐτῷ ὁ στρατηγὸς ἐνεκάθισεν. οἱ δ' ἀμφὶ τὸν Θεόδωρον καὶ τὸν Ἀνδρέαν, τὸ Ματζάρων (φρούριον δὲ καὶ τοῦτο) τῷ χρόνῳ γεγηρακὸς διωρθώσαντο. οὐκ ἄπο δὲ τοῦτο τοῦ Βεϊουδαὲς ἐτύγχανεν ὄν. ἐν ἴσῳ δὲ περὶ τὴν οἰκοδομίαν ὁ Θεόδωρος ἐνησχολεῖτο, ἧκον παρ' αὐτὸν γεωργοί. παραθήγοντες τὸ Βεϊουδαὲς παραστήσασθαι, μὴ ἀποχρῶσαν ὑπεῖναι φρουρὰν ἐν αὐτῷ παραδηλώσαντες. οἱ δὲ περὶ Θεόδωρον καὶ Ἀνδρέαν παραχρῆμα ἐπιθέσθαι τὴν πρᾶξιν τοῖς λογισμοῖς διενοήθησαν. καὶ διανυκτερεύσαντες σὺν τόνῳ τῇ ὁδοιπορίᾳ ἐκέχρηντο.

leis densissimè infarctas de muro suspendebant, iisque tormentorum petitiones excipiebant: quarum vehementiam materiæ oppositæ debilitabat frangebatque mollitudo. Tela complura suprà, alia in ipsum castellum volitabant. Heraclius impressionibus nullam quietem interponebat, diu noctuque permutãs, qui instarent operi. Nam qui modò pugnarent, aliis succedentibus respirabant. Rursum alij illorum, & noui ac recentes semper defatigatorum labores excipiebant. Inde propugnatores defecti viribus languebant: ea ratione castellum euersum, in potestatem Romanorum venit, cui dux præsidiũ imponit. Theodorus & Andreas Mazarorũ oppidulum, vetustate ruinosum instaurant, quod â Beiudaës non procul distabat. Dum Theodorus ædificatione distinetur, agricolæ adsunt, cum ad Beiudaës, in quo non reperiatur sufficiens præsidium, armis subigendum incendunt. Theodorus & Andreas communicata sententia mox ad rem incumbendum statuentes, transacta nocte magnis cò itineribus contenderunt.

Cum

ἐπιθέσθαι δὲ νυκτὸς τῷ Βεϊουδαὲς τού-
τοις ἐδέδοκτο. καὶ μὴ ἐξισχύσαντες τῆς
ἑαυτῶν ἐφικέσθαι βουλήσεως, περὶ τοὺς
ἑωθινοὺς τῶν ὀρνίθων κελάδους τῷ
φρουρίῳ ἐπέστησαν. καὶ οἱ ἐπιχώριοι
τὴν Ῥωμαϊκὴν προεγνώκεισαν ἔφο-
δον, καὶ ἀδεεῖς ἦσαν διὰ τὸ τῶν τόπων
δυσάλωτον. εἶτα ἀναθαρρήσαντες τῇ
πέτρᾳ περικύπτουσι, καὶ τῶν ἀπὸ τομ-
παίων βελῶν προκατήρχοντο. εἴσο-
δον δὲ τῷ φρουρίῳ, μὴ οὖσαν ἐτύγ-
χανε, καὶ δυσπρόσιτος ἦν πολε-
μίᾳ χειρί. ἑνὶ γὰρ πύργῳ τὰ τῆς εἰ-
σαγωγῆς ἐπεπίστευτο, προβεβλημέ-
νῳ τοῦ ἐχυρώματος, ὥσπερ ἀδαμαν-
τίνοις περικειμένῳ λίθοις τισὶν, ἢ εἴ τι
τούτων τὴν φύσιν ἐστὶ στεγανώτερον. οἱ
οὖν Ῥωμαῖοι ἀποβάντες τῶν ἵππων,
προσπελάζουσι τῇ πέτρᾳ, καὶ ταῖς ἀπὸ
τόξων φοραῖς ἐπλέκετο τὰ τῆς ἀγω-
νίας προαύλια. τοῖς δ᾽ ἐν τῷ φρου-
ρίῳ, ποτὲ μὲν λίθοι ἀμυντήρια ἦν,
ἄλλοτε καταπέλται, καὶ ὥσπερ ἐξ
ἀπόπτου τινὸς, ἢ μεγίστης περιωπῆς
τὰς καταβολὰς ἐπεποίουντο, οἷα
ξενηλαλοῦντες διὰ τῶν ὑψηλῶν τὸ
πολέμιον. ἀσχολούσης δὲ τῆς Ῥωμαϊ-
ων δυνάμεως, τολμηταί τινες τοῦ Ῥω-
μαϊκοῦ συμφραξάμενοι ταῖς ἀσπίσι,
κατ᾽ ὀλίγον, καὶ βάδην ἰόντες. τὸ πᾶν
τῆς ἀριστείας ἀναθέντες τῷ θράσει,
προηγοῦντο τῶν ἑπομένων, καὶ τῶν ἐκ
τῆς πέτρας καταβολῶν οὐ φροντί-
ζοντες, εἰς τὸ πρόσω ἐχώρουν, καὶ διωθοῦσι τῆς πέτρας τὸ βάρβαρον. οἱ δὲ
πολιορκούμενοι τὴν σύμμαχον καταλείψαντες πέτραν, εἰσδύντες εἰς τὸ φρού-
ριον, παρέδοσαν τοῖς πολεμίοις τὴν εἴσοδον. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι τῶν τῆς πέτρας ὀ-

Cum autem noctu inuadere decreuissent, nec possent quod volebant effectum dare, sub matutinos gallorum cantus affuerũt. Præsenserunt aduentum Romanorum indigenæ, quibus capiẽdi loci difficultas timorem adimebat. Tum petræ confisi despiciunt, telorumque iaciendorum initium faciunt. Vnus tantum erat ingressus, & is hostibus aditu difficilis, per turrim ante castellum stantem, muroque coherentem videlicet: quæ adamantinis quodammodo lapidibus, aut si quid adamante solidius est, constabat. Romani igitur ex equis descendentes, petram inuadunt; sagittarumque iactibus mutuis certamini præludebatur. Propugnatores nunc saxis deiiciendis, nunc catapultis se defendebant, atque vt ex editissimo loco, speculaue maxima deorsum iaculabantur, hostes propter altitudinẽ quasi peregrina lingua compellantes. Indignè id ferentibus Romanis, animosi quidam, testudine facta sensim, ac pedetentim gradientes, omnemque fortitudinis laudem in audacia cõstitutam habentes, aliis præeunt, telaque desuper accidentia nihili pendentes, vlterius prodeunt, ac barbaros petra depel unt. Qui auxiliaria sua deserta, castellum subeunt, Romanis ingressum re-

 liquum

χυρωμάτων κρατήσαντες, λίαν ἰσχυρῶς τὸ φρούριον περιεκάθηντο. οἱ δὲ ἐπὶ τῶν ἐπάλξεων ἑστῶτες, ἀποσοβεῖν οὐχ οἷοί τε ἦσαν τὸ ἀντίπαλον, τὸ ἄπειρον τῶν βελῶν ὑπομένειν οὐκ ἔχοντες, ἀλλ' ἀθρόον ἐπιφαινόμενοι, παραυτίκα ἀντὶ τῶν προσώπων τὰ νῶτα ἐδείκνυον. σάπειρ δέ τις ἀνὴρ, τὸ μὲν σῶμα ὡς ὁ παρὰ τῷ ὁμήρῳ τυδεὺς ἀνυμνούμενος, τὴν δὲ γνώμην καὶ περαιτέρω τυδέως. ἡρακλῆς γὰρ ἦν τὴν ψυχὴν, καὶ εἴ τις τούτου ἐγεγόνει ποτὲ ἀλκιμώτερος (οὐ γὰρ ἀποκνέω τῷ μεγέθει τῆς ἀρετῆς τὸν ἡρακλέα ἐν δευτέροις τιθεὶς, εἰ καὶ τῷ παραλλήλῳ λειπόμεθα) σκόλοπας ὀξεῖς ἐπιφερόμενος, ἐνάλλεται τῷ ἐχυρώματι, καὶ μετεωροπορεῖ τὸν μὲν ἕνα σκόλοπα ἐνείρας τῷ πύργῳ, ἀνὰ τὰς ἁρμογὰς τοῦ οἰκοδομήματος (ἦν γὰρ λίθῳ ξηρῷ διεσκευασμένον τὸ φρούριον) καὶ ἐπιβαίνει ἐπὶ τοῦ σκόλοπος τῷ ποδί. εἶτα τὸν ἕτερον αὖθις ὥσπερ ἐγκεντρίσας σκόλοπα, τὸν λειπόμενον τοῖν ποδοῖν ἐπερείδει, καὶ τῶν ἐξηρτημένων λίθων ἐπειλημμένος, ἀπρὶξ εἶχε ταῖν χεροῖν, οὕτω τε τὴν ἄνοδον ἐσοφίζετο. τῶν δὲ πολιορκουμένων τὴν θέαν τῶν βελῶν μὴ ὑπομένειν οἵων τε ὄντων, ἰσχυρῶς εἶχε τῆς ἐπάλξεως ὁ σάπειρ ἐκεῖνος ἀνήρ. καὶ ἂν ἧλω κατὰ τὴν πρώτην ἐκείνην ἐπιβολὴν τὸ ἐχύρωμα, εἰ μή τις τῶν τῆς περσικῆς συμμορίας ἀθρόον ἐπιφανεὶς, ἐνὶ τῶν θυρεῶν, τῶν προβεβλημένων τοῦ

liquum faciunt. Illi petræ munitionibus receptis, castellum arctissima obsidione premunt. In propugnaculis qui erãt, hostem arcere non valebant: siquidem infinitatem telorum nõ sustinebant: sed cum confertim apparuissent, mox pro vultibus terga ostendebãt. Porrò miles quidam Saperius vocabulo, corpore similis Tydeo, quẽ Homerus celebrat, animo autẽ supra Tydeum, Hercules ipsus, inquã, & si quis Hercule aliquãdo animosior inuentus est. (non enim verebor, magnitudine virtutis Herculẽ postponere: tametsi alioqui quem cum eo conferamus, non habemus) hic, inquam, miles palos acutos inserens, in munitionem insilit, & sublimè scandit, & vno quidem in turri defixo, quà lapides iuncturas dabãt (constructum enim erat castellum cæso lapide) pede in palum ascendit: rursus alterum palum, ceu surculum in murum inserens, alterum pedem in eo firmat, eminentiaq; saxa manibus firmiter comprehensa tenens, ascensum ita machinatur. Et cum obsessi tot telorum spectaculum non ferrent, vir ille Saperius propugnaculũ valida vi tenebat, captumq; fuisset primo illo impetu castellum, nisi quidam de cohorte Persica repentinò coortus, saxo de his

quæ

ἐχυρώματος, ἐκεῖνον αὐτὸν τὸν ἀριστέα ἐξώθησεν. ὁ δὲ καταλιθήσας, ἐς τὸ κάτω ἐφέρετο μετὰ τοῦ θυρεοῦ,

quæ illic iacebant, bellatorem animoſum deieciſſet. Qui cum ſaxo deorſum ferebatur,

κύμβαχος ἐν κονίῃσιν, ἐπὶ βρεχμόν τε καὶ ὤμους.

Præceps in puluerem, ſuper ſinciput, & humeros.

Ὁμηρικῷ τῷ συμπτώματι. ὅμως οὐ διόλωλεν. ὑποδέχονται γὰρ αὐτὸν ταῖς ἀσπίσιν οἱ συμπονοῦντες, καὶ τραυματίαν διεσῶζόν τε, προσούττουσι γὰρ αὐτὸν τὰ τῶν ἀκοντίων σιδήρια μικρὸν κομιδῇ. ὁ δὲ καρτερικῶς αὖθις ἐπ' ἐκεῖνο τὸ ἔργον ἐχώρει, καὶ αὖ πάλιν ἀνέθορε, τῇ ἐπάλξει τὰς χεῖρας περιβαλὼν, οἷα πολύπους ἀφύκτου πλεκτάνας τινάς. καὶ εἶχε τὸ καρτερᾷ τινι λαβῇ τῆς ἐπάλξεως. ὁ δὴ ἀντίπαλος πέρσης ἀδελφὴν τῆς ἑτέρας ἐπιβουλῆς ἐξειργάσατο, καὶ σαθρωθείσης ἔναγχος τῆς ἐπάλξεως ταῖς Ῥωμαϊκαῖς προσβολαῖς, μετ' ἐκείνης τὸν ἀριστέα ἀνατρέψας, παρεῖα ἐς τὸ κάτω χωρεῖν. καὶ τοίνυν κατήγετο ὁ στρατιώτης ὁ φιλοκίνδυνος, μετὰ τῆς ἐρωμένης ἐπάλξεως. τὸ δὲ συμμαχικὸν τὴν προτέραν ζωτηρίαν ὀρέγουσι μετὰ φοβεροῦ τοῦ θεάματος τῷ πάντα τολμηρῷ. ἀτὰρ ἐξ αὐτῆς τοῦ πτώματος ὁ τραυματίας γενόμενος, καὶ τρίτον ἆθλον ἀσπάζεται, ὥσπερ ἀμάχου τινὸς, καὶ θείας δυνάμεως ἐς τὸν πόνον παροτρυνούσης αὐτόν. ἐπεὶ δὴ ἀνείρπυσε τῆς στεφάνης τοῦ ἕρκους, λοιπὸν ἐπιβὰς, τὸν ἀκινάκην σπασάμενος, τὸν κηφῆνα τῆς ἑαυτοῦ ἀρετῆς, ἐκεῖνον αὐτὸν τὸν πέρσην ἀπέκτεινε. καὶ οὖν τὴν κεφαλὴν

caſu ſcilicet Homerico. Non tamen periit. Nam eum vulneratum commilitones ſcutis impoſitum, conſeruarunt: perparum enim miſsiliũ cuſpides eum læſerant. Ad idem opus conſtanter redit, iterumque ad propugnaculum aſsiliens, iniectis manibus ita tenaciter pinnã retinet, quemadmodum Polypus, cum quippiam cirris, ſiue acetabulis complexus eſt: inde enim auelli non poteſt. Tum Perſa aduerſarius ſimili impetu vt ante inſurgit, & cum pinna, Romanorum impulſibus paulò antè labefactata, ſtrenuum virum deturbat. Cum amata igitur pinna miles nullius formidator periculi delabitur. Socij cum terribili ſpectaculo omnia audenti, priorem curationem ad ſalutem miniſtrãt. At enim vulneratus cum denuò ex eo caſu ſaluus euaſiſſet, tertiam pugnã aggreditur, ac ſi inuicta quædam, & diuina virtus ad facinus illum extimularet. Vbi igitur intra coronam munitionis irrepſit, deinceps irruens, educto gladio ſuæ virtutis fucũ, & populatorem illum ipſum Perſam interfecit, caputq; præ-

cisum

ἀπὸ τῆς δέρης ἀφελόμενος, τοῖς πολιορκοῦσιν ἀπέπεμπεν. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι τὸ γεγονὸς θεασάμενοι, ἀνεθάρρησαν, καὶ τῶν κινδύνων ὠρέγοντο. ἀδελφὸς δέ τις τοῦ Σαπείρου ἐκείνου (πρεσβύτης δ' οὗτος τὴν ἡλικίαν) ἐπεὶ γέγονε τῆς ἀρετῆς θεατὴς, καὶ ζηλωτὴς παραχρῆμα τοῦ ἐγχειρήματος γίνεται, καὶ ἄνεισι κἀυτὸς, ἀδελφὰ τῷ ἀδελφῷ μηχανώμενος. εἶτα μετ' ἐκεῖνον καὶ ἕτερος, καὶ μετὰ τοῦτον πολλοί. κάλοις γὰρ λοιπὸν ἀνεδύοντο οἱ προκατειληφότες τὸ ἐχύρωμα, καὶ ταῖς πύλαις ἀράττουσι, καὶ εἰσαγώγιμον λοιπὸν ἦν τὸ Ῥωμαίων στρατόπεδον. καὶ οὕτω κρείττους τῶν πολεμίων γενόμενοι, τὸ φρούριον παρεστήσαντο. καὶ οὓς μὲν ἀνεῖλον, οὓς δὲ διέσωζον, καὶ εἰς αἰχμάλωτον μετεβίβαζον τύχην. τὰ δὲ κτήματα λαφυραγωγήσαντες, ἀπῆραν ἐντεῦθεν, σκοποὺς περιβάλλοντες τῷ ἐχυρώματι. ὥρας δ' ἐπιούσης χειμῶνος, ἄνεισιν ὁ Φιλιππικὸς ἐπὶ τὸ κωνσταντίνειον ἄστυ, στρατηγὸν ἐναφεὶς τὸν ἡράκλειον. ὁ μὲν οὖν ἡράκλειος λειποταξίου ποινὰς τοὺς πλανήτας τῆς Ῥωμαϊκῆς δυνάμεως εἰσεπράττετο. καὶ ὅσοι τῷ πόνῳ χαίρειν εἰπόντες, τὴν ἄλλως δεῦρο κἀκεῖσε περιενόστουν, βασάνοις ἐπὶ σωφροσύνην μετῆγον.

cisum infra propugnaculũ proiiicit. Romani factum intuentes, resumũt animos, & experiri fortunam concupiscunt. Frater autem Saperij illius, magno natu, vbi facinus spectauit, extemplò id ipsum æmulans, ipse quoque ascendit, & cum germano germana molitur. Mox post illum alius, & post hunc plures, scalis nimirum stuppeis, ascendũt, oppidoque capto, ac portis perfractis, militem Romanum introducunt: atque ita hostibus superiores, castellum in ditionem accipiunt, & partim incolarum occidunt, partim pro captiuis seruant, bona diripiunt, secumque auferunt, & presidium illic relinquunt. Hyeme iam ingrediente, Philippicus ad Heraclium summa belli delata Constantinopolim discedit. Heraclius deserti ordinis pœnas ab erronibus Romani exercitus exigit. Et quotquot labori dicto vale huc illuc otiosè vagabantur, suppliciis sapere docebantur.

FINIS LIBRI SECVNDI.

HISTO-

HISTORIAE MAVRICIANÆ

Liber Tertius.

PHOTII CONSTANTINOPOLITANI IN EVNDEM LIBRVM

SYNOPSIS, SIVE SVMMA.

Priscus orientalibus copiis pro Philippico præponitur. Philippicus Prisco inuidens, ad Heraclium scribit, vti annonæ imminutionẽ exercitui significet. Priscus neglecto more veteri, veniens ad exercitum de equo nõ descendit, vt ita militibus de plano salutem diceret. Quocirca quoniam & de commeatu amitterent, & honore suo fraudarentur, seditionem occipiunt. Eos artificio quodam Priscus, circumlata imagine non ab homine confecta pacare studet. Quam cum & ipsam lapidibus insectarentur, Constantinam fugit: in cuius locum Germanus, quanquam inuitus sufficitur. His turbis vigentibus, Persæ multis calamitatibus Romanos affligunt. Quam ob caussam Imperator Prisco abdicato, Philippico muneris sui dignitatem restituit: in quem nihilominus exercitus calcitrat. Constantina à Persis obsessa, Germani aduentu periculo eripitur. Aristobuli opera exercitus erga ducem mitescit. Persarũ, Romanorumq́; ad Martyropolim cõflictus, & horum victoria prædicanda, duce Maruza interfecto, & tribus Persarum millibus captis. Cum Imp. in gratiam reditur. Getæ siue Sclaui Thraciæ finitima incursant. Roma in Longobardos vicissim arma capit. In Lybia Mauri vincuntur. In castello Giligerdo Romanorum captiuorũ generosa virtus. Gregorius Archipræsul Antiochenus Philippico per Legatos militum voluntates recuperat. Sittæ dolo & impostura Persæ Martyropoli potiũtur. Philippicus gradu deiicitur, & Comentiolo bellum Persicum decernitur.

cernitur. Apud Silarbanum prope Nisibim Comentioli ductu Romani Persas summa opē, Heraclio ad famā insigniter dimicante, debellant. Dux ipse Aphraates oppetit; spolia leguntur: Imperatori pretiosa inde munera transmittūtur. Varamus Turcis superatis, Suaniam aggreditur. De Varamo Romani Romano duce triumphant: cui victo exprobrandi caussa Hormisdas, muliebrem stolam mittit. Ille contumeliam contumelia vlciscendam ratus, in epistolæ inscriptione Chosroæ nō filium, sed filiam appellat. Armenij Symbatij cuiusdam impulsu, Ioannē Prætorem suum trucidant, & ad Persas deficere instituunt. Missus ab Imperatore Domenziolus tumultum sedat, & Symbatium Constantinopolim ducit: vbi sententia iudicum à bestiis dilaniandus, benignitate & clementia Imperatoris conseruatur. Soranem ab Hormisda cōtra se missum, Varamus potentior, elephanto obiicit. Repetitio rerum vetustioris cuiusdā memoriæ, gestorumq́; aduersum Persas, Iustino & Tiberio Impp. compēdiosa narratio. Hormisdæ regis Persarum crudelitas. Principes familiæ apud Persas. Varamus, qui antequā defectionem meditaretur, eò honoris & auctoritatis processerat, vt facilè, secundus à rege numeraretur (siquidem Curopalatæ, vt Romani vocant, magistratum gerebat) apertè regi bellum facit.

CAPVT I.

Priscus in locum Philippici surrogatur. Annona militum contracta. Germanus Episcopus Damasci honestißimè à Prisco habetur. Cur ab eo Monocartum ductus. Prisci fastus in contemnendo more vetusto. Tumultus in castris duas ob caussas. Imago Christi ad sedādas turbas circumlata. Dux periculum fugit: detrahi militibus de consueta annona vetat: medicum quærit, à quo sanetur.

Φιλιππικὸς μὲν οὖν ἀνὰ τὴν ὁδοιπορίαν ἐπέπυστο Πρίσκον ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος στρατηγὸν ἐγχειρίζεσθαι, καὶ τῆς Ταρσοῦ ἐπιβὰς, Ἡρακλείῳ δέλτους συνέταξε, δι' ὧν ἐνεσήμαινε καταλιπόντα τὸ στράτευμα, ἐς τὴν ἑαυτοῦ πόλιν ἐπανελθεῖν, ἐς τὴν Ἀρμενίαν γινόμενον, Ναρσῇ τε τῷ Κωνσταν-

PHilippicus Priscū ab Imperatore ducem renuntiatum esse, in via intelligens, postquam Tarsum attigit, ad Heraclium litteras dat, mandans, vti exercitum Narsæ Præsidi Constantinæ tradat: ipse in patriam suam in Armeniam reuertatur. Imperatoris præterea decretum nuper sibi miſ-

τίνης πόλεως ἡγεμόνι με θιέναι τὸ πρά-
ταγμα, καὶ τὸν βασιλέως δὲ νόμον ἀρτί-
ως αὐτῷ ἐπιφοιτήσαντα παραγυμ-
νώσας, ἐκέλευσε καὶ ἐς τὸ ἐναργὲς τοῖς
στρατεύμασι παραδεῖξαι, πρίσκῳ δι-
απεχθόμενος. ἦν δ' ἄρα ὁ νόμος
στρατιωτικῶν σιτήσεων ὕφεσις. ἡ δ'
ἀπομείωσις, τετάρτη ἐτύγχανεν οὖσα
ἀπόμοιρα. καὶ γέγονε καθάπερ ὁ στρα-
τηγὸς ἐνετέλλετο. ἤρτο δ' ἐπιγνω-
μένου, ὁ μὲν ἀπεχειροτονεῖτο, ὁ δὲ τῆς
ἡγεμονίας ἀπήρχετο. ὁ μὲν οὖν πρίσκος
ἐπιβὰς τῆς ἀντιοχείας, προσέταττε εἰς
τὸ μονόκαρτον τοὺς στρατιώτας συλλέ-
γεσθαι, καὶ τῇ ἐδέσσῃ προσομιλήσας, πε-
ριτυγχάνει γερμανῷ, καὶ περιλαβὼν
δεξιῶς κατησπάζετο, ἐκ τῆς ἐπιδη-
μίας γινόμενον· δαμασκοῦ γὰρ οὗτος
διεκόσμει τὸν θρόνον. ἀνακλίνας τε
εἰς δεῖπνον αὐτὸν τῇ ἐπιούσῃ, ἐφιλο-
φρονήσατο. μετὰ τοίνυν ἡμέρας τέτα-
ρας ἀπεφοίτα τῆς ἐδέσσης ὁ στρατηγὸς,
τόν τε τῆς ἱερατικῆς καθέδρας προ-
λάμποντα μεθ' ἑαυτοῦ συνελάμβανε,
καὶ ὡς τὸν χάρακα ᾤχετο. ἦν γὰρ ἡ ἡ-
μέρα προσδόκιμος, καθ' ἣν εἴθιστο ἑ-
ορτάζειν Ῥωμαίοις τὸ σωτήριον ἐκεῖνο
πάθος, δι' οὗ τὸν κόσμον εἰσεποιήσατο ὁ
μονογενὴς παῖς τοῦ θεοῦ, ὁ τὴν φύσιν ταὐ-
τός τῷ πατρὶ, καὶ τὴν βασιλείαν ὁμό-
τιμος. οὗτος δέ ἐστιν ὁ χς. τοῦτο ὑπο-
τοπάσας ὁ στρατηγὸς, ὡς οὐ δεῖ αὐτὸν
μὲν ἐν πόλει τὴν ἐγκύκλιον τῆς ἀναστά-
σεως πανηγυρίζειν ἡμέραν, τὸ δὲ Ῥωμαϊκὸν ἐν πεδίῳ κατηφέστερόν πως ἑορ-
τάζειν δοκεῖν, τῆς λυπηρᾶς θυμηδίας ὥσπερ στερισκόμενον, διά τοι τοῦτο τὸν ἱερέα

bi miſſum exponit, & de eo palam militibus ſignificari vult, inuidia aduerſus Priſcum ſtimulatus videlicet. Erat autem hoc decretum, vt de demenſo ſiue annona militari quarta pars detraheretur. Factũ pro eo ac dux imperauit. Iam igitur ipſo vere Philippico abdicante, Priſcus iniuit. Is vt Antiochiam eſt ingreſſus, militibus conuentum ad Monocartum indixit, Edeſſamque veniens, illic Germanum reperit, quem cò peregrè profectum (Damaſci quippe ſedem pontificiam tenebat) ciuiliter complexus, & oſculatus, vocatũ ad cœnam poſtridie, humaniter amanterq; tractauit. Poſt diem quartum Edeſſa diſcedens, virum illum epiſcopali dignitate illuſtrem, ſecum ad caſtra ducit. Imminebat enim dies, quo ſalutiferos cruciatus atque necem, per quam vnigena Dei filius patri natura æqualis, & imperij honore par, Chriſtus, inquam, humanum genus ſibi reconciliauit, ſollemni cærimonia recolere Romani conſueuerunt. Sic namque ſecum ratiocinabatur, non eſſe iuſtum, ſe Reſurrectioni ſacratum diem in vrbe anniuerſariũ agere: Romanos in campo foris, velut vrbana lætitia excluſos, triſtiores ducere ferias videri. Quocirca E-

παραλαβὼν, ὡς τὸ μονόκαρπον ἐβάδιζεν. ὁ δὲ γερμανὸς προῆγε, τὴν τοῦ στρατηγοῦ παρουσίαν ἐξάκουστον ποιούμενος τοῖς στρατεύμασι. μετὰ τοίνυν ἡμέρας δύο οἱ ταγματάρχοι ἀπήντων τῷ στρατηγῷ, ὡς ἀπὸ τριῶν σημείων τοῦ χάρακος, καὶ μὴν καὶ οἱ τῆς ἐκτάξεως ἅπαντες. ἔθος δὲ γεγηρακὸς ἐν εὐδοκίμει τῷ στρατοπέδῳ, τὸν μέλλοντα τὰς στρατηγίδας περιβαλέσθαι ἡνίας, ὁπηνίκα αὐτῷ τὰ στρατεύματα ὑπαντήσωσιν, ἀποβαίνειν τοῦ ἵππου, καὶ διὰ μέσου χωρεῖν τοῦ ὁπλιτικοῦ, καὶ φιλοφρονεῖσθαι τοῖς ἀσπασμοῖς τὸ στρατόπεδον. ὃ δὴ μὴ πεποιηκότος τοῦ πρίσκου, ἀλλὰ καὶ πάνυ μὲν οὖν τοῦτον δὴ τὸν πρεσβύτην ἀποσκορακίσαντος νόμον, οὐ μετρίως ἔφερε τὴν ὕβριν τὸ στράτευμα. τῇ τοίνυν πρώτῃ τῆς πανηγύρεως ἡμέρᾳ εἰρηναίως ὁ στρατηγὸς διετέλεσε. τρίτης δὲ ἡμέρας παρῳχηκυίας, καὶ τῆς τῶν στρατιωτικῶν σιτήσεων ἀπομειώσεως, οὐκ ἔτι ἐν παραβύστοις, ἀλλ' ἐς τὸ φανερὸν γινομένης τῷ πλήθει παντί, ἀναρχίας ἀκμὴ λαμβάνει τὴν πρόοδον, καὶ πρὸς τῇ σκηνῇ τοῦ στρατηγοῦ τὰ πλήθη συρρέουσιν, ἃ μὲν λίθους ἐπιφερόμενα, ἃ δὲ καὶ ξίφη, ὡς ἑκάστῳ καθυπούργησεν ὁ καιρός. τοῦ δὲ θορύβου ὁ στρατηγὸς αὐτήκοος γέγονε καὶ τὴν αἰτίαν διεπυνθάνετο. τῶν δὲ πρὸς τὴν πεῦσιν μηδὲν ἀποκρινομένων αὐτῷ, πλὴν ἤ, ἀνατέτραπται πάσης τάξεως ἁρμονία, τοῦ στρατοπέδου ἀνηγεμονεύτου τυγχάνοντος, ἱδρῶτι περιερρεῖτο ὁ πολέμαρχος πρίσκος, καὶ φόβῳ πολλῷ συνεστέλλετο, διαπρυ-

piscopum assumens, Monocartum ire perrexit. Cæterùm Germanus Priscum antecedens, exercitui super eius aduentu nuntium apportat. Post biduum itaque cohortium Præfecti, quin immò milites omnes, ad tertium fere lapidem duci obuiam è castris prodeunt. Porrò castrensis quædam cõsuetudo vigebat, eaque vetus & laudabilis, vt qui ad exercitum regendum adueniret, occurrentibus sibi honoris caussa militibus equo descendens, armatorum medius graderetur, totumque exercitum comiter salutaret. Quod cum Priscus facere omitteret, & morem hunc planè contemneret, ea contumelia apud milites grauiter offendit. Ac primo quidem festorum sollemnium die in pace fuit. Tertio elapso, cum iam de demensi, seu victus diminutione constaret inter omnes, contumacia & licentia aduersus ducẽ magis magis amplificata, ad tentoriũ eius turmatim ruunt, pars lapides iactantes, pars gladios distringentes, vt cuique telum occasio ministrabat. Dux fremitum ac tumultum auribus accipit: quid sibi istuc velit percunctatur. Illis ad interrogata nihil respondentibus, nisi hoc vnum, omnis ordinis quasi concentum quendam nunc periisse, cũ exercitus

μένης αὐτῷ τῆς ψυχῆς, ὅτι καὶ δράσειε. τῷ μὲν οὖν Εἰλιφρέδᾳ τὸ θεανδρικὸν ἴνδαλμα παραγυμνώσας ἐδίδου (ἀχειροποίητον δὲ τοῦτο Ῥωμαῖοι κατονομάζουσι) περινοστεῖν περιστάξας τὸ στράτευμα, ὅπως αἰδοῖ τοῦ σεβάσματος ταπεινωθείη μὲν ὁ θυμὸς, τὰ δὲ τῆς ἀκοσμίας πρὸς τὸ σῶφρον τὴν μεταβολὴν ἀπενέγκοιτο. τοῦ δὲ πλήθους μηδὲν ἐντεῦθεν σωφρονιζομένου, ἀλλὰ καὶ βάλλοντος τὸ ἀπόρρητον λίθοις, εἰκότως ὁ στρατηγὸς ἵππου τινὸς τῶν σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως περιτυχὼν, πρὸς φυγὴν ἐκδοὺς ἑαυτὸν, παραδόξῳ σωτηρίᾳ τινὶ τὸν κίνδυνον παρεκρούσατο. ἱπποφορβοῖς τοιγαροῦν προσομιλεῖ τοῖς τὰς ἵππους τὰς στρατιωτικὰς περιβόσκουσι. κἀκείνων μετὰ μεγίστων κινδύνων τὰς χεῖρας διαφυγὼν, τῆς Κωνσταντίνης πόλεως ἐπιβαίνει πυλῶν, ἄρτι τὰς διατριβὰς τοῦ Μονοκάρτου ἀπολιπών. συνενδημεῖ τοιγαροῦν μετὰ τοῦ στρατηγοῦ τῇ πόλει καὶ θόρυβος. οἱ μὲν οὖν τῆς Κωνσταντίνης οἰκήτορες ἐπὶ τοῖς γεγονόσιν ἐκπεπληγμένοι τὰς ψυχὰς διετέλουν. ὁ δὲ στρατηγὸς τοῖς ἡγεμόσι τῶν πόλεων, τοῖς τε τῶν φρουρίων ἐφεστηκόσι, διʼ ἐπιστολέων ἐνεχάραττε γράμματα, μηδὲν τῶν συνήθων ἀποστερεῖν τὰ στρατεύματα, μήτε δὲ καταπλαγῆναι τὰς ψυχὰς τῇ ἀθρόᾳ τῶν γεγενημένων παρόδῳ. ἐζήτει δὲ καὶ ἰατροῦ τέχνην ἐπιφανεῖσαν αὐτῷ φάρμακα τοῖς περὶ τὴν γαστροκνήμην ἕλκεσιν ἐπι-

citus Imperatore careat, Prisco sudor ire per corpus, & artus occupare tremor cœpit, animo hæsitanti quid ageret. Ergo Iliphredæ Dei atque hominis effigiem, quam ἀχειροποίητον (hoc est, non mortali manu confectam) Romani appellant, inuolucro nudatam, per castra circumferendam committit: quò ad aspectū rei adorandę excitata reuerentia furorem comprimeret, & in modestiam quietemque rerum perturbatio transiret. Verum enimuerò, cum multitudo nihilo hinc modestior saniorque euaderet; quin potius sacrosanctam imaginem lapidibus appeteret, dux equum cuiusdā è satellitibus Imperatoris nactus, haud immeritò sese in fugam tradidit, periculumq; capitis præter opinionem depulit. Nam & cum pastoribus equariis, militum equos circum ea loca pascentibus congressus, eorum manus nō citra summum discrimen effugit: iamque Monocarto relicto, Constantinam vrbem petiuit, in quam vrbem fama ducem ipsum comitata est. Ac ciues quidem Constātini stupere super his, quæ contigisse audiebant; dux verò vrbium castellorumque Præfectis per amanuenses scribere, præcipereque, ne quid de consueto demenso exercitui demerent; néue percellerentur, si crebrius, quæ facta essent, audirent. Quærebat etiam medi-

ἤθελε, ἐδεινοπάθει γὰρ ἐπὶ τοῖς μώλωψιν, οὓς αὐτῷ ἡ τῶν λίθων φορὰ διενείματο.

medicũ, à quo cataplaſmatis tibię dolor, & vibices liuidę, lapidũ iactu ſibi impoſitæ curarentur.

CAPVT II.

Tabernaculum Priſci diripitur. Legatus eius ad exercitum. Germanus, quanquam multum repugnans, dux cooptatur. Epiſcopus Legatus ſpernitur. Statuæ, & imagines Imperatoris deiiciuntur abolenturq́. Edeſſeni Epiſcopi irrita legatio. Clades orientis.

Τὰ μὲν οὖν τῆς στάσεως τῷ στρατοπέδῳ διεμηνύετο. περιαιρεῖται γὰρ τὸ τοῦ στρατηγοῦ σκηνοπήγιον, λωποδυτεῖται δὲ παρὰ τοῦ πλήθους καὶ τὰ τῆς περιουσίας ὁ πρίσκος· ἀποδιδράσκουσι δὲ καὶ οἱ τῶν συνταγμάτων ἡγεμονεύοντες, καὶ ἐς μέγα κακοῦ τὰ τῆς ἀναρχίας ηὐξάνετο. μετ᾽ οὐ πολὺ δὲ τὸν τῆς κωνσταντίνης πρόεδρον ὁ στρατηγὸς εἰς τὸ στρατόπεδον πρεσβευτὴν διεπέμπετο, καλλιχυρευόμενος τὰ τῆς στρατιωτικῆς λύπης παρηγορεῖν, καὶ ὡς μετέθετο τὴν γνώμην ὁ αὐτοκράτωρ μαυρίκιος, καὶ βασιλικὸν ἐπιφέρεται γράμμα, ἐγκελευόμενον ἀναζωγονῆσαι πρὸς τὸ σύνηθες τὰς στρατιωτικὰς ἐπιδόσεις. ἐπεμέμφετο δὲ φιλιππικῷ πρίσκος ὁ στρατηγὸς, καὶ τῆς ἀταξίας αὐτὸν διεθρύλλει γεγονέναι πατέρα, ὡς εἰσηγητὴν τῆς μειώσεως τῶν στρατιωτικῶν ἐπιδόσεων μαυρικίῳ γινόμενον. ταῦτα δ᾽ εἰκῆ διερραψώδει ὁ πρίσκος. ὁ μὲν οὖν ἱερεὺς ὁ πρέσβυς ὡδοιπόρει καθὼς προσετέτακτο. τὰ δὲ στρατεύματα συναθροίζεται, καὶ στρατηγὸν χειροτονεῖν ἐδόκει

SEditio militaris augeſcit: tentorium ducis dilaceratur, ſupellex in prædam concedit, duces quoque aufugiunt, & quod caput nullũ eſſet, id maiori ſemper malo erat. Non multo poſt, dux Antiſtitem Conſtantinæ in caſtra legat, lenire ſtudens militum ægritudinem; quòd ſcilicet ſententiam mutaſſet Imp. à quo literas afferret, quibus mandaretur, vti annonaria erogatio in priſtinum reuocaretur. Accuſans autem Philippicum Priſcus, auctorem eum tumultus fuiſſe iactabat, vt qui Mauricio demenſi contrahendi conſilium dediſſet. Sed hæc ille temerè fabulabatur. Antiſtes igitur iuxta atque imperabatur inibat iter; & exercitui in vnum coëunti, creandum eſſe ducẽ videbatur. Quare Germanum accerſunt, in concilium introducunt, militaris imperij ſummam ei permittere, æquum bonumq́ue cenſent. Germanus exercitus petitionem repudiat: illi obedientiam in oblata dignitate amplectenda vrgent; &, ni

obediat,

μαζε. Διά τοι τοῦτο μεταμέληκον τὸν γερμανὸν ποιησάμενοι, καὶ εἰσαγώγιμον εἰς τὸ βουλευτήριον ἐνεγκάμενοι, ἠξίουν ἐγχειρίζειν αὐτῷ τὰς στρατηγίδας ἡνίκας. τοῦ δὲ ἀποπεμπομένου τὴν τοῦ στρατοπέδου ἀξίωσιν, τῶν δὲ καταναγκαζόντων αὐτὸν ἔσεσθαι περὶ τὴν χειροτονίαν πειθήνιον, καὶ προσαπειλούντων καὶ θάνατον τῆς παρακοῆς εἶναι τὸ διάζημιον, νικῶσι τὰ τῶν στρατευμάτων βουλεύματα, καὶ στρατηγὸς γερμανὸς ἀνακηρύττεται, ὅρκῳ περιφράξας τὰ τοῦ συνοίσοντος, ὡς ἀπέχονται Ρωμαῖοι τοῦ λωποδυτεῖν τὸ ὑπήκοον, τῆς ἀταξίας ἐκποδὼν γινομένης. διωμολόγητο δὲ καὶ καταπολεμεῖν αὐτοὺς τὸ ἀντίπαλον. καὶ ταύταις ὁ στρατηγὸς ταῖς συνθήκαις περιφραξάμενος, οἷα θώραξιν ἀκαταγωνίστοις τισὶν, ἡγεμονεύειν Ρωμαίων ἠσμένισε. γίνεται γοῦν ὁ ἱερεὺς ὁ πρέσβυς πρὸς τὸν στρατηγὸν, καὶ τὸ στρατόπεδον. ὁ μὲν οὖν παρεκάλει τὸ στράτευμα πρὸς σωφροσύνην ἰδεῖν. οἱ δ' ἀπηχθάνοντο τῷ ἱερεῖ, καὶ τοὺς λόγους τοῖς ὠσὶν οὐ παρεδέχοντο, ἀλλ' οἷα βάρβαρον ὄψιν ἐξενηλάτουν τὰ παρὰ τοῦ πρέσβεως αὐτοῦ εἰσηγούμενα. παρεγγύων δὲ καὶ τὸν πρίσκον ἐξωθῆσαι τῆς πόλεως. οἱ μὲν οὖν τοὺς βασιλικοὺς ἀνδριάντας καταρρίπτειν ἐνεχείρησαν. ὃ δὴ καὶ γέγονεν. ἀφανίζουσι δὲ καὶ τὰ διὰ τῆς γραφῆς ἀναθήματα ἅπερ σανίσι, καὶ πίναξιν εἰς βασιλέως τιμὴν χρωματουργία συνετέτακτο τεχνικῇ. μηδὲ γὰρ ἀνέχεσθαι ἔφασκον ὑπὸ βασιλέα παλιγκάπηλον εἶναι. ὁ δὲ πρόεδρος τῆς κωνσταντίνης κατάδηλα ταῦτα ἐποιήσατο πρίσκῳ. τοίνυν ὁ πρίσκος καὶ τὸν τῆς ἐδέσσης τοῦ ἱερατικοῦ ἐξηγούμενον πρεσβεύειν τὴν

obediat, mortem pro pœna intentant. Quid multa? vincit eorum deliberata ſententia, & Germanus præconis voce dux promulgatur, cum prius communem vtilitatem iureiurando exacto confirmaſſet; nempe, Romanos ſeditione, ac turbis è medio ſublatis, diripiendis ac ſpoliandis ſubditis vim minimè facturos. Pactus etiam cum illis eſt, vti hoſtes oppugnarent. Hæc vbi pactis, tanquam loricis quibuſdam inexpugnabilibus communiuit, ad gubernacula promptus acceſsit. Venit itaque ad ducem, & exercitum legatus Epiſcopus: rogat milites, conſiderent, quid modeſtia, moderatioque poſtulent. Illi ſuccenſere, auribus dicta reſpuere, & quæ conſuleret, veluti noua & peregrina repellere. Hortabantur inſuper, vti Priſcum vrbe Conſtantina exigeret. Et ipſi quidem ſtatuas Imperatoris deturbare nō ſunt veriti. Præterea in honorem Imperatoris coloribus & arte pictas tabellas ſuſtulerunt, quòd ſe Imperatori cauponi ſeruire nolle affirmarent. Antiſtes Conſtantinæ hæc ad Priſcum refert: Priſcus Edeſſæ Præſulem ad exercitum rurſus legat: qui multo ſermone fruſtra conſumpto rediit. Iam verò ex huiuſ-

ἀπέστελλε τοῖς στρατεύμασιν. ἀτὰρ ὁ ἱερεὺς γινόμενος πρὸς τὸ στράτευμα, καὶ πολλοὺς λόγους καταβαλλόμενος, ἀνεπιτεύκτως τὴν ἐπανάζευξιν ἐποιήσατο. τὰ δ' ἐκ τῆς ἀταξίας δεινὰ τῇ ἀνατολῇ ἐπεκύμαινε, καὶ πάντη κακὸν κακῷ ἐπεστήρικτο, ἵνα καὶ ποιητικῆς συμφορᾶς μνήμην ποιήσωμαι, τῶν μὲν τὰς περιουσίας ἀποβαλλομένων, ἄλλων περὶ τὰς ὁδοὺς λῃστρικώτερον βιαζομένων, ἑτέρων ἐν τοῖς ἀγροῖς ληϊζομένων τῆς τυραννίδος κομώσης, καὶ περιεχομένης τοῖς ἀδικήμασι τὸ ἀνέγκλητον. ὁ μὲν οὖν πρίσκος γράμμασι ταῦτα κατάδηλα μαυρικίῳ ἐποιήσατο τῷ αὐτοκράτορι.

huiuſcemodi confuſione tumultuque exortæ calamitates, orientem ceu fluctus quidam peruadebant, καὶ πάντη κακὸν κακῷ ἐπεστήρικτο, *& vbique malum ſuperueniente malo vires & robur acquirebat* (vt & à poëta deſcriptæ calamitatis mentionem faciam), cum alij rem familiarem amitterent: alij in itineribus per vim & latrocinia ſpoliarentur; quorundam ab agris pecora, & fruges raperentur, tyrannide eo vſque luxuriante, vt qui iniuriarum agere auderet, inueniretur nemo: ſuper quibus Mauricium Imperatorem Priſcus per literas certiorem fecit.

CAPVT III.

Legati ad Priſcum. Eorum in militibus placandis infœlix conatus. Priſcus Byzantium diſcedit. Aduerſus Philippicum rebellio. Perſæ occaſione vtuntur. Conſtantinam obſident: à Germano depelluntur. Ariſtobulus palatij Præfectus milites ad officium reuocat.

Ὁ δὲ βασιλεὺς τὸν φιλιππικὸν αὖθις ἐπιβαίνειν τῆς ἀνατολῆς ἐγκελεύεται. ἐπικηρυκεύονται τοιγαροῦν οἱ τῶν στρατευμάτων τὸν πρίσκον τῆς ἐδέσσης ὑπεξελθεῖν, πέντε καὶ τεσσαράκοντα τὸν ἀριθμὸν χειροτονήσαντες πρεσβευτάς. γίνονται γοῦν οὗτοι ἐν ἐδέσσῃ τῇ πόλει παρὰ τὸν πρίσκον, καὶ διαπορθμεύουσιν αὐτῷ τὴν τῶν στρατοπέδων προαίρεσιν. ὁ μὲν οὖν πρίσκος πλεῖστα ἀπελελέγητο, καὶ πείθει τοὺς ἀπεσταλμένους ὡς οὐκ ἐν

IMperator Philippicum rurſus in orientẽ proficiſci iubet. Exercitus igitur per quinq; & quadraginta Legatos Priſcum monet, vti ſe Edeſſa ſubducat. Hi Edeſſam ingreſsi, militum ei voluntatem denuntiant. Priſcus ſui defendendi affert plurima, Legatiſque perſuadet, ſecum iniuſtè agi. Tum illi promittunt, ſe ira & furore ardentes militum animos nonnihil ſedaturos. Qua ſpe nixus, apud Edeſſenos moras trahit.

ἀδίκῳ μοίρᾳ γέγονεν αὐτῷ τὰ ἐπίχειρα. οἱ μὲν οὖν ἐπηγγείλαντο τῷ πρίσκῳ, ὑπομαραίνειν τῶν στρατιωτῶν τὰς μεγάλας τῆς ὀργῆς φρυκτωρίας. ὁ δὲ πρίσκος κεχηνὼς ταῖς ἐλπίσι, πρὸς τῇ ἐδέσσῃ τὰς διατριβὰς ἐπεποίητο. ἐπεὶ δῆτα ἀφίκοντο οἱ πρεσβυταὶ πρὸς τὸν χάρακα, καὶ τὰς ἀπολογίας διεξιέσαν πρίσκου. ἐνεχείρουν δὲ καὶ ἐθασσεύειν τὰ νεώτερα τῆς τυραννίδος σκιρτήματα, ὃ καὶ πρὸς κορυφαῖον αὐτοὺς ἀπῃώρησε κίνδυνον. μόλις γὰρ τὸν θάνατον ἀποκλίνουσι, τὸ ἰδιωτεύειν κατακριθέντες. τοῦτο γὰρ τὰ τῆς ὀργῆς ἐδογμάτιζεν. ἐκ τοῦ χάρακος τοίνυν ἐκβάλλονται, καὶ τοιούτοις δεινοῖς τὰ περὶ τοὺς πρεσβευτὰς ἐπεπέρατο. καταστρατοπεδεύουσι τοιγαροῦν οἱ τῆς ἀταξίας ἡγεμονεύοντες κατὰ πρίσκου, καὶ πέντε χιλιάδας συντεταχότες μαχίμου δυνάμεως, ἐπὶ τὴν ἔδεσσαν ἀποστέλλουσι. κατ᾽ ἐκεῖνον γοῦν τὸν καιρὸν γίνεται θεόδωρος περὶ τὴν ἔδεσσαν, τὴν φιλιππικοῦ ἄφιξιν ὑπισχνούμενος. διά τοι τοῦτο ἀπολιπὼν ὁ πρίσκος τὴν ἔδεσσαν, γίνεται ἐς βυζάντιον. οἱ δὲ περὶ τὸν χάρακα Ῥωμαῖοι, ἔτι τῇ ἀταξίᾳ περιεπλέκοντο, τὸν φιλιππικὸν ὅσον οὔπω ἐπιβαίνειν τοῦ μονοκάρτου αἰσθόμενοι, ὅρκοις τε διέθεντο μηδὲ τῆς ἐκείνου στρατιαρχίας ἀνέχεσθαι. τὸ δὲ περσικὸν ταῖς Ῥωμαϊκαῖς συμφοραῖς ἐντρυφῶν, τῇ Ῥωμαίων πολιτείᾳ περιεκέχυτο, καὶ τῇ κωνσταντίνῃ προσέβαλλε, καὶ διπλοῦς ταῖς πόλεσιν ὑπῆρχεν ὁ πόλεμος, ἔκ τε τῶν οἰκειοτάτων, καὶ τῶν πολεμίων ἐκτρεφόμενός τε καὶ λιπαινόμενος. καὶ οὖν τὸ τῶν Ῥωμαίων

hit. Legati in caſtra reuerſi, reſponſionem Priſci exponunt; ferociores illorum ſpiritus temperare conantur, quod eos ſummum in diſcrimem adduxit. Nam cum vix interitum effugiſſent, capite diminuti ſunt, ad vitam nimirum priuatam condemnati. Huius ſupplicij irrogandi magiſtra ipſis iracundia fuit. E caſtris igitur eiecti, huiuſcemodi calamitatis ſuæ exitum tulerunt. Principes ſeditioſorum Priſcum bello appetendum rati, quina egregiorum militum millia inſtruunt, quos Edeſſam mittunt. Quo tempore Theodorus Edeſſam veniens, de Philippici aduētu nuntium perfert. Quamobrem Priſcus Edeſſa relicta, Byzantium petit. Qui in caſtris erant Romani, & Philippicum Monocartum breui venturum intelligebant, adhuc aduerſus eum tumultuari, & ſacramento inter ſe fidem aſtringere, eius imperium minimè toleraturos. Perſæ ex Romanorum miſeriis voluptatem capientes, ditionem Romanam prædando diuexant, & Conſtantinam adoriuntur: habebantque vrbes bellum duplex, quòd illud & maximè domeſtici, & hoſtes externi alerent, & (vt ita loquar) ſaginarent. Cæ-

T terùm

συνάθροισμα ἀπόμαχον διετέλει, οὐδὲν μέλον αὐτῷ ὡς περὶ ἀλλοτρίων τοῦ πράγματος τῶν γινομένων τὴν φροντίδα τιθέμενον. γερμανὸς δὲ χιλιάδα ἐκ τῆς μαχίμου καθοπλίσας δυνάμεως τῇ κωνσταντίνῃ ἀθρόως ἐπιφανεὶς τῶν προσδοκίμων αὐτῇ κακῶν ἠλευθέρωσε. μόλις δὲ παραθήγων ὁ στρατηγὸς τὰ Ρωμαίων συντάγματα, καὶ παροτρύνας τοῖς ῥήμασι, χιλιάδας τέτταρας συναθροίζει, καὶ τοῖς περσικοῖς ἐνδημεῖν ἐγκελεύεται. ὁ δ' ἀριστόβουλος, (ἦν δ' ἄρα οὗτος τῆς βασιλικῆς οἰκείας προεστὼς τοῦ βασιλέως τοῦ ἀντιόχου προσαγορευομένης) τῆς στρατεύμασιν ἐπίδημος ἦν, ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος ἐκπεμφθείς. οὗτος πῇ μὲν τοῖς δώροις, πῇ δὲ τοῖς λόγοις ὑπομαλάττει τὸ τῆς τυραννίδος ἀπίθανον.

terùm Romanæ cohortes solutæ curis, & quæ gerebantur, non secus atque aliena, & ad se nihil pertinentia intuentes, ab armis feriabantur. Germanus mille assumptis, & apud Constantinam deimprouisò conspectus, malis, quorum erat in metu, eam liberat. Qui cohortando, & impellendo vix tandem quatuor millia collegit, & in Persidem tendere iussit. Ast Aristobulus, domus regiæ, quæ Antiochi appellatur, procurator, ab Imperatore ad exercitum missus, quà muneribus, quà verbis, duros & implacabiles animos aliquantum emolliuit.

CAPVT IV.

Martyropolis aditu Romani à Persis prohibentur. Hostes insequentes dimicatione deuincunt. In Imperatorem beneuolas mentes accipiunt; captiuis, & spoliis eum honorant. Philippici timor. Stipendia persoluta. Roma Longobardis resistit. Mauri in Africa domantur.

Στρατοπεδεύεται γοῦν τὸ Ρωμαϊκὸν ἐπὶ τὴν μαρτυρόπολιν, πρὸς τὸ εἰρηναῖον μεταβαλόμενον. ἀπόμοιρα δέ τις τῶν στρατοπέδων τῇ περσίδι πάλιν εἰσβάλλει. ὁ μὲν οὖν μαρουζᾶς, ὁ τοῦ περσικοῦ στρατηγὸς ἐπιφανεὶς, κωλύμην τῆς ἐπιστασίας Ρωμαίοις παρείχετο. ἐπανέζευ-

Romanus itaq; exercitus pacem complexus, Martyropolim abit. Pars in Persidem iterum irrumpit. Maruzas Persicarum copiarum Imperator se obiiciens, vrbis aditu eos excludit. Hinc per Arzanenam regionem, & Nymphium flumen domum reuertentes, idem Maruzas insequitur;

ξαν τοιγαροῦν οἱ Ρωμαῖοι διὰ τῆς ἀρζανηνῆς, καὶ τοῦ νυμφίου ποταμοῦ πρὸς τὰ οἴκοι. συνείπετο δὲ καὶ ὁ μαρουζᾶς τοῖς Ρωμαίοις κατόπιν. συνέῤῥευσε τοιγαροῦν τὸ Ρωμαϊκὸν ὁμοῦ, καὶ τὸ ἀντίθετον βάρβαρον περὶ τὴν μαρτύρων πόλιν, καὶ γίνεται Ρωμαίοις καὶ πέρσαις ἐπιφανέστατος πόλεμος. κληροδοτεῖται δὲ τῷ Ρωμαϊκῷ νίκη μεγαλοπρεπὴς καὶ περίδοξος. ἀναιρεῖται γὰρ ὁ τῶν περσῶν στρατηγός. ἥλωσαν δὲ τοῦ περσικοῦ ζωγρηθέντες τρισχίλιοι, καὶ οἱ ἐν τέλει δορυάλωτοι γίνονται, καὶ μέχρι χιλίων τὸ τῶν βαρβάρων γινόμενον σύνταγμα, πρὸς τὴν νίσιβιν γίνεται. τοῦ τοίνυν φόνου γινομένου μεγάλου τε καὶ ἀξιαγάστου Ρωμαίοις, καὶ τῆς λαφυραγωγίας λαμπρᾶς, συναθροισθὲν τὸ στρατόπεδον διαλύονται τὴν ἔχθραν πρὸς τὸν μαυρίκιον, καὶ γεραίρουσι λαφύροις πολλοῖς τὸν αὐτοκράτορα, πέμψαντες ὡς αὐτὸν καὶ τὰ σημεῖα τοῦ περσικοῦ, ἃ τῇ πατρίῳ φωνῇ βάνδα Ρωμαῖοι κατονομάζουσιν. ὁ δὲ φιλιππικὸς ἐν τῇ ἱερᾷ λεγομένῃ πόλει ἐνηυλίζετο, τῷ φόβῳ συσταλεὶς τῆς ἀταξίας, καραδοκῶν τε τῆς ἀναρχίας μεταβολήν. χειμῶνος τοιγαροῦν ὥρας διαδεξαμένης τὸν πόλεμον, τῇ ἀεικινήτῳ καὶ ἀμοιβαίᾳ τῶν τρόπων μεταβάσει ὁ χάραξ τοῦ Ρωμαϊκοῦ διαλύεται. ἐπιγινομένου δ' ἦρος καὶ προσηνῆ, καὶ ἐπίχαριν ὄψιν παρεχομένου τῇ γῇ, ἡ κατὰ τὸ εἰωθὸς τοῦ χρυσοῦ διανομὴ τῷ μαχίμῳ ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος ἐξεπέμπετο. ὁ δὲ Ρωμαίων τε καὶ περσῶν πόλεμος ἐσφρίγα τε καὶ ἐσφάδαζε. τὸ δὲ γετικὸν, ταυτὸν δ' εἰπεῖν αἱ τῶν σκλαβηνῶν ἀγέλαι τὸ περὶ τὴν θρᾴκην ἐς τὸ καρτερὸν ἐλυ-

quitur: nec procul Martyropoli eos assequitur, vbi prælio inprimis memorabili concursum est, & Romani magnificam atq; inclytam victoriam retulerunt. Nam Persarum dux occubuit; capti ter mille cum optimatibus; mille circiter Nisibin secesserunt. Romani post tantam tamque admirandam hostium stragem, & superba spolia conuentu celebrato, odia in Mauricium deponenda decernunt, eumque cum aliis, iisque multis de præda bellica honorant: tum Persica signa (quæ patria nostra voce banda dicuntur) ad eum transmittunt. Philippicus Hierapoli, timore turbarum, & exspectatione status domino carentis immutandi, interim se tenebat. Hyeme bellum excipiente, secundum morum mobilitatem vicissitudinemq; castra dissoluuntur. Vere autem placidum, & iucundum terris vultum exhibente, pro consuetudine aurum in militem pro stipendio distribuendum ab Imperatore mittitur, bellumque inter Romanos & Persas recrudescit, & agitatur denuò. Getæ, seu (quod idem est) Sclauini, Thraciæ pro-

 xima

μαίνετο. οἱ δὲ Μῆδοι τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς συγκυρήσαντες, παρανάλωμα φόνου ἐγίνοντο. Ῥώμη δὴ πρεσβῦτις ταῖς τῶν Λογγοβάρδων ἀντεῖχεν ἐφόδοις. τῇ δὲ Λιβύῃ αἱ τῶν Μαυρουσίων δυνάμεις διετέλουν ἐξίτηλοι, καὶ τῷ πλήθει τῶν Ῥωμαϊκῶν ἀνδραγαθημάτων πρὸς τὸ ταπεινὸν, καὶ κατητονημένον ἀπέκλινον. οὕτω μὲν οὖν ἐκεῖναι μετὰ τῶν ἀσπίδων καὶ τὰς ἡνίας κατέθεντο, τὸν αὐχένα Ῥωμαίοις ὑποχαλάσασαι, καὶ τήν τε ἠρεμίαν ἐνηγκαλίζοντο. ὁ δὲ Φᾶσις οὐκ ἐθολοῦτο τοῖς αἵμασιν· εἰρηναῖον γὰρ ῥεῖθρον τέως περιέβαλλε, τῷ διαυγεῖ τῆς ἡσυχίας καταρδεύων τοὺς Κόλχους, μηδαμοῦ κεκτημένος Μῆδον οἰκήτορα. καὶ ὧδε πως τὰ Ῥωμαίων διετίθετό τε, καὶ συνετάττετο.

xima validè deuaſtant. Perſæ Romanis ducibus forte occurrentes, ab iis velut aliud agentibus morte multantur. Roma vetus Longobardorum impetus retundit. In Africa Maurorum copiæ magis magis extenuari, quos Romanorum virtus paulatim multis egregiis facinoribus ad humilitatem redegit atq; eneruauit, vt cum armis etiam habenas, ſeu imperium depoſuerint, Romaniſq; ceruices ſummittentes, otium maluerint. Phaſis cæſorum ſanguine non inquinabatur. Pacificum enim flumẽ tum, pellucida quiete Colchos irrigans circumfluebat, nullum vſpiam de Perſis habens incolam. Romanarum rerum conditio, atque ordo iſtiuſmodi fuit.

CAPVT V.

Carcer Giligerdi caſtelli, in quẽ diuerſi mortales includebantur: vnde ſe & alios per cædem Romani eximunt. Philippicum Gregorius Antiochiæ Antiſtes exercitui conciliat. Perſæ Martyropolim occupant, Sitta dolum machinato. Perſis Romani ſuccumbunt. Philippico amoto, Comentiolus munere ſuccedit.

Ἐν τούτῳ τοιγαροῦν τῷ καιρῷ τελεσιουργοῦνται κατὰ τὴν Μηδικὴν οὐκ ἀναξιόλογα διηγήσεως πράγματα. ἀλλ' ἄγε δὴ ἐνείρωμεν καὶ τάδε τοῖς τῆς ἱστορίας μέλεσιν εὐκοσμότατα, οἷάπερ ὅρμον τινὰ λιθοκόλλητον ὀφθαλμοῖς διανοίας ἑστιῶσιν, ὤτων δὲ θυμηδίαν, ὡς ἔστιν εἰπεῖν, ἢ πανήγυ-

PEr hoc tempus res in Perſide narratu haud indignæ contigerunt, quas huic corpori hiſtoriæ noſtræ ornando, ceu monile aliquod baccatum oculis animi, ceu epulas & oblectamentum, atque panegyrim auribus inſeramus. Arx erat in interiore Perſide, Giligerdum vocabulo, in

ριον. Φρούριον, (Γιλιγέρδων ὄνομα αὐτῷ) ἐνδοτέρω δὲ τούτου τῆς Μηδικῆς ᾠκοδόμηται, ἐν χώρα ἐπιλεγομένη Βιζακοῦ, οὐ πόρρω Βενδοσαβείρων τῆς πόλεως. πρόσεστι δὲ τούτῳ καί τις εἱρκτή. λήθην δὲ ὀνομάζουσι ταύτην οἱ βάρβαροι. ὁ δὲ χῶρος ὥσπερ γηθοσύνῃ ὀργῆς βασιλικῷ θυμῷ ἀνατίθεται, καὶ τέμενος δυσμενείας ἀποκαλῶν τις τὸ φρούριον, οὐκ ἂν ἁμάρτοι τοῦ πρέποντος. ἐναποκλείονται τοίνυν ἐνθάδε, ὅσοι τοῖς δικτύοις τῆς τοῦ βασιλέως λύπης ἁλίσκονται. τούτων μὲν ὑπήκοοι, τούτων δὲ καὶ δορύκτητοι. Ἰουστίνου γε οὖν τοῦ νεωτέρου τῆς Ῥωμαϊκῆς πολιτείας ἡγεμονεύοντος, παρεστήσατο τὴν πόλιν τὴν λεγομένην Δάρας ὁ τῶν Περσῶν βασιλεύς· ἔδοξε γοῦν τῷ βασιλεῖ καὶ γίνονται Δαρηνοὶ τοῦ φρουρίου τούτου οἰκήτορες. ὑπῆσαν δὲ καὶ Καδασηνοὶ ἐν αὐτῷ, βάρβαρον δὲ τὸ φῦλον τῆς Μηδικῆς. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἕτεροι τὸ κακοπραγεῖν κληρωσάμενοι, καὶ κοινὸν ἄθροισμα ταλαιπωρουμένων ἀνδρῶν τὸ φρούριον ἐνηγκάλιστο. γίνεται γοῦν τοῖς ἑτερογενέσιν εἰς συμφωνίαν τὰ κοινὰ δυστυχήματα, καὶ οὓς γένος, καὶ νόμος, καὶ γλῶττα διείλετο, συνῆψεν ἡ τῶν παθημάτων οἰκείωσις, τῷ ἀδελφῷ τῆς ἀνάγκης καταμελετήσασα τὴν ὁμόνοιαν. ἐξάρχουσι δῆτα τῆς ἀνδρείας οἱ Δαρηνοί, καὶ αὐτοβοεὶ τοῖς ἐν ποσὶν ὀργάνοις πολέμου χρησάμενοι, ἀναιροῦσι τοὺς φύλακας. καὶ τοῦ φόνου ἐκκαιομένου πρὸς τὸ λαβρότερον, πλῆθος γὰρ ὑπῆν στρατιᾶς περι-

in regione cui nomen Bizacus, haud procul ab vrbe Bendosabiron. In eo visebatur custodia siue carcer, quem barbari Lethē dixere. Locus quodammodo occasionem iræ regis animo subministrat: & si quis castellum maleuolentiæ fanum appellaret, rectè appellaret. Huc includuntur quotquot regis ira tanquam retibus capit, partim subditi, partim bello in potestatem adducti. Ergo Iustino iuniore Romanam procurāte Rempub. rex Persarum vrbem Daram subiugauit. Dareni tum captiui, quoniam ita regi placebat, arcē hanc pro captiuis incolere incipiunt. Tenebantur ibidem Cadaseni (quædam Persidis barbara gens est) quin etiam alij, quibuscum fortuna durius egerat, & communis quidam miserorum, afflictorumque hominum cœtus illic seruabatur. Quid fit? mala communia genere discordantibus concordiam pariunt: quosque genus, leges, lingua discreuerant, miseriarum coniunctio, ex similitudine necessitatis conspirationem meditata copulat. Strenuum itaq; facinus Dareni ordiuntur, bellicisq; instrumentis, quę in promptu erant, primo insultu custodes occidunt. Cumque in cęde feruētius omnes versarētur (à plurimis siquidem ca-

Φρουρούσης τὸ Φρούριον, νικῶσι Ῥωμαῖοι, καὶ συνεξάγουσι τοῦ Φρουρίου τοὺς τῶν ἀτυχημάτων αὐτοῦ κοινωνούς, καὶ πολλὰ παθόντες καὶ δράσαντες, εἰς τὴν Ῥωμαίων ἐπανέζευξαν. Τῶν δὲ περιφανῶν ἐκείνων θριάμβων γεγονότων Ῥωμαίοις, ἔτι πρὸς τῇ μαρτυροπόλει ὁ πόλεμος ἐξηρτύετο, ὡς φθάσαντες εἴπομεν, ὁπηνίκα καὶ μαρουζᾶς ὁ τῶν περσῶν στρατηγὸς, ἐν τῇ παρατάξει ἐτύγχανεν ὢν πεπτωκώς. ἥλωσαν δ' οἱ τῶν δύο κεράτων ταξίαρχοι, ἥ τε κεφαλὴ μαρουζᾶ τοῦ στρατηγοῦ ἐς βυζάντιον ἧκεν. ὁ δὲ Φιλιππικὸς ἔτι ἀπεδοκιμάζετο ἐκ τῆς Ῥωμαίων δυνάμεως, καὶ ἀποστράτηγος ἦν. οὐ προσίετο γὰρ κηδεμόνα τὰ πλήθη, τὸν πρὸ μικροῦ περὶ τὸν ἀρζαμὼν ἀνδραγαθήσαντα. εὐμετάγωγον γὰρ τὸ πλῆθος, καὶ δυσάρεστον πέφυκε, καὶ φίλον αὐτῷ τὸ τῆς μεταβολῆς ἀεικίνητον. γινομένου τοίνυν Φιλιππικοῦ περὶ τῶν κιλίκων ἐπαύλεις, αὐτοκρατορικοῖς γράμμασιν αὖθις εἰς τὴν συρίαν παλινδρομεῖ, καὶ μόλις ὑπὸ τοῦ Ῥωμαϊκοῦ προσεδέδεκτο, γρηγορίου τοῦ ἀντιοχείας τὸν ἀρχιερατικὸν θρόνον τὸ τηνικαῦτα διέποντος, διαλλάξαντος τῷ στρατηγῷ τὰ στρατεύματα. ἡ δὲ μαρτύρων πόλις τότε δὴ ἥλω ὑπὸ περσῶν, οὐ τοῖς ἐκ πολέμων νόμοις, προδοσίας δὲ δόλοις, οἷς εἴωθε κλέπτεσθαι τὰ μὴ δυνάμενα παρὰ τῶν ἀντιπάλων κατεργάζεσθαι μάχαις. ὁ δὲ τοῦ δόλου πατὴρ σίττας ἐτύγχανεν ὤν. οὗτος αὐτομολήσας πρὸς

ſtellum vndique cuſtodiebatur) Romani ſuperiores, calamitatũ ſocios è caſtello ſecum educunt, variiſq; caſibus iactati, ad exercitum ſuum reuertuntur. Poſtquã triumphũ illum præclarum Romani retulerunt, adhuc bellum ad Martyropolim durabat, vt ante docuimus: quando captis duobus cornuum Præfectis, Maruzas Perſarum ſummus Imperator in acie oppetiit, & caput eius Conſtantinopolim transportatũ eſt. Philippicum pro duce nondum admittebat exercitus, non, inquam, adminiſtrationem hanc eum ſuſcipere patiebatur, qui apud Arzamonem inſigne virtutis ſuę documentum dederat. Eſt enim multitudo naturà inconſtans, cui difficile placeas, perpetuæque mutationis cupida. Philippicus literis à Mauricio acceptis, è Cilicia, vbi morabatur, in Syriam redit, ibi ægre ab exercitu eſt receptus, cum Gregorius, Antiochenus id temporis Archiepiſcopus eum in gratiam, & amicitiam militum reſtituiſſet. Martyropolis verò tum, nõ quidem more & lege bellica, ſed dolo & inſidiis (quibus latenter ſurripi conſueuerunt, quæ manu & armis obtineri ab aduerſariis nequeunt) occupata eſt. Fraudis architectus quidam Sittas fuit. Hic ad Perſas transfugiens, ſuadet,

vti

πέρσας, ὑποπείθει σιδηροφορῆσαι τετρακοσίους τοῦ βαρβαρικοῦ, ὑποκρίνεσθαί τε προσχωρῆσαι Ῥωμαίοις, παραφανῆναι δὲ τῇ πόλει. οὗ γεγονότος, τοὺς ἀστοὺς ἔπειθε σίττας ὡς προσκεχωρηκότας Ῥωμαίοις τοὺς βαρβάρους εἰσδέξασθαι. ἐξαπιναίως τοίνυν τοῦ κακοῦ γινομένου, οἱ βάρβαροι τὸ πόλισμα ἐγκολπίζονται. ὁ δὲ Φιλιππικὸς ταῦτα μεμαθηκὼς, στρατοπεδεύεται, καὶ χάρακα περὶ τὴν πόλιν ἐνέβαλε. διὰ τοῦτο ἐπιστρατεύει καὶ ὁ τῶν περσῶν βασιλεὺς, καὶ μεβόδην σουρήνα τὸν υἱὸν ἀντεξώπλιζεν. ἐπεὶ δ' οὐκ ἀποχρῶσα δύναμις τῷ μεβόδῃ ὑπῆν, ἀποστέλλεται παρὰ τοῦ περσῶν βασιλέως καὶ ἀφραάτης, ὁ κατὰ τῆς ἀρμενίας τὰς στρατηγίδας λαχὼν τοῦ πολέμου ἡνίας. τοίνυν συγκεκροτημένου πολέμου, πταίουσιν οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ ἐλάττονες γίνονται τοῦ σκοποῦ, καὶ νικᾷ τὸ τῶν βαρβάρων στρατόπεδον· τοῖς μὲν οὖν ἐν μαρτύρων πόλει διαφρουροῦσι πέρσαις, ἐπίθετος γίνεται δύναμις· καὶ εἰς τὸ καρτερὸν ὑπὸ τῶν περσῶν ἡ πόλις διεφυλάττετο. ὁ δὲ Φιλιππικὸς ἀπεχειροτονεῖτο παραυτίκα.

vti de illis quadringenti armati, defectione ad Romanos simulata ad vrbem accedant. Quo facto, vicissim ciuibus auctor est idem Sittas, vti transfugas illos tanquam Romanorum socios intromittant. Hoc impetrato, barbari subitò oppidum pro suo vindicant. Quod vbi Philippicus resciuit, illuc infesto agmine progressus castris oppidum circundat. Mittit eò copias etiam rex Persarum, quibus Meboden Surinæ filium præficit. Cui cum numerus quem habebat nō sufficeret, ab rege Aphraates, Armenicæ militiæ Præfectus submittitur. Conserta igitur pugna, Romani spe frustrati, barbaris palmam cedere compulsi sunt. Augetur Persicum præsidium Martyropoli, custoditurque ab iisdem firmissimè. Philippicus illico abire præfectura cogitur, cuius locum Comentiolus Imperatoris auctoritate capessit.

CAPVT

CAPVT VI.

Comentiolus cum Persis acie congressus fugit. Heraclij miranda virtus. Aphraates dux Persicus occidit, Persæ in fugam vertuntur. Munera Imperatori de præda mittuntur. Ludi ob victoriam Byzantij. Suaniam in Colchis Persæ inuadunt. Turcarum luxus in auro & argento. Persis vicißim tributa pensitant. Præda Suaniæ Babylonem mittitur. Dux, Romanus nomine à Mauricio in Colchidem missus.

IGitur Zoanab è ducib⁹ Dilimnitarum, itemque Sarames iunior, qui tum in ſatellitibus Pherochanis numerabatur, & poſtea Choſroę ſatellitum pręfecturam obtinuit, alîus ſortis appetentes, nouique rerum ſtatus percupidi, conſpirationem ineunt, ac de nocte Pherochanē omni defenſione nudatum repente adorti obtruncant, moxq; ad eius ſupellectilem agendam ferendamque omnes conuertuntur. Cædis huius nuntius die quinto ad regem perfertur, qui hoc malo ad cætera nuperrimè addito conſternatus, è Perſide, vbi habitabat, Cteſiphontem petit, collectoq; quidquid militum ſupererat, cuſtodiam ſui, vt dabatur, inſtituit. Indigenæ porrò vrbium regiarum his intellectis percelli, & nouitate rerum attonitis animis, quid ſperent, non habere. Solet

ἐνδημία τῆς ἀκοαῖς ἐνιέμενον, ἅπασιν ἀνατροπὴν λογισμῶν ἐμποιεῖσθαι. ἡμέρα δὲ τρίτη καὶ Βινδόην τὸν δέσμιον τὸν ἀσπαβέδου μὲν υἱόν, πρὸς γένος δὲ συνημμένον χοσρόῃ τῷ περσῶν βασιλεῖ, ἐγχειροπέδαις τὴν εἱρκτὴν ἐνοικοῦντα, καὶ ὑπὸ ὁρμίσδου εἰκῇ ποινηλατούμενον, ὁ Βεστάμ, ὃς ἀδελφὸς τούτου ἐτύγχανεν ὤν, τῆς φρουρᾶς ὑπεξῆγεν, ὑπόντος οὐδενὸς τοῦ κωλύοντος. ἐπεὶ δὲ γαλήνη τῶν ἀτυχημάτων γέγονε τῷ Βινδόῃ, πλῆθος ἐκ τῶν περὶ τῶν Φεροχάνην εἰσβάλλει πρὸς τὰ βασίλεια τρίτῃ ὥρᾳ τῆς ἡμέρας, καὶ ἐντυγχάνει ὁρμίσδᾳ. οὗτος δὲ τὸν βασίλειον θρόνον περιεκάθητο. ἐσθὴς δ' αὐτῷ τύραννος ὁμοῦ, καὶ βαρύτιμος, ἥτε τιάρα χρυσῆ τε, καὶ λιθοκόλλητος, ἐνέροις ἀνθράκων ἀπολάμπουσα τῇ λαμπρότητι. περιέρρει δ' αὐτῇ καὶ ὁ μαργαρίτης εἰς τὸ δαψιλές, τό τε κρανίον καταυγαζόμενος, τήν τε σμαραγδόχλοον ὥραν ἐκύμαινεν, ὡς μικροῦ δεῖν συναπολιθοῦσθαι τὸν θεατὴν ὀφθαλμόν, τῷ ἀκορέστῳ τῆς καταπλήξεως. ἀναξυρίδες δ' αὐτῷ χρυσοποίκιλοι, ἔργον ὑφαντοῦ χειρὸς μεγάλης τιμίας. καὶ τοσαύτην εἶχεν ἡ στολὴ τὴν τρυφήν, ὁπόσην ἠβούλετο ἡ τῆς σοβαρότητος ἔφεσις. ἤρετο οὖν ὁ βασιλεὺς Βινδόην, ὅπως τε αὐτῷ ἡ τῆς φρουρᾶς ἀπήντησεν ἀναχώρησις, τά τε τῆς τόλμης κινήματα, τῆς τε περιττοῦ δυνάμεως τί ἂν εἴη τὸ αὐτοσχέδιον. ὁ δ' εἰς εὐήκοον τοῦ βα-

Solet enim inexſpectata auditio commouere mentem, & tota ſimul auribus infuſa, cogitationes omnes diſturbare atque euertere. Tertia luce Bindoem Aſpabedi filium, Choſroæ perſarum regi propinquitate iunctũ, (quẽ Hormiſdas inconſultò pœnæ ſubdiderat, & in carcerem compacto, brachia vinculis aſtrinxerat) Beſtamius frater eius, nemine prohibente ſubducit. Vbi ex rebus turbidis Bindoi ſerena tempeſtas eſt reddita, Pherochanis agmen hora diei tertia in regiam impetu facto, in Hormiſdam irruit. Sedebat is in ſolio regali, veſte regia & pretioſa coopertus. Caput velabat tiara ex auro, gemmis diſtincta, & inſertorum ſplendore carbunculorum rutilans, & vnionibus florens largiter; qui & ipſam illuſtrabant; & ſmaragdini viroris pulchritudinẽ candore ſuo perfundebant: vt propemodum ipſi quoque ſpectantium oculi præ inſaturabili pretioſiſsimorũ lapidum ſtupore collapideſcerẽt. Femoralia ſumptuoſa, auri ſubtemine picturata cernebantur. Tunica tam luxurioſè delicata erat, quam faſtui ac ſuperbiæ collibuerat. Percunctabatur itaque Bindoem rex; quinam è carcere euaſiſſet: vnde illi tanta audacia, tamque ſubiti ſtipatorum greges. Ille probris & ma-

σιλέως ἐλοιδόρει τε, καὶ ἐβλασφήμει ἐς τὸν ὁρμίσδαν, οὐκ ἐχούσης τὸ λοιπὸν πύλην τῆς γλώττης διὰ τὴν ἐκ τῆς ἀκοσμίας παῤῥησίαν ἀκίνδυνον. μηδενὸς τοίνυν καταστέλλοντος βινδόου, ἢ ὑπόντος ἢ ἐπιπλήττοντος, φειδοῖ τῆς βασιλικῆς τιμιότητος, ἤρετο τοὺς ἐν ἀξίᾳ τελοῦντας ὁρμίσδας, εἰ τούτοις ἥδεται τὸ παρεστηκός. πάντων δὲ καταβοώντων ὁρμίσδου, ὁ βινδόης ἑλόμενος τῆς χειρὸς τὸν ὁρμίσδαν, ἐξανιστᾷ τοῦ θρόνου. ἀπεγύμνου τε τὴν κεφαλὴν τοῦ διαδήματος, καὶ τοῖς σωματοφύλαξιν ἐς φρουρὰν παρεδίδου. καὶ οὕτως τῆς τύχης τῆς περὶ τὸν βινδίην ἀντιμεταβαινούσης, ὁ ὁρμίσδας ἐξ ὧν ἔδρασεν ἔπαθε, μαθών, ὡς οὐ δεῖ λυμαίνεσθαι τοὺς οὐδὲν ἀδικήσαντας. ὁ δὲ τούτου παῖς ὁ χοσρόης καθαιρεθέντα τῆς βασιλείας τὸν ὁρμίσδαν ἀκηκοώς, τοὺς εἰθάδας χώρους ἀπολιπών, ἐπὶ τὸ ἀδραβιγάνον τὴν ἀπόδρασιν ἐπεποίητο, δέει τῶν συμβεβηκότων ὁρμίσδᾳ κινδύνων, ὑποτοπάσας μή πουγε καὶ ἐς αὐτὸν τὰ τῆς συμφορᾶς χωροίη διάβασιν. ὁ μὲν οὖν βινδόης ἰχνηλατεῖ τὰ τοῦ χοσρόου κινήματα. ἐπεὶ δ' ἀνερευνωμένῳ κατὰ νοῦν ἐχώρει τούτῳ τὰ πράγματα, τοῦ τε χοσρόου γέγονε κάτοχος, ἠξίου ἐπαναζεῦξαι τὸν βασίλειον θρόνον ληψάμενον. ὁ μὲν οὖν χοσρόης ἐνέχυρον ὅρκου λαβὼν τῆς πιστώσεως, ἐπανῆκεν ἐς τὰ βασίλεια. τῇ δ' ὑστεραίᾳ ὁρμίσδας ἄγγελον ἐκ τῆς φρουρᾶς ἀποστειλάμενος, παρεδήλου, ὡς ἐθέλοι τὰ συνοίσοντα λέξειν τῇ περσῶν πολιτείᾳ, τούς τε σατράπας ἠξίου ὡς αὐτὸν παραγγεῖλαι, καὶ τοὺς ἐν ἀξίαις τελοῦντας καὶ ὑπερο-

ledictis regem coram liberrimè, & vberrimè conſcindere, quòd perturbatus rerum ſtatus tutam ei licentiam largiebatur. Quem quia nemo interpellabat, aut verbis caſtigabat pro tuenda regali excellentia, Hormiſdas magiſtratus interrogat, num qui aſtarent hæc libenter audirent. Illico omnium clamore coorto, Bindoes eum à throno abſtrahit, & ablata à capite tiara, ſatellitibus in cuſtodiam abducendum committit. Sic afflicta Bindois fortuna viciſsim ad alium migrante, Hormiſdas facta ſua luit, diſcitque non eſſe laceſſendos, qui iniuriarum ipſi nihil fecerint. Choſroes filius, parentem regno motum accipiens, cū timeret, ne ſe quoque paterna calamitas inuolueret, è locis vbi habitare conſueuerat, Adrabiganum fugit: fugientem Bindoes ſequitur. Sed vbi ſecum de repub. diligentius cogitauit, eumque eſt adeptus, vt in paterno ſolio collocando reuertendum illi cenſuit. Qui fide cum ſacramento data pignori accepta, in regnum ſe recepit. Poſtridie Hormiſdas è carcere mittit, cupere ſe Perſarum communi ſuadere ſalutaria; oratque vti

Satrapæ,

χαῖς, σύν τε τοῦ βασιλέως σωματοφύλακας ἅπαντας. μηδὲ γὰρ περὶ μικρὸν τῶν λόγων ὑπεῖναι αὐτῷ τὴν ὑπόθεσιν. τούτων τοίνυν διαγγελθέντων τοῖς ἐξέχουσι τῶν βαρβάρων, ἐκκλησία πρὸς τὰ βασίλεια γίνεται. ὑπεξάγεται δὲ τῆς φρουρᾶς καὶ ὁ ὁρμίσδας, ὅπως τοῖς ἐπηγγελμένοις αὐτῷ πέρας προσθήσοιτο. τοῦ τοίνυν ξυλλόγου συγκεκροτημένου πρὸς τὰ ἀνάκτορα, ὁρμίσδας ἐς μέσον ἑστὼς, τῶν δὲ τῶν λόγων ἀπήρξατο.

Satrapæ, & qui fungantur honoribus, quique in altiore gradu ſint, cuſtodes etiam regij vniuerſi ad ſe conueniant: non enim de re parui momenti verba facturum. Hæc vbi barbarorum principibus nuntiata ſunt, conuentus fit in regiam; educitur è cuſtodia Hormiſdas, promiſſa præſtiturus. Cœtu igitur in palatium coacto, ſtans in medio, ſic eſt profatus.

CAPVT IV.

Concio Hormiſdæ, De iniuria ſibi facta expoſtulat. Conditionem priſtinam cum præſenti, illius delicias cum huius miſeriis, & ſqualore comparat. Ingratos, & impios in ſe animos increpat. A tyrannis cauendum monet. Choſroen propter mores ſceleratiſſimos regno excludendum, fratrem regem creandum ſtatuit. Acta ſua commendat.

ἌΝδρες θεαταὶ, ἀλλ' εἴθε μὴ βασιλικῶν ἀτυχημάτων δημιουργοί μοι γεγόνατε· οὕτω γὰρ οὐκ ἂν ἐκληρώσασθε βασιλέα δημηγόρον ἅμα καὶ δέσμιον. ἄνδρες νυνὶ μὲν γαῦροι πολέμιοι, τὸ δὲ πρότερον ὑπήκοοι, καὶ μετὰ δέους πειθήνιοι. ἄνδρες θεαταί, ἀλλ' εἴθε μὴ τηλικούτων κακῶν προήλθετε σήμερον ὑπηρέται καὶ μάρτυρες. εἰ συγχωρήσοι τὸ δάκρυον, φωνὴν ἀφήσω προξενοῦσαν αὖθις τὸ δάκρυον. ὁρῶ γὰρ ὑμᾶς ἐπεντρυφῶντας τοῖς ἀδικήμασι,

VIri ſpectatores (vtinam verò mihi regi veſtro harum calamitatum non etiam architecti fuiſſetis; ſic enim regem concionatorem, & eundem vinctum nō habuiſſetis.) Viri, nunc ſuperbi hoſtes, paulò antè ſubditi, & nō ſine timore obedientes. Viri ſpectatores (vtinam verò tantorum malorum etiam auctores mihi, atque teſtes hodie non eſſetis) niſi vocem lacrymæ intercludāt, vocem mittam, quæ rurſum prouocet lacrymas. Video enim vobis nihil eſſe iucundius, quam iniuſtè lædere, & plaudere manibûs, & frendere dentibus, & ſubſannare

καὶ κροτοῦντας τὼ χεῖρε, τοῖς ὀδοῦσι δὲ τετριγότας, τοῖς δὲ προσώποις μυκτηριζομένους ὁμοῦ καὶ φενακίζοντας, ἐκχύσαντα τῷ γέλωτι, ἀρξάσαντα τοῖς ὀνειδίσμασι, καὶ εἰ μὴ σφάλλομαι, παιγνίων ὑπόθεσιν ἔχοντας βασιλείας νόμον αἰδέσιμον. πάρεστιν γὰρ ὑμῖν ἐν μέσῳ προκείμενος, ὁ πρὸ μικροῦ καθάπερ θεὸς προσκυνούμενος, αἰχμάλωτος, ὑπὸ τῶν πολλῶν ῥαπιζόμενος. ὁ ταῖς ἁλουργίσι περιρρεόμενος, νῦν σεσηπόσι ῥάκεσι περιβαλλόμενος. ὁ θρύψει χρυσοῦ καὶ μαργαρίτου κατακεκοσμημένος, νῦν χοίνῳ σιδηροτεύκτῳ ταλαιπωρούμενός τε, καὶ κακουχούμενος. ὁ τὰς τρίχας εὐθετιζόμενος, καὶ τοῖς μύροις καταπνεόμενος, νῦν αἰσχίστως σκληραγωγούμενος, καὶ τῷ ῥύπῳ καὶ τῇ κόνει, τῇ πλήμῃ τῶν ὀμμάτων, καὶ τῇ συμπλοκῇ τῶν βοστρύχων κατηχρειωμένος τὴν πρόσοψιν. ὁ τοῖς μυρίοις γένεσι τῶν ἐδεσμάτων κολακευόμενος, νῦν ἀπόσιτος, καὶ μικροῦ δεῖν καὶ τῶν τυχόντων σπανιζόμενος ἄρτων. ὁ τοῖς χρυσοφόροις θαλάμοις ἐνδιαιτώμενος, κλίναις τε χρυσαῖς ἐμβλακευόμενος, καὶ σισύραις λαμπραῖς ἐντρυφῶν, καὶ ἐφεστρίσι μεγαλοπρεπέσιν ἐγκαλινδούμενος, νῦν ἐν εἱρκτῇ στενοχωρούμενος, καὶ πρὸς τοὔδαφος κατερριμμένος, μήτε λείψανα εὐτελῶν ἀμφιασμάτων περιφερόμενος. ὁρῶ δὲ καὶ τῶν προπατόρων τὸ κλέος

nare ſimul ac ludificari, & effuſè irridere, & impotenter maledicere; ac, niſi fallor, pro luſu pueri'i veneranda regni legitima ducere. Adeſt enim nunc in medio veſtrûm captiuus, & ab infimis fuſte mactatus, qui paulò antè tanquam Deus adorabatur. Qui purpura induebatur, nunc pannis putreſcentibus tegitur. Qui auro & margaritis in deliciis collucebat, modò in catena ferrea ærumnam exigit. Qui capillum ſcitè, eleganterq; componebat, & vnguenta ſpirabat, nûc tractatur fœdiſsimè, & duriſsimè, ſordibuſque ac puluere, & oculis lacrymarũ ac pituitæ profluentia pœnè concretis, & implicatione crinium totus horridus & efferatus redditur. Qui mille ferculorũ generibus fouebatur, nunc victu caret, & tantum non cibario pane eget. Qui in thalamis verſabatur inauratis, & in lectis iacebat aureis molliter, gaudebatq; ſtragulis fulgentibus, & eneruabatur in ſumptuoſis amiculis, nunc in carcere coarctatur, humi cubat, nec illi ſaltem viliũ veſtimentorum fruſta ad velandum corpus ſuppeditant. Quin etiam maiorum meorum decus, & gloriam hodie per ea, quæ in nos impiè deſignaſtis, contumelioſè deſpici video; quos honoribus colere ſempiternis oportebat; vt nimirum eorum nepotibus quotidiana, & anguſta ſatellitum atq; cuſtodum præſidia conſtitue-

προπηλακιζόμενον σήμερον, ἐξ ὧν εἰς ἡμᾶς ἀνοσιουργοῦντες ἐδράσατε, οὓς ἐχρῆν ἀθανάτων τιμαῖς θεραπεύεσθαι, ἐκ τῆς περὶ τῶν ἀπογόνους ἰσοθέου δορυφορίας προσαγομένης ὁσημέραι. ἐπεὶ δὲ καὶ φύσεως παρ' ὑμῖν θεσμὸς ἀνατέτραπται, καὶ νόμοι κρατῶν ἠθέτηνται, καὶ τάξις μοναρχίας καταπεπάτηται, καὶ δίκης ἠφάνισται πρυτανεύματα, καὶ ἀντίδοσις τῶν βεβιωμένων φροῦδος καθέστηκεν, οὐκ ἐπιλήσομαι τῆς βασιλικῆς ἀρετῆς, ἀλλ' εὐνοίᾳ τῆς τοῦ γένους συστάσεως, τὰ συνοίσοντα τῇ περσῶν πολιτείᾳ διέξειμι. ἄνδρες σατράπαι, καὶ ὅσοι περὶ τὸν βασίλειον τουτονὶ συνηθροίσθητε χῶρον, κοινὰ κατὰ τῆς τυραννίδος στρατηλογήσατε δόγματα, μὴ περιορῶντες ἐς τὸ λοιπὸν ἐπηρεάζεσθαι βασιλείαν, ὑπερφυᾶ τε καὶ δυνατωτάτην, πρεσβύτιδά τε, καὶ φοβερωτάτην τοῖς τὴν οἰκουμένην οἰκοῦσιν ἀνθρώποις. εἰ δὲ μή, μεγάλην ἀρχὴν καταλύσητε, καὶ πολλῶν τροπαίων ὑπόθεσιν ἀνατρέψητε, καὶ μεγίστης δόξης ἀκρώρειαν καταβάλητε, μοναρχίαν τε δυσκαταγώνιστον διαρρήξητε. κἀντεῦθεν τῆς εὐδαιμονίας στερηθήσεσθε πέρσαι, τῆς ἐξουσίας ἀναιρεθείσης ὑμῖν, τῶν περὶ τῆς βασιλείας νόμων ἀθετηθέντων διὰ τὸ τύραννον. ἀταξίας γάρ, στάσις πέφυκε πρόοδος. τὸ δ' ἄτακτον ἄναρχον. ἀναρχία δὲ λύσεως ἀφορμή. ἐκ τυραννίδος λαχοῦσα τὴν γένεσιν αὐτὴ τὴν πολυαρ-

stitueretis. Sed quanquam apud vos & naturæ ius euersum est; & potestas legum nihil valet; & status monarchiæ sub pedes subiectus; & iustitiæ profligata administratio; & rerum in vita bene gestarum relegata remuneratio, non obliuiscar tamen virtutis regiæ: sed beneuolentia & amore erga Persici generis vniuersitatẽ impulsus, quæ communiter in rem fore intelligo, iam nunc explicabo. Viri Principes, & quotquot in hanc domũ regiam pedem attulistis, cõmunia aduersus tyrannidem decreta sancite, nec regnum longè nobilissimũ, potentissimum, vetustissimum, totique terrarum orbi inprimis formidabile vllis de cætero damnis, & incommodis vexari sustinete. Alioqui principatum eximium destruetis; multorum triumphorum monuméta conuelletis; & amplissimæ gloriæ altissimum fastigium deiicietis; monarchiamq; pœne inuictam dissipabitis. Hinc adeò fœlicitatem vestram amittetis, cum per tyrannum legibus de regno abrogatis, potestatem in posterum nullã obtinebitis. Seditio enim est ad confusionem, & tumultum via. Vbi confusio, ibi cõtumacia, & imperij detrectatio. Detrectare autem imperium, & nolle agnoscere dominum, rerum labefactationem producit, à tyrãnide sumpto principio, quæ ipsa

» χίαν ὠδίνουσα, τὰ προϋπηργμένα καλῶς, κακῶς διατίθησι, καὶ ἀνωμάλῳ τοῦ κράτους, τῷ τε ἀσυμφώνῳ τῆς στάσεως, τὸ ἑνιαῖον, καὶ συντονον τῆς ἀρχῆς διαλύσασα, πάντα πάσχειν ἢ δρᾷν τοὺς φιλοτυράννους ἠνάγκασε. Βασιλείας γὰρ σκάφος πολλοῖς τοῖς πηδαλίοις οἰακιζόμενον, μικρά τις σπιλάδος ἐπιδρομὴ κατεβάπτισε, περιεργαζομένης τῆς κυβερνήσεως, πρὸς τὰς τῶν πολλῶν ἀντιθέτους ἐπιβολάς· ἄλλοτε ἄλλου πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν ἐπειγομένου κυβερνᾷν τὸ ἀκάτιον. οὐκοῦν εἰ μὴ τοὺς τυράννους ἀπολικμήσετε, τὴν βασιλείαν δουλαγωγήσετε, καὶ παίγνιον τοῖς ἔθνεσιν ἔσεσθε, τῷ ἀσυμφώνῳ τῆς τοῦ βίου διαγωγῆς καταληρωσάμενοι τὸ εὐάλωτον. ἔτι Βαρὰμ ἐν ποσίν. ἔτι τοῖς ὅπλοις ἀκκίζεται, ἔτι τῆς ὕβρεως ἔχεται, στρατεύσας κατὰ τῆς περσίδος τὴν μάχαιραν. τεθνάτω παρανάλωμα θηρίων γινόμενος. μὴ τιμάσθω ὁ τούτου νεκρὸς τῇ ταφῇ, ἵνα μὴ ταῖς λαγόσι τῆς γῆς σηπεδόνα ψυχῆς βδελυρᾶς καταπείρητε. ἀπογυμνούσθω τὴν κεφαλὴν καὶ Χοσρόης τοῦ διαδήματος. οὐκ ἔστι βασιλικὸς τὴν ψυχήν. οὐκ ἀρχικῇ διανοίᾳ κεκόσμηται. οὐκ ἐξουσιαστικὸν τούτου τὸ φρόνημα. ἀκαθεκτός ἐστιν ταῖς ὁρμαῖς. λυσσώδης πέφυκε τὸν θυμόν. ἀφιλάνθρωπον αὐτῷ περικέχυται βλέμμα. οὐκ οἶδε νόμοις πειθ-

multorum dominationem pariens, bene habentia corrumpit, & imperij inæquabilitate, seditionisq; discordiā vnitatem, & continuum, perpetuumq; tenorem principatus dissoluens tyrannidem arripientes omnia facere, aut pati compellit. Nauim quippe regni multis gubernaculis gubernatam, saxum aliquod nō magnū è mari ꝓminens, occursu suo fractam demergit; diuisa gubernatione videlicet, ac propter multorum oppositos inter se flexus, alio aliter, pro suo videlicet scopo in eius rectionem animū intendente. Quocirca nisi tyrannos contriueritis, seruitute regnum mutabitis, & gentibus ludibrio eritis, cū vos propter dissimilia vitæ instituta subactu faciles præbebitis. Adhuc Varamus ante pedes est; adhuc armis lasciuit: adhuc districto in Persidem gladio malè facere perseuerat. Moriatur, ac belluis deuorādus obiiciatur. Ne sepulchro honestetur. Ne in viscera terræ detestabilis animæ putidum cadauer condatur. Et Chosroæ caput ne cingatur diademate. Non est in eo regius animus, non ingenium principe dignum, non imperatorij spiritus. Cupiditatum est incontinens; ira & rabie furit: truculento est aspectu; ad prouidentiæ præscriptum grauiter se gerere nescit; moribus superbus; in voluptates præceps; velle suum rebus omnibus anteponit.

Quod

νοίας σεμνύνεσθαι. τὸν τρόπον ἐστὶν ἀλγέρωχος. τὴν ὄρεξιν φιλήδονος πέφυκε. τὰ αὐτὰ δεύτερα τίθεται τοῦ βουλήματος. οὐ καραδοκεῖ τὸ συνοίσον. τὴν εὐβουλίαν οὐκ ἐναγκαλίζεται. τὸ φιλότιμον ἀποπέμπεται. τῇ φιλοχρηματίᾳ περιπλέκεται. φίλερις ὤν, καὶ φιλοπόλεμος, καὶ τῆς εἰρήνης ἀνόρεκτος. χειροτονήσω δὲ τῷ λόγῳ βασιλέα σήμερον ὑμῖν τὸ μειράκιον, ὃς παῖς ἐμὸς πέφυκεν ἀγαθός, ἀδελφὸς χοσρόου τὴν φύσιν, ἀλλ' οὐκ ἀδελφὸς τὴν προαίρεσιν. ἢ οὐκ εἰς μέγα τὰ περσῶν προήγαγον τάξεως, τῷ τῆς μεγαλοφροσύνης οἴακι τὸ βαβυλώνιον διιθύνων πολίτευμα; βάσανος δὲ τῶν λόγων, τοῦρκοι φορολογούμενοι· οἱ διλιμνῖται καταθέντες κατὰ τῶν ὅπλων τοὺς αὐχένας ἡμῖν· ῥωμαῖοι πόλεις ἐπιφανεῖς ἀποβαλλόμενοι, καὶ τὰς δευτέρας τύχας τῇ ἐκπτώσει τῶν πρώτων διακρύοντες, ταῦτα μὲν ἐγὼ ὁ πάντα δράσας καὶ πεπονθὼς διὰ τὸ τῆς τύχης εὐμετάβολόν τε, καὶ ἄστατον. ὑμῖν δὲ ἐν ἐξουσίᾳ τὸ ἔχεσθαι τὴν τοῦ συνοίσοντος ἔφεσιν· ἢ καταμελετήσαντας τοῦ καλοῦ, τὰς δευτέρας φροντίδας ἀποδοκιμάζειν, καὶ τῷ μεταμέλῳ τῶν ἡμαρτημένων πρὸς τὰ ἐν ποσὶν οἷα καὶ πράξετε διηπορηκότας, ὀδύρεσθαι.

Quod profuturum videatur, nō exſpectat; conſilia bona non amplectitur; laudis & honoris ſtudium auerſatur. Auaritiæ eſt implicitus, litigioſus, belli cupidus, pacis inimicus. Decernam autē verbo vobis regem hodiè adoleſcentem, eumdem filium meum, præſtabili probitate præditum. Qui cùm ſit naturâ Choſroæ frater, non eſt frater etiam ſtudiis ac voluntate. An verò ego cum magnitudine animi regnū Perſicum adminiſtrans, bello magna non geſsi? Vera me loqui teſtes ſunt Turcæ, qui nunc tributa nobis pendunt. Teſtes Limnitæ, qui cum armis ceruices quoque nobis ſubmiſerunt. Teſtes Romani, qui præclaris vrbibus amiſsis, fœlicem ſortem in aduerſam ſibi conuerſam lamentantur. Hæc ego ſentio, qui propter fortunæ mutabilitatem inconſtantiamque feci, & paſſus ſum omnia. In veſtro ſitum eſt arbitrio id expetere, quod cum reipub. emolumento coniunctum exiſtimabitis: aut neglecta vtilitate, ſecundas curas meas reiicere, & peccati pœnitudine ductos, quia quid faciendum eſſet in rebus manifeſtiſsimis dubitaueritis, in luctum ſeſe dare.

* * *

CAPVT V.

Bindoes orationem Hormisdæ irridet: & in eum, vt multimodis sceleratum, dirius inuehitur. Refutat etiam ex quibus se se commendauerat. Tandem capite puniendum pronuntiat.

Ὅτε τοίνυν ἀπέῤῥει ὁρμίσδα τὰ τῆς διαλέξεως νουθετήματα, Βινδόης ὁ πέρσης βρασματώδη συστησάμενος γέλωτα, ἀπεσκοράκιζεν ὁρμίσδου τοῦ διαλόγου τὴν ἔκθεσιν, ἐς μέσον δὲ ἀνιστάμενος, τὰ δέ που τῷ ξυλλόγῳ παρέθετο.

» Ἄνδρες ὁμόφυλοι, καὶ σύμμαχοι, καὶ μισοτύραννοι, ἀλλ' εἰ μὴ νομοθετούντων ἔτι τυράννων ἀνέχεσθε, ἀδικεῖ καὶ νῦν ἰδιωτεύων ὁ τύραννος. ἔτι τῶν λόγων τὸ κράτος ἀμπέχεται, καὶ προστάττειν διεγχειρεῖ, καὶ βασιλεύει δημηγορῶν, καὶ θεσμοθετεῖ ἐπὶ βήματος, καὶ κατηγορεῖ στρατηγῶν, ἀποδοκιμάζει τε βασιλείαν, καὶ χειροτονεῖ τὸν μοναρχήσοντα, καὶ πάντα πάρεστιν αὐτῷ ἐν ποσὶν, ὁπόσα οὐδὲ τὸ τῶν ἐνυπνίων φιλότιμον δωρεῖσθαι τοῖς ἀπατωμένοις δεδύνηται. μήτε τοσοῦτον ἐννοηθῆναι δυνάμενος, ὡς οὐ πέφυκεν ἐν συμβούλων μοίρᾳ γνωρίζεσθαι, τοὺς μὴ τὰ περὶ ἑαυτῶν διαθεμένους ἐπιδεξίως τοῖς πράγμασι. πόθεν οὖν ἡμῖν ἐνέχυρον τῆς εἰσηγήσεως καταθήσει λίαν ἑδραῖον καὶ ἀξιόχρεων; ἢ τὴν ἑαυτοῦ τύχην κατεγγυᾶν ἡμῖν ἐσοφίσατο, ἐθέλων ἡμᾶς συνδεσμίους θεάσασθαι, καὶ τῶν αὐτῶν παθημάτων κοινωνοὺς

VBi Hormisdæ admonitio finem habuit, Bindoes immodico risu diffluens, Hormisdam cum sua concione in malum cruciatum abire iussit: ipse in medium surgens, concilium sic est affatus.

Viri ciues atq; socij, & tyrannidis osores (si tamen tyrannos, etiam nunc vobis leges imponere conantes non toleratis) etiam priuatus nobiscum iniustè agit tyrannus iste. Adhuc imperiosè loquitur, & iubere audet, & concionando regnat, & quasi è tribunali leges præscribit; duces accusat; statum regni improbat; monarcham creat; & omnia ei prompta ac parata sunt, quæ nec somniator vllus vnquã per quietem sibi falsò donata videre potuit. Nec istuc saltem apud se cogitare potest, non solere pro cõsiliariis agnosci, qui res suas ipsi malè procurauerunt. Quod igitur suasionis suę pignus adeò firmum, & idoneum daturus est? Fortunam ne suam spõsione obstringere nobis veteratoriè meditatus est, volẽs nos vnà secum vinculis oneratos, eorundemq; casuum socios, quanquam innocentes aspicere? Nec enim dum

eius

αὐθ' εὐθύς; οὐ γὰρ τῶν ἐκείνῳ πεπλημμελημένων μετέχομεν τυραννούμενοι. πῶς δὲ κατὰ τυραννίδος γλῶτταν κεκίνηκεν, ὁ μηδένα νόμον Περσῶν καταλιπὼν ἀτυράννητον· ὁ λῃστρικώτερον ἄρξας, καὶ τὴν ἐξουσίαν κιβδηλεύσας τῇ βίᾳ. ἐπομβρήσας δὲ τοῖς φόνοις παρὰ πάντα τὸν τῆς ἡγεμονίας καιρὸν, καὶ μικροῦ δεῖν τὸν Τίγριν ἀποχερσώσας τοῖς σώμασιν, ὁ τοῖς τάφοις εὐθηνίαν πραγματευσάμενος, καὶ τοῖς αἵμασι καταπιαίνων τὴν μάχαιραν, καὶ σπάνιν ἀνθρώπων ἐκπορευόμενος, ἵνα τὴν κακίαν ἐξ ὀλιγανδρίας ὠχυρωμένος, ἀθάνατα τὰ τῆς τυραννίδος ἀποκληρώσηται. παίδων γνώμης ἐκδιαιτητὴς, ὁ μὴ ταῖς ἑαυτοῦ πράξεσι δεδικακὼς τὰ συμφέροντα. ἄπαγε τῆς ἀτοπίας Ὁρμίσδα. οὐ σοφιστεύουσι μετὰ καθαίρεσιν τύραννοι. οὐ νομοθετοῦσι γεγονότες ὑπήκοοι. οὐ συμβουλεύουσι κατακριθέντες τὸν θάνατον. ἐπεὶ τοίνυν τῶν ὑπηκόων οὐ προσέστι σοι τὸ λοιπὸν τυραννεῖν, ἐπήρειαν κατὰ τῶν παίδων ὁ δείλαιος ἐμμελετήσας, ἀδικεῖν τῷ νεωτέρῳ τὸν πρεσβύτερον εἵλου, ἵνα μὴ σχοίη ποτὲ τὰ τῆς σῆς ἀδικίας ἀνάπαυλαν. τὸ τουρκικὸν ὑποφόρους τελεῖ. ἀλλ' οὐ τῆς σῆς ἀγχινοίας ταῦτα πέφυκε μελετήματα· ταῦτα προνοίας ἔργα καὶ θανατῶντες Πέρσαι, ἀρεταί τε στρατηγῶν καλῶς ἐτεκτήναντο. πόλεις, καὶ ἄστεα τὸ Ῥωμαϊκὸν ἀποδύ-

eius tyrannidi ſubeſſemus, paria cum illo delicta conſciuimus. Quomodo autem aduerſus tyrannos linguam mouere nō dubitat, qui nullā Perſarum legem tyrānidis ſuæ expertem reliquit? Qui regnauit vt latro, poteſtatemq; violentia corrupit, ac deprauauit. Qui per omne regni ſui ſpatium cædibus multò creberrimis debacchatus, Tigrin iniectis à ſe iugulatorum corporibus propemodū innauigabilem effecit. Qui ſepulchris omnia replere contendit, gladium ſanguine pinguefaciens, & raritatem hominum importans: vt ex paucitate viuorum quæſito improbitati ſuæ tutamento, tyrānidem exercere immortaliter poſſet. Filiorum indolem menteſque diiudicat, qui, quid ipſe vtiliter agere deberet, iudicare omiſit. Apage Hormiſda cum iſta tam inſolenti nouitate. Non philoſophantur poſt abdicationem tyranni. Non dant leges ipſi redacti ſub leges. Non dant conſilium damnati capitis. Et quia poſthac ciues iniquo imperio diſcruciare non potes, aduerſum filios tuos, miſer, contumelias comminiſceris. In ſeniorem per iuniorem iniurius eſſe voluiſti, ne vnquā à ſcelere vacares. Turcas tributa penſitare fateor; verūm non hic induſtriæ ſollertiæque tuæ labor eſt. Hæc prouidentiæ opera & Perſæ ferro corpora ſternentes, & duces virtute ſua moliti ſunt. Vrbes, & oppida Ro-

σατο, ἀλλ' οὐ πεισθήσονται Πέρσαι, οὐ γὰρ τὰ πράγματα τοῖς λόγοις συνδιατίθενται. ἢ οὐχὶ θυραυλοῦσιν ἡμῶν τὸν πόλεμον παίζοντες, καὶ φιλεπίδημον φόνον καταπλάζοντες, περὶ τὴν περσικὴν ἀναχέονται φάραγγα, καὶ τὸ κωλῦσον οὐκ ἔστι, διὰ τὸ σὸν φιλοπόλεμον; πλήρεις οἱ σοὶ θησαυροὶ τοῦ χρυσοῦ. ἀλλὰ καὶ τῶν ὀδυρμῶν, αἱ πόλεις τε καὶ οἱ θάλαμοι ἀγροί τε, καὶ αὐλῶνες, καὶ γήδια. καὶ μιᾶς συμφορᾶς πᾶσα κεκοινώνηκε τύχη. ἵνα δυστυχεστάτης αὐτὸς εὐδαιμονίας ἐμφορηθείης, ὑπὸ τῶν χρημάτων καταρδευόμενος. ἄπιθι λοιπὸν ἐκποδῶν, τῶν σῶν ἀδικημάτων παρεχόμενος δίκην. ἑνὸς ἀνθρώπου φθορὰ, σωφροσύνης ἔστω διδάσκαλος. καὶ τοῦτο νόμος ἔστω λίαν ἐπιεικὴς τοῖς μετὰ ταῦτα καὶ σωτήριος. οὐ γὰρ ἀλαζονείας τρυφὴν, ἀλλ' ἀνεπονείδιστον οἰκονομίας ὑπεροχὴν ἡ τῆς βασιλείας ἀναγόρευσις ἐπαγγέλλεται.

mani perdiderunt. Atqui vt istuc credant Persæ, serò adducentur: nec enim cum verbis res ipsa cõsentit. An non foris in statiuis permanent, arma nostra irridentes, atque à stragibus hostium in sua prouincia edendis refugientes, castra Persica circumfundũt, quique eos propter diuinum tuum bellandi studium prohibeat, nemo est? thesauri auro pleni sunt tibi: sed & plenæ lamentorum vrbes, thalami, rura, conualles, agelli. Et vt tu pecuniis coaceruatis infœlicissima fœlicitate ingurgitarêre, fortunaque & status omnis vnam & communem calamitatem accipere debuit. Quamobrem te hinc aufer, tuorumq; scelerum pœnas persolue. Vnius hominis interitus cæteros sapere doceat: & hoc in legem posteris æquã valde, & salutarem esto. Siquidem non delicatam arrogantiam & ostentationẽ: sed administrationis omni probro vacantis excellentiam regum declaratio pollicetur.

CAPVT VI.

Conuentus ira percitus in Hormisdam, ante oculos eius filium necat; reginam vxorem infrusta dissecat: ipsum pupillis adustis cæcitate multat. Per digreßionem res Cabadæ interseruntur: quemadmodum scilicet erepto sibi regno in carcerem missus, inde vxoris beneficio euaserit, regnumq́; recuperauerit.

Ὁ μὲν οὖν ξύλλογος κατεκελάδει ὁρμίσδου, ὑβρίζοντες ἐς αὐτὸν, καὶ τῶν λόγων τὴν παῤῥησίαν ἀπεφαυ-

Concilium igitur contra Hormisdam tumultuari: voces ignominiosas iacere: eius sermonis

λίζοντο. ἐτράποντο δ' ἐς τὰ μάλιστα ἐς θυμόν, κυνοφθαλμιζόμενοί τε παρεδριμύττοντο, τοῦ θράσους ἀγάμενοι τὰ φυσήματα. καὶ πολλῇ τῇ ἐκχύσει τοῦ ἐρεθίσματος, ἄγουσιν εἰς μέσον τὸν παῖδα ὁρμίσδου, τὸ μειράκιον ἐκεῖνο τὸ δύστηνον. εἶτα ἀποσφάττουσί τε ὁρῶντος ὁρμίσδου, πάντα τῇ ὀργῇ χαριζόμενοι. ἀτὰρ μὴ μέχρι τούτου τοῖς κακοῖς ὑπόθεσιν παρεχόμενοι, καὶ τοῦ ὁρμίσδου τὸ γύναιον ἐς μέσον παραστησάμενοι, ἀπὸ τῆς κύστεως τεμαχίζουσι, κακῶς δικαζούσης τῆς μαχαίρας τοῖς μέλεσι. τὸ μὲν οὖν γύναιον ἅμα τῷ κατητθλιωμένῳ παιδὶ οὕτω τὸν βίον ἐν ἐπισήμῳ θεάτρῳ καταστρεψάμενον, τραγῳδίας ὑπῆρχεν ὑπόθεσις. ἐπεὶ δὲ τῆς δυστυχοῦς ἱστορίας γέγονεν ὁρμίσδας ἀπαράγραφος μάρτυς, κληροδοτεῖται τὴν τύφλωσιν. καὶ τοῦτό πως ἦν αὐτῷ τῶν συμφορῶν ἐπιμύθιον. περόνας γὰρ σιδηρᾶς ἀνθρακώσαντες, καὶ μάλα καρτερῶς ταύτας συνουσιάσαντες τῷ πυρὶ, ἐπὶ τὰς κόρας τῶν ὀμμάτων ἐπέβαλλον. οὕτω τε τῷ μύδρῳ τὴν ὁρμίσδαν μετὰ βασάνων τιβίζοντες, νύκτα κατ' αὐτοῦ τὸ λοιπὸν διὰ παντὸς ἐψηφίζοντο, ὑποτοπάσαντες, μήπως διαδράσῃ, καὶ πράγματα παράσχοιτο τῇ περσῶν πολιτείᾳ, ἔναυλον τὴν μνήμην κατέχοντες, τῶν ὑπὸ καβάδου πλεσιουργηθέντων, ὁπηνίκα τὰ περσικὰ σκῆπτρα κατέθετο.

nis libertatem flocci pendere ac pro nihilo ducere. Succenduntur ira incredibili, & irreuerenter planè virum intuentes exacerbātur, tam inflatos confidentiæ ſpiritus admirantes. Deinde filium ipſius adoleſcentulum illum ſanè miſerum, certatim capto illudentes, in medium adducunt, & omnimodis furori ſuo gratificantes, in conſpectu patris morte afficiunt, vltraque ſæuitia progreſsi, coniugem producūt, & ab imo ventre in partes haud æquas licet diſſecant. Ita mulier cum miſerando filio in celebri theatro vita cum ſanguine finita, tragœdiæ argumentum præbuit. Hormiſdas poſtquam calamitoſi ſpectaculi teſtis omni exceptione maior factus eſt, vtroq; lumine orbatus, hoc ſuorum caſuum auctarium habuit. Nam acus ferreas in mediam prunam coniectas, & ignitas, pupillis cum cruciamento intruſerunt, nocteque perpetua illum damnauerunt. Timebant enim, ne fortè aufugiens, Perſarum reipub. negotium faceſſeret, cum adhuc alta mente repoſtum maneret, quid Cabades ſceptrum Perſicum deponere coactus perpetraſſet.

Ὁ καβάδης γὰρ οὗτος πατὴρ μὲν ἐγεγόνει χοσρόου τοῦ πάλαι περσῶν βασιλεύσαντος. ἐπεὶ δὲ παλαμναῖος

Cabades namq; hic, Choſroæ olim Perſarum regis pater fuit. Quoniam autem homo ſanguinarius

ὑς ἦν, τήν τε ἐξουσίαν πρὸς βίαν περιεβάλετο, καὶ ἐς τυραννίδα τὰ τῆς βασιλείας μετέβαλε, τῆς ἀρχῆς αὐτὸν παραλύουσι Πέρσαι, ἐν εἱρκτῇ τε ἐναποθέμενοι, τοῖς τῆς ταλαιπωρίας τιθηνεῖσθαι κόλποις παρέδοσαν. τούτου τὸ γύναιον τὰς εἰσόδους παρ᾽ αὐτὸν θαμάτι, καὶ συχνῶς ἐπεποίητο ὁσημέραι. ἐθεράπευέ τε διακονούμενον, καὶ ταῖς εἰσηγήσεσιν ἐψυχαγώγει, ἐμφρόνως φέρειν τῆς ἀπευσίου τύχης τὰ δράματα. ὁ μὲν οὖν ἐφεστηκὼς τοῦ φρουρίου, ὃς ταξιάρχης τε ἦν, καὶ σίφους στρατιωτικοῦ ἐπιστασίαν ἐκέκλητο, τοῦ γυναίου καταπίπλει ἐς ἔρωτα. ὁ οὖν Καβάδης τοῦτο ἀκηκοὼς παρενεγγύα τῇ γυναικὶ, ἐς ταὐτὸν εὐνῆς τῷ φρουράρχῃ γενέσθαι, καὶ φέρειν τῆς τύχης ἅπασαν σπιλάδα προσαπίπλουσαν. οὗ δὴ γεγονότος, ἔκλυτος ἦν ἡ φρουρὰ, τό τε σύντονον τῆς διαφυλακῆς ἐκεχαύνωτο, καὶ δουλαγωγεῖται τῇ ῥαθυμίᾳ τὸ ἄγρυπνον. ἐντεῦθεν ὁ Καβάδης μεταβολὴν τῶν ἐνοχλούντων ἐμπορευσάμενος, καὶ τὴν ἐσθῆτα τοῦ γυναίου ἀμφιασάμενος, τῆς εἱρκτῆς ἐξεχώρησε, καταλείψας τὸ γύναιον τῇ στολῇ αὐτοῦ ἀμπεχόμενον. Σεώσην τοῖς νυν δοκιμώτατον φίλον παραλαβὼν, τοῖς ἔθνεσι τῶν Οὔννων προσομιλεῖ, οὓς Τούρκους πολλαχοῦ που ἡ ἱστορία ἐγνώρισεν. εἶτα ὑπὸ τοῦ βασιλέως τῶν Νεφθαλιτῶν φιλοφρονώτατα ξενισθεὶς, δυνάμεις τε ἀξιολογωτάτους περιβαλόμενος, μάχῃ τῶν ἀντιπάλων κεκρατηκὼς, ἀπολαμβάνει τὸ κράτος, ἀναζεύξας πρὸς τὰ βασίλεια. ὁ μὲν

narius erat, & poteſtatem vi occupârat tyrannicisque moribus regnum deformabat, principatu deiectum Perſæ cuſtodia claudunt, & ærumnæ alumnum donant. Ad quem vxor ſæpius quotidie ventitans, officiosè marito inſeruiebat, & ad triſtis fortunæ ludū ſapienter perferendum admonitionibus ſuis permouebat. Hinc caſtelli, idemq; turmę militaris Præfectus, mulieris amore captus, eam vt ſibi obſequeretur rogauit. Quod vbi Cabades ex ea cognouit, hortatur, vti quamcunque â fortuna labem ne recuſet, & hominis complexum admittat. Re perfecta, & cuſtodia fit ſolutior, langueſcunt excubiæ, & inſomniæ vigiliarū ſocordia dominarur. Itaque Cabades incommodis ſuis mutationem inueniens, veſtem vxoris indutus, illamque ſua viciſsim veſte indutam relinquens, è cuſtodia egreditur, & aſcito Seoſe amico probatiſsimo, ad Hunnos accedit, quos eſſe Turcas multis locis monuimus. Poſt à Nephthalitarum rege beneuolentiſsimê acceptus, copiisque inſtructiſsimis adiutus victis certamine inimicis regnum poſtliminio recepit, & in regiam reuerſus, ex amicitiæ legibus pares gratias retulit, cum eum ſummis honoribus illuſtrauit; de perſecutori-

bus

οὖν Καβάδης ἀντιταλαντεύων σεώσῃ τῷ τῆς φιλίας θεσμῷ τὴν ἀντίδοσιν, ταῖς ὑπεροχαῖς τῶν ἀρχῶν τοῦτον ἐλάμπρυνε. δίκας ὑπὸ τῶν ἠδικηκότων ὠμότατα εἰσπραξάμενος. ταῦτα γοῦν ταῦτα οἱ τῶν Περσῶν σατράπαι διανοούμενοι, ἐκκορακίζουσι τὸν Ὁρμίσδαν.

bus quoque pœnas crudelisſimè ſumpſit. Hoc igitur, hoc, inquã, Perſarum Satrapæ formidantes, Hormiſdam oculis priuandum cenſuerunt.

CAPVT VII.

Choſroes in ſolio cum acclamationibus locatur. Eius in patre captiuo alendo liberalitas; qui tamen omnia, addita verborum aſperitate reiicit. Iuſſu filij vſque ad necem fuſtibus contunditur. Hypocriſis Choſroæ. Varamum donis & pollicitationibus fruſtra tentat, à quo per epiſtolam cum faſtu ſcriptam de ſeditioſis in carcerem reuocandis monetur.

Ὅτε γοῦν τῷ ξυλλόγῳ ἅπαντα τὰ πρὸς ὀργὴν ἐπεπέραστο, ἀνάγεται Χοσρόης ἐπὶ τὸν βασίλειον θρόνον τῇ τε ἁψίδι τῇ χρυσῇ παρεστὼς, ὡς ἔθος Πέρσαις ἀναγορεύεσθαι· προσεκυνεῖτο βασιλικώτατα. καὶ ταῖς εὐφημίαις τὰ ὦτα περιεκλύζετο. ὁ μὲν οὖν ἄχρι τινὸς τὸν πατέρα περὶ τὴν φρουρὰν ἐφιλοφρονεῖτο παρηγορούμενος, τῆς τε βασιλικῆς ἑστιάσεως μέτοχον ἐπεποίητο, πέμπων ὡς αὐτὸν ἐν λεκανίσι χρυσαῖς μυττωτοὺς, καὶ κῶλα θήρας βασιλικῆς, βουβαλίδων τε καὶ δορκάδων, καὶ ὄνων ἀγρίων τῶν μελῶν τὰ ἐπίσημα, ἀνθοσμίας τε οἴνους, καὶ ποικίλων πεμμάτων κατασκευάς. ἄρτους τε εὖ πεπεμμένους, καὶ γάλα, καὶ λάχανα, καὶ ὁπόσα ἄλλα γαστριζομένοις τυράννοις δορυφορεῖται, ἐς τραπέζης πανήγυριν. Ὁ δ᾽ Ὁρμίσδας ἀ-

POſtquam conuentus per omnia iram ſuam expleuit, Choſroes in thronum regium extollitur, ſtansque ſub fornice aureo (vt apud Perſas more receptum eſt, cum reges proclamantur) adoratur regaliſsimè, & omnium aures fauſta acclamantium vocibus circumſonant. Hic aliquandiu patrẽ in carcere ſolatiis mulcet amãter, & regio victu ſuſtentat, mittens ad eum intrita in patinis aureis, ac de venatione regia, bubulorumq́;, caprearum, & agreſtium aſinorũ partes præcipuas; vina itẽ odorata, & propinamenta variorum generum. Panes præterea exquiſitè coctos, lac, olera, & quæcunque demum alia regibus ventri, & abdomini deditis ad menſam panegyricam ſubſeruiũt. Cæterùm Hormiſdas

 ſtudium

ἀπεδοκίμαζε τὸ τοῦ βασιλέως φιλότιμον, καὶ λίαν κενταυρικῶς ἐλοιδορεῖτο τοῖς διακονουμένοις αὐτῷ. ἐβδελύττετο γὰρ εἰκότως οἰκτιρμὸν ἐπονείδιστον, ἀποπομπούμενος ὕβριν, ὑποκεκριμένην εὐσέβειαν. τοῦτό τοι καὶ ἀποτεματίζει τῷ ὁρμίσδᾳ τὸν θάνατον. τυμπάνοις γὰρ κατὰ τῶν λαγόνων παιόμενος, καὶ ῥοπάλοις τοὺς ἐν τῷ τραχήλῳ σφονδύλους συνθλώμενος, καταλύει τὸν βίον πικρότατα. ὁ δὲ χοσρόης τηλικούτῳ μύσει τὰ τῆς βασιλείας βεβηλώσας προαύλια, ἐπιβατήρια τοῦ κράτους ἐπανηγύριζε. χρυσῷ τε πολλῷ ἐφιλοτιμεῖτο τοὺς ἐπιφανεστάτους τῆς περσῶν βασιλείας, τῆς τε φρουρᾶς ὑπεξῆγε τὰ πλήθη, κατειρωνευόμενος ἐντεῦθεν, οὐκ ἔσεσθαι τῆς πατρῴας ἀπανθρωπίας διάδοχος. ἕκτη δ' ἡμέρα, καὶ δι' ἐπιστολέως μεταπέμπεται βαρὰμ γενέσθαι ὡς αὐτὸν, καὶ δώροις βασιλικοῖς μέγα τιμίοις ἐπιθάζε τοῦτον καταθέσθαι τὸ τύραννον. ὑπισχνεῖτο δὲ καὶ τὴν δευτέραν τοῦ κράτους ἀπονεῖμαι ἀξίαν αὐτῷ, τοῖς τε προημαρτημένοις διαλύσασθαι. ἐνέχυρόν τε τῆς ὁμολογίας ὅρκον μεσίτην παρέχεσθαι. ὁ δὲ βαρὰμ ταῖς βασιλικαῖς ἐντυχηκὼς συλλαβαῖς, τοῖς τε τοῦ χοσρόου ἠμείψατο γράμμασιν. ἤδη γὰρ παραθήσομαι καὶ αὐτὴν τὴν τοῦ βαράμου ἐπὶ λέξεως σύμφρασιν.

ſtudium regis erga ſe contemnens, vt centaurus aliquis (id eſt, ferum & agreſtē in modum) quæ ſibi miniſtrabantur vituperabat. Nō immeritò autem miſericordiam illaudabilem auerſabatur, & ſimulatam pietatem, vt apertā iniuriam excludebat: id quod etiam exitium ei peperit. Fuſtibus enim in ilia impactis, & collo ictibus clauarum confracto, acerbiſsimè vitā exuit. Choſroes cum tā inexpiabili ſcelere primordia regni ſui contaminaſſet, pro adepto imperio lætitiam publicā inſtituebat: & in Perſarum nobiliſsimos quoſq; largitiones auri prodigè faciebat: cateruas è carcere dimittebat, quò à paterna crudelitate longius abſuturus crederetur. Die ſexto per epiſtolam accitur Varamus, doniſq; pro magnificentia regia ad tyrannidem abiiciendā inuitatur. Proximi item ab rege honores in regno, admiſſorum condonatio, pactiq; huius quoddam pignus, nempe iuſiurandum interceſſurum, promittuntur. Varamus lecta regis epiſtola, hunc in modū reſcribit, ad verbum.

Βαρὰμ φίλος τοῖς θεοῖς. νυκητής. ἐπιφανής. τυράννων ἐχθρός. σατράπης μεγιστάνων. τῆς περσικῆς ἄρχων

Varamus deorum amicus. victor inſignis. tyrānorum inimicus. Satrapa Megiſtanū ſiue pro-

δυνάμεως. ἔμφρων. ἡγεμονικός. δεισιδαίμων. ἀνεπονείδιστος. εὐγενής. εὐτυχής. εὐεπήβολος. αἰδέσιμος. οἰκονομικός. προνοητικός. πρᾶος. φιλάνθρωπος. Χοσρόῃ τῷ παιδὶ ὁρμίσδου.

procerum. Persicarum copiarũ Imperator. sapiens princeps. religiosus. inculpabilis. nobilis. beatus. voti compos. venerandus. œconomicus. prouidus. mitis. humanus. Chosroæ Hormisdæ filio.

Τὰ γραφέντα παρὰ τῆς ἐλλειποῦς ὑμῶν καὶ μικροτάτης συνέσεως, ἐδεξάμην. καὶ τὰ σταλέντα παρὰ τῆς σῆς τολμηρᾶς ἐγχειρήσεως οὐκ ἀπεδεξάμην. ἔδει γὰρ μήτε γράμμασι, μήτε δωρήμασι βασιλικοῖς χρήσασθαι ὑμᾶς πρὸς ἡμᾶς. καὶ μάλιστα οὕτως ἀτάκτου τῆς χειροτονίας περιελθούσης, κατὰ τὴν περσικὴν πολιτείαν. καὶ μήτε τῶν εὐγενῶν, καὶ ἀξιολόγων συμψήφων γινομένων τοῖς ἀτακτοτέροις, καὶ δυσγενεστέροις ἀνθρώποις. ἵνα μὴ οὖν τοῖς πατρῴοις ἐπιπέσῃς κινδύνοις, τὸ μὲν διάδημα ἐν ἱεροῖς ἀποθέμενος τόποις, τῶν βασιλικῶν τόπων ὑπέξελθε. τοὺς δ' ἐπὶ πταίσμασιν ἑαλωκότας, ἐν εἱρκτῇ αὖθις ἀποθέσθαι, τοὺς τὰ ὅμοιά σοι τετολμηκότας, ἀναγκαῖον. οὐδὲ γὰρ μετὰ τῆς σῆς δυνάμεως ἴδιον, ἀνεξετάστως τοὺς κακούργους ἀνθρώπους παραλῦσαι, τῆς πρεπούσης αὐτοῖς παρὰ τῶν νόμων ἐπεξελεύσεως. ταῦτα δὲ ποιήσας, ἐλθὲ πρὸς ἡμᾶς, καὶ κλιματάρχης τῆς περσικῆς πολιτείας παραυτίκα γενήσῃ. ἔρρωσο, φρονῶν τὰ συμφέροντα. εἰ δὲ μή, προγονικῶς διαφθαρήσῃ.

Quæ ab imperfectione, paruissimaq; prudētia tua mihi scripta sunt, recepi: munera confidenter abs te missa, repudiaui. Nam neque literas, neq; dona regalia ad nos mittere conueniebat: cum præsertim te rege creando tanta sit in rempublicam Persarum inuecta perturbatio, & neque nobiles, neq; alicuius pretij homines cum turbulentis illis, ac plebeis societatem coiuerint. Ne igitur paterna te calamitas excipiat, deposito in sacris locis diademate, regia excede. Qui porrò deliquisse conuicti sunt, qui, inquam, paria tuis sceleribus ausi sunt, eos de integro in carcerem trudi oportet. Non enim potestatis tuæ est, homines maleficos citra discrimen legum pœnis eximere. Hæc vbi feceris, te ad nos confer, & statim Climatarcha Persidis (*hoc est, tractus alicuius terrarũ, seu regionis Præfectus*) creabere. Vale, & conducibilia fac cogites. Sin minꝰ, cũ patre tuo malè peri.

CAPVT VIII.

Rex ad procerum consessum de literis Varami refert. Ad iram ab iisdem extimulatur. Eiusdem cautio. Literæ Chosroæ ad Varamum, quibus fastum eius excusat, culpam in scribam facetè transfert; negat se facturum quæ postulet: spiritus regios ostendit.

Τοῦ δὲ γραμματοφόρου συντόνῳ κινήσει τινὶ θᾶττον παραγεγονότως εἰς τὰ βασίλεια, καὶ τὸ πυκτίον τῶν ὑπὸ Βαράμου συγγεγραμμένων τῷ βασιλεῖ παρακομισαμένου, τῇ ἐπαύριον ἅπαντας εἰσκαλεσάμενος ὁ τοῦ περσικοῦ βασιλεύς, εἰς ἐπήκοον τῶν συνεληλυθότων παρεγύμνου τὰ ὑπὸ Βαρὰμ σοβαρῶς γεγραμμένα. οἱ δὲ σατράπαι καὶ οἱ ἄλλοι ταῖς τῶν ἀξιωμάτων τύχαις καταλαμπόμενοι, ἐδεινοπάθουν ἐπὶ τοῖς ἐκτόπως τετολμημένοις τῷ Βαρὰμ, τὸν δὲ βασιλέα πρὸς ὀργὴν ἐξεβάκχευον, κοινὸν τῆς περσίδος τύραννον ἐς τὸ φανερὸν ἐκεῖνον αὐτὸν τὸν Βαρὰμ γράφοντες. ὁ δὲ βασιλεὺς ὁ Βαβυλώνιος δεδιὼς, μὴ ταῖς ἀπειλαῖς τῶν λόγων ἐκτραχύνῃ τὸν τύραννον πρὸς τὸ ἀπειθέστερον, κρύπτει μὲν παρ' ἑαυτῷ τὸ δοκοῦν, καὶ ὥσπερ ὑπὸ παραπετάσματι τῷ ἐπιπλάστῳ τῆς κολακείας τὴν τοῦ Βαρὰμ ὑποκλέπτων δευτέραις ἀξίωσιν καθυφεῖναι τοῦ ὄγκου τὸν αὐτῷ πράττοντα, τάδε πως ἐν βιβλίῳ ἐγχαράξας αὐτῷ. οἶμαι δ' οὐκ ἀναξιόλογον καὶ αὐτὴν τὴν συνθήκην προθεῖναι τῆς λέξεως, ἵνα τῷ ἀμεταμόρφῳ τῆς τῶν πραγμάτων ἐκθέσεως, ἀδόλωτα τὰ τῆς ἀληθείας ἀρύσοιντο, οἱ ξένων καὶ ἀκορέστων ἀφηγημάτων κατρεγόμενοι.

CVM tabellarius magnis itineribus celeriter in regia affuisset, tabellasque à Varamo conscriptas regi tradidisset, die postero conuocatis ad vnum optimatibus, magistratuumque honore illustribus, ad se à Varamo superbè scripta commemorat. Illi inusitatā viri audaciam grauiter, & iniquo animo ferunt, regique faces irarum subiiciunt. Varamum communem Persidis tyrānum esse palam decernunt. Rex metuens, ne verborum minis tyrannum exasperatum, ad officium præfractiorem redderet, sententiam suam occultam habet, & ficto velatoque blandimento eum captans, vt ad secundam saltem petitionem de arrogantia remitteret, hunc ei libellum scribit: quem ad verbum apponere, non alienum fore opinor: quò expositione rerum nihil variata, veritatem puram ac liquidam hauriant, qui nouarū narrationum delectatione satiari non possunt.

Chos-

Χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων. δυναστευόντων δεσπότης. κύριος ἐθνῶν. εἰρηνάρχης. τοῖς ἀνθρώποις σωτήριος. ἐν θεοῖς μὲν ἄνθρωπος ἀγαθὸς καὶ αἰώνιος, ἐν δὲ τοῖς ἀνθρώποις θεὸς ἐπιφανέστατος. ὑπερένδοξος. νικητής. ἡλίῳ συνανατέλλων, καὶ τῇ νυκτὶ χαριζόμενος ὄμματα. ἐκ προγόνων ἐπίσημος. βασιλεὺς μισοπόλεμος. χαριστικός. ὁ τοὺς ἄσωνας μισθούμενος. καὶ τὴν βασιλείαν πέρσαις διαφυλάττων. βαρὰμ στρατηγῷ περσῶν, ἡμετέρῳ δὲ φίλῳ.

Choſroes rex regum. Dominantium dominus. Gentium dominus. Princeps pacis. hominum ſalus. Inter Deos quidem homo bonus & æternus. Inter homines autem Deus illuſtriſſimus. Victor longè glorioſiſſimus. Cū ſole exoriens. Nocti oculos (*ſtellas*) largiens. A maioribus nobilis. Rex belli oſor. Benè merēs de omnibus. Aſonas mercede conducens. Et regnum Perſis cuſtodiens. Varamo Perſarum duci. Amico noſtro.

Ὑπομνηστικὸν τῆς πολυθρυλλήτου ὑμῶν ἀνδρείας ἐδεξάμεθα, καὶ γνόντες ὅτι ὑγιαίνετε, ἐχαροποιήθημεν. τίνα δ' ἐν τῇ ἐπιστολῇ ῥήματα παρετέθησαν, ἃ ἐκ τῆς σῆς οὐκ ἐγεννήθησαν καρδίας· ἀλλ' ἴσως ὁ τοῦ γράμματος ὑπουργὸς οἴνῳ πολλῷ μεθυσθεὶς, καὶ ὕπνῳ ἀμέτρῳ περιβληθεὶς, μάταια καὶ ἀλλόκοτα ἐνύπνια συνεγράψατο. ἀλλ' ἐπειδὴ

Schedam multorum ſermonibus prædicatæ fortitudinis veſtræ ſuſcepimus, intellectoque vos benè valere, gauiſi ſumus. Reperiebātur autem verba quædam intexta epiſtolæ, quę ab animo tuo haud profluxerunt: ſed fortaſſe amanuenſis probè appotus, altoque ſomno demerſus, vana & monſtroſa ſomnia ſua litteris exarauit. Quoniam verò

» τὰ δένδρα ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις
» τὰ ἱμάτια ἀπεδύσαντο, καὶ οὐκ ἰσχύ-
» ουσι τὰ ἐνύπνια, διὰ τοῦτο οὐκ ἐτα-
» ράχθημεν. ἡμεῖς δὲ καὶ τὸν βασί-
» λειον θρόνον καλῶς ἀπελάβομεν, καὶ
» τὰ νόμιμα πέρσαις, οὐκ ἀνετρέψαμ-
» μεν, τοὺς δ' ἐκ φυλακῆς διασω-
» θέντας, πάλιν φυλακῇ οὐκ ἐπιθῶ-
» μεν. οὐ γὰρ πρέπει βασιλέως δωρεὰν
» χηρεύειν δυνάμεως. τὸ μὲν οὖν διά-
» δημα ἐπὶ τοσοῦτον τεθαρρήκαμεν μὴ
» ἀποτίθεσθαι, ὡς ἐλπίζειν ἡμᾶς καὶ εἴ-
» περ ἄλλοι εἰσὶ κόσμοι, κἀκείνων βα-
» σιλεύειν. ἐρχόμεθα δὲ πρὸς σὲ βα-
» σιλικώτερον, ἢ λόγοις πείσοντες, ἢ
» τοῖς ὅπλοις καθυποτάξαντες. ἐὰν θέ-
» λῃς εὖ ἔχειν, φρόνει τὰ δέοντα. ὑγίαινε, ἐσόμενος ἡμῶν ἄριστος σύμμα-
» χος.

diebus istis arbores suas vestes (frondes) deposuerunt, & somnia non valent, ideo res nihil nos perturbauit, qui in sedem regiam honestè successimus: & Persarum iura non euertimus; & custodia liberatos, iterum non includemus: debent enim regis dona vim, & robur obtinere. Diadema deniq; adeò non depositurus confidimus, vt potius, si adhuc alij mundi extant, eorum nos fore reges confidamus. Veniemus autem ad te regaliter; vt aut verbis tibi persuadeamus; aut armis te subigamus. Si benè vis habere, recta sape. Vale, futurus socius noster optimus.

CAPVT IX.

Chosroes contra Varamum delectus agit, duces præponit. Copiæ fluuio separantur. Frustra collocuti, ad velitationes veniunt. Chosroæ timiditas. Varami fidentia. Chosroes suspectos interficit. Noctu inuaditur. Multa cædes editur. Multi ad Varamum deficiunt. Etiam ipse Chosroes fugam init.

Ὅτε γοῦν ταῦτα ἐπεπόμφει ὁ βασιλεὺς τῶν μήδων τῷ τυράννῳ Βαράμ, αἱ δυνάμεις πάντοθεν ἠρανίζοντο. συλλέγεταί τε τὸ ὁπλιτικὸν τό τε περὶ τῶν ἀδραβιγάνων, τούς τε ἐπικαθημένους τοῖς μέρεσι τοῦ ζάβα ποταμοῦ. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀνὰ τὴν νίσιβιν στρατοπεδευομένους ἀνελέξατο ὡς τάχος. καὶ δῆτα ὁπηνίκα τὰς ἐπισωρευθείσας αὐτῷ δυνάμεις εἰς ἕνα ἐπεσίχοισε χῶρον, χρήμασι φιλο-

HAc epistola ad tyrãnum delata, copiæ vndiq; corrogantur, & miles ex Adrabiganis, & ex accolis Zabæ fluminis cõscribitur. Ad Nisibim quoq; castrametati, sine mora aggregantur. Ergo postquã contractas à se copias vnum in locum cõduxit, distributo benignè cõgiario duces præficit. Saranem cornu dexte-

rius,

φρονησάμενος, ταῦτ' δὲ ἡγεμόνας περιΐστησι· τὸν μὲν σαράνην τοῦ δεξιοῦ ἐπιστατεῖν παρακελευσάμενος κέρως· ζαμένδην δὲ τοῦ εὐωνύμου κλίτους προστάττει ἡγήσασθαι· τὸν δὲ βινδόην τὴν μέσην περιβάλλεσθαι φάλαγγα, τῶν τε ὀπισθοφυλάκων ἀντέχεσθαι παρεκελεύετο. ἀπάρας τοίνυν ἐκ τῶν βασιλείων ὁ περσῶν βασιλεὺς, προσομιλεῖ πεδίῳ τινὶ, ἐν ᾧ ποταμὸς περιεπέχυτο, ἑκατέρας δυνάμεως διαῤῥέων μεσαίτατος. ἐπὶ τῶν ὄχθων τοίνυν τοῦ ποταμοῦ ἑκατέρας στρατιᾶς ποιησαμένης τὴν σύστασιν, καὶ πολλῶν λόγων ἀπό τε χοσρόου καὶ βαρὰμ διαπορθμευομένων, ἀπὸ πρώτης ἕω μέχρις ἑσπέρας, ἐπιστολῆς καὶ τῆς διαλέξεως εἰς ἀέρα χεθείσης, καὶ μηδαμῆ μηδαμῶς εἰρηναίων λήξεως κληρωσαμένης ἀποπεράτωσιν, ὁ πόλεμος ἐκαττύετο, ἥ τε μάχη ἐκυοφόρει μεγάλων κακῶν ἐπιφοίτησιν. τοίνυν ἐκδρομαί τε ἤδη ἐγίνοντο, ἀκροβολισμοί τε. καὶ ταῦτα δὴ ταῦτα τὰ τῆς παρατάξεως προπύλαια φιλοπόλεμα. ὁ μὲν οὖν βαράμης, τάφρον περιέβαλετο. τά τε ἄλλα τὰ εἰς ἀσφάλειαν τῆς μαχίμου δυνάμεως ἐπεκτήνετο. ὁ δὲ χοσρόης οὐ θαῤῥῶν χάρακα ἐν πεδίῳ περιστοιχώσασθαι, ἡμέρας μὲν διαπλούσης πολεμησείων, ὥσπερ πως ὑπεφαίνετο· νυκτὸς δ' ἐπιούσης, εἴσω τῆς πόλεως τὰς δυνάμεις περιεφρούρει συγκλείσας. ἐντεῦθεν οὐκ εἰς ὀλίγην καταπεπλώκει ἀθυμίαν τὰ περὶ τὸν χοσρόην στρατεύματα. ὁ δὲ βαρὰμ, ὅτε κατάδηλος ἡ τῆς ἀντιθέτου δυνάμεως γέγονέ πως δειλία, ἐθάῤῥησε λοιπὸν μὴ κλέψαι τὸν πόλεμον. οὓς γὰρ ἐνῆν βιάσασθαι ἐς τὸ φανερὸν, τούτους οὐκ ἐδοκίμαζε τὴν ἀπάτην καταγιάσασθαι, καὶ

rius, Zamēden sinisterius curare iubet; Bindoi medios, & triarios committit; profectusque è regia, in planitiem quandam venit, quam fluuius interlabens, vtrumque exercitum diuidebat. Super ripas igitur vtrisque constitutis, ac multis sermonibus vltro citroque à principio diei vsque in vesperum habitis, mandatisque & colloquiis in ventum effusis, & nulla ex parte vllo modo pace composita, prælium capessitur, & pugna ingentia mala parturit. Excursiones fiebant, & missilibus res prætentabatur: quæ solent esse certaminum militarium præludia. Varamus vallum circundat, & alia ad suos tutandos molitur. Chosroes exercitum vallo cingere in campo non audens, die quidem toto bellaturire videbatur; aduentante autem nocte copias in vrbe securitatis ergo claudebat. Ex quo milites ponebant animos. Varamus ex hostium timiditate factus animosior, de cætero tectius agendum non putauit. Quos enim vi aperta liceret deuincere, ab iis fraudem sibi ob-

iectari,

θολὸν τοῖς θριάμβοις διὰ τὸν δόλον παρέχεσθαι. ὁ δὲ Χοσρόης ὑπολαβών τινας συνδιατίθεσθαι τοῖς ὑπὸ τοῦ τυράννου διεγχειρουμένοις, φόνῳ διεχρήσατο τούτους. δευτέρᾳ δ' ἡμέρᾳ τὰς περὶ αὐτὸν δυνάμεις καταβεβλημένας τὰς ψυχὰς ἑωράκει. διά τοι τοῦτο πρὸς ἀπόδρασιν εἶδε. τήν τε ἀποφυγὴν τοῖς ἀμφ' αὐτὸν γυναίοις προκατειργάζετο. οὕτω δὴ τῶν πραγμάτων διακειμένων, ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ ὁ Βαρὰμ οὐκ ἐθέλοντος Χοσρόου πρὸς παράταξιν ἀπαντῆσαι, νυκτομαχίαν ἐν σκοτομήνῃ συνίστησιν. ἐπιπίπτει τε τοῖς περὶ τὸν Χοσρόην στρατεύμασι. φοβερᾶς τοιγαροῦν οὔσης τῆς καταπλήξεως, μεγάλου τε θορύβου ἐξαπιναίως φοιτήσαντος, τῆς τε θραύσεως πρῶτα τοῖς νωτοφόροις ζώοις ἐπιφερομένης ὑπὸ τῶν πολεμίων, εἶτα καὶ πρὸς τοὺς συμμάχους Χοσρόου μεταβεβηκότος τοῦ φόνου, πολλῶν τε ἀναιρεθέντων, μετατίθεται τὴν γνώμην τὸ μάχιμον, αὐτομολεῖ τε πρὸς τὸν Βαρὰμ, καὶ ταῖς ἀμφ' αὐτὸν δυνάμεσιν ἀναμίγνυται. ὁ μὲν οὖν Χοσρόης, τὴν ἀκρώρειαν τῶν δυστυχημάτων φέρειν οὐκ ἔχων, ἢ ποδῶν εἶχε δυνάμεως, διαδιδράσκει τὸν μέγαν τοῦτον, καὶ παραδοξότατον κίνδυνον, μετά τινων εὐαριθμήτων ὑπασπιστῶν.

iectari, ac triumphis suis propter dolum adhibitum maculam aspergi, probare non poterat. Chosroes ratus quosdam è suis tyranno fauere, eos vita priuat. Die sequenti copias suas desperatas animaduertens, præmissis vxoribus ad fugam spectat. Rebus sic affectis, luce septima Varamus Chosroe conflictum detrectãte, nocturnis tenebris impressionem facere instituit. Stupore igitur horribili, ac trepidatione desubitò ingruente, primumque iumentis onerariis occisis, deinde ad milites ipsos progressa cæde, nec paucis interfectis, reliqui mutata mente cum Varamo sese coniungunt. Chosroes huic grauissimæ cladi perferendæ impar, summa vsus celeritate, cum paucis quibusdam satellitibus, magnum, & inexspectatissimum discrimen effugit.

CAPVT

CAPVT X.

Consultat Chosroes, quò se vertat: Christianorum Deum inuocat: fræno dimisso, equi gressum sequitur: Circesij à Probo humaniter accipitur: Comentiolo duci eius aduentus, & quid ab Imp. petat significatur. Mittitur cum epistola nuntius ad Mauricium, quem ingens inde lætitia occupat.

Καὶ οὕτω τῆς βασιλείας ἐκπεπτωκώς, τὴν κτησιφῶντά τε καταλιπών, καὶ τὸν Τίγριν διανηξάμενος ποταμόν, διηπορεῖτο ὅτι καὶ δράσειε· τῶν μὲν πρὸς τὸ σκυθικὸν τὸ ἑῷον (οὓς τούρκους λέγειν εἰώθαμεν) γενέσθαι εἰσηγουμένων αὐτῷ· τῶν δ' ἐν τοῖς καυκασίοις, ἢ ἀτραπιτοῖς διασώζεσθαι ὄρεσιν. οὕτω μὲν οὖν ἠμηχάνει ἐκεῖνος ἐπὶ τῇ βασάνῳ τῶν παραινέσεων. τοιγαροῦν κομιδῇ ἐπιεικῶς ἀνατίθησι τῷ ἐπὶ πάντων θεῷ τὰς ἡνίας τῆς ἀποδράσεως. εἴς τε τὸν οὐρανὸν ἀποβλέψας, καὶ τοῦ δημιουργοῦ εἰς ἔννοιαν γεγονώς, ἀγνωμονῶν τε τοὺς ἐπιπλάστους θεούς, τῷ τε μίθρᾳ μηδέν τι τῆς ἐλπίδος προσενεγκάμενος, εἰκότως ἠμαύρωσε τὸ τῶν κινδύνων ὀξύρροπον, καὶ τὴν πίστιν μεταβαλλόμενος, μεταβάλλει καὶ τὴν τύχην πρὸς δεξιότητα. τῷ μὲν οὖν χαλινῷ χαίρειν εἰπών, τάς τε εὐθετιζομένας ἡνίας παρακρουσάμενος, ἠξίου ὑπὸ τῆς ἵππου ἰθύνεσθαι, τόν τε ἐπιβάτην ὑπὸ τοῦ ἐποχοῦντος κυβερνᾶσθαι πρὸς τὰ συμφέροντα, θεῷ, καὶ ἵππῳ τὰς κρίσεις πεπιστευκὼς τῶν ἐκβάσεων. οὕτω γὰρ εὐδόκησεν ὁ καιρός, μεγάλην ἀποσχεδιάσαι τῷ κόσμῳ πραγμάτων ὑπόθεσιν. ἡ μὲν οὖν

CVm sic regno excidisset, Ctesiphonté reliquisset, Tigrimque traiecisset, pendebat animi quò se verteret; consulentibus aliis, vti ad Scythas orientales (quos Turcas nominare solemus) proficisceretur: aliis, vt Caucaseis, aut inuiis montibus salutem suam mandaret. Sic ille, rationum momenta examinans, perplexus hærebat. Itaque supremo omnium Deo æquissimè arbitrium fugæ suæ permittit, sublatisque in cœlum oculis, & opificis vniuersorum recordatus, deosque commentitios abominatus, ac de Mithra (sole) omni spe abiecta, meritò impendens capiti suo periculum amolitus est, & cum religione fortunam quoque feliciter mutauit. Itaque dimissis habenis scitè compositis, equi gressum vltroneum sequi, atque ab eo ipse rector, Deo, & animanti commisso euentus iudicio, ad vtilitatem suam dirigi voluit. Sic enim visum est tempori, magnũ ex tempore mundo præbere admirationis argumentum. Equus igitur ille regius sessorem suum fugitiuum per solitudinẽ, & iuxta

ἵππος ἐκείνη ἡ βασίλειος ἦγε τὸν ἐπιβάτην φυγάδα ἀνὰ τὸν ἔρημον. ταύτην δὲ διανύσας, καὶ τὸν εὐφράτην ποταμὸν παραμείψας, τῶν ἀβορέων καὶ ἀνόθων πλησιάζει φρουρίοις. ταῦτα δ' ὑπὸ τὸ περσικὸν ἐφορολογεῖτο πολίτευμα· ἀπάρας δ' ἐντεῦθεν χοσρόης, ἀφικνεῖται ἐπὶ τὰ κιρκησίου ἐχόμενα πόλεως. δέκα δὲ σημείοις ἀγραυλιζόμενος, ἀπεκπέμπει ἀγγέλους εἰς τὸ κιρκήσιον, παραδηλῶν τὴν ἄφιξιν, καὶ τὰς νεωτέρας τύχας, καὶ τὴν ἐς τὸν καίσαρα καταφυγήν. τήν τε ἐς τὰ οἴκοι κάθοδον ἐξαιτούμενος, ἠξίου συμμαχικὸν ἀπὸ Ρωμαίων ἀποίσεσθαι. τρίτη γοῦν φυλακῇ τῆς νυκτὸς, καὶ οἱ ἄγγελοι πρὸς ταῖς πύλαις ἐχώρησαν. ἐπεὶ δὲ τοῖς πυλωροῖς τὰ τοῦ τείχους διεξοδευόμενα ὑπὸ τῶν πρέσβεων διεγνωρίζετο, ὑπὸ τὸν ἡγεμόνα θᾶττον τῆς πόλεως οἱ τὴν φρουρὰν τῶν πυλῶν ἐγχειρισθέντες προῄεσαν, τῷ τε ἡγεμόνι μετὰ συντόνου σπουδῆς τὴν περιπέτειαν ἀνετίθεσαν. τῷ δὲ φρουράρχῃ ἦν ἄρα πρόβος ὄνομα. ὁ μὲν οὖν πρόβος ἐξ ἑωθινοῦ τὸν χοσρόην πρὸς τὸ ἄστυ εἰσάγει. δεξιότητι δὲ καὶ φιλοφροσύνῃ τοῦτον ἐξένιζε, τὰ δὲ τούτου γύναια, παῖδας ὑπομαζίους περιαγόμενα, λίαν εἰς τὰ μάλιστα φιλανθρωπίας ἠξίου. σὺν τε ὑπασπισταῖς, καὶ περιπόλους, τριάκοντα δ' ἄρα τῷ χοσρόῃ ὑπῆρχον, οὓς ἐποίει κάρτα ἐπιεικῶς. δευτέρᾳ δ' ἡμέρᾳ καὶ χοσρόης, ὁ τῶν περσῶν βασιλεὺς, ἐξήτει τὸν πρόβον διὰ γράμματος πρεσβεύειν παρὰ τὸν καίσαρα καὶ ἐγχαράξας βασιλείους καιρέας, διὰ πρόβου τῷ αὐτοκράτορι ἔστελλε. τῇ δ' ὑστεραίᾳ κομεντιόλῳ τῷ στρατηγῷ

Euphraten ad Aboreorũ, & Anathorum castella, Persis tributaria perducit. Inde discedens in fines Circesiorũ defertur, & adhuc ad decimum lapidem distans, nuntium in vrbẽ super aduentu suo, recentiq; calamitate ac deliberato ad Cæsarẽ perfugio mittit: cuius adiutus auxiliis redire domum desideret. Tertia noctis vigilia nuntij ad portas affuerunt; qui vt custodibus de ingressu significarunt, illi continuò ad vrbis ac præsidij Præfectum accedunt; de conuersione rerum certiorem faciunt. Probus (hoc Præfecto nomen erat) Chosroen mane in vrbem introducit, eum vrbanè, & humaniter tractat, eiusque mulieres, quæ lactentes adhuc infantes gestabant, satellites quoq; & custodes (quorum triginta numerabantur) habet benignissimè. Die sequẽti Probum Chosroes orat, vt per eũ litteras ad Cæsarem mittere sibi liceat. Annuit, epistolamq; regis transmittendam suscipit. Posterò die Comentiolo duci, Hierapoli degenti, Chosroen ad se venisse scribit, & epistolam, quam ille Imperatori supplicem conscripserat, adiungit. His sibi à Probo significatis, Comentiolus vni de curso-

κατὰ τὴν ἱερὰν πόλιν ἐνδιατρίβοντι, καταδήλην τὴν χοσρόου ἐνδημίαν ὁ πέρσης πεποίηται· πέμψας ὡς αὐτὸν καὶ τὰ παρὰ χοσρόου ἐν ἀξιώσει γεγραμμένα τῷ καίσαρι. ὁ δὲ κομεντίολος τῶν ὑπὸ τοῦ πέρσου διαγνωσθέντων αὐτῷ, κατὰ τὴν ἱερὰν πόλιν τοῖς ταχυδρομοῦσιν ἄγγελον παρεδίδου ἥξοντα ἐς βασιλέα. ὁ δ' αὐτοκράτωρ μαυρίκιος τούτων ἀκηκοὼς, περιγάνυται, καὶ ταῖς κρείττοσιν ἐλπίσι κατάκομος ἦν. τά τε σήμαντρα τὰ περσικὰ περιελόμενος, ὅτι ἂν καὶ ταῖς δέλτοις ἐνεκεχάρακτο, διερευνᾶτο ἀνελέξατό τε καὶ ἀναγνῶναι· ἡ δὲ τῆς ἀξιώσεως τοῦ τῶν περσῶν βασιλέως ἐν τούτοις που συνετέτακτο, ἐπὶ λέξεως γὰρ παραθήσω τὴν πρέσβευσιν, ἀκαλλώπιστον φράσεως, ὅπως τῇ ἀμαθίᾳ τῆς λέξεως τὸν νοῦν τῆς ἀξιώσεος ἀνεπίπλαστον ἐνοπτρισώμεθα.

ribus Hierapolitanis nũtium ad Imperatorem perferendum iniungit. Qui ex auditione mirifica voluptate perfusus, melius de cætero res ituras etiam atq; etiã vehementerque confidebat; detractoque signo Persico, quid tabulæ continerent, legendo scrutabatur. Continebãt autem petitionem regis, quã ego, vt est, inornatam & simplicem hîc subiiciam, quò in imperitia dictionis sinceritaté petitionis ceu in speculo contemplemur.

CAPVT XI.

Litteræ Chosroæ ad Mauricium. Duo esse imperia omnium maxima, Romanum & Persicum. Accusatio Varami, contra quem concitatur Imp. & auxilium rogatur.

Χοσρόης περσῶν βασιλεὺς. τῷ ἐμφρονεστάτῳ βασιλεῖ τῶν Ῥωμαίων. ἀγαθοποιῷ. εἰρηνικῷ. δυνάστῃ. φιλευγενεῖ. καὶ τοῖς ἀδικουμένοις σωτῆρι. εὐεργετικῷ. ἀμνησικάκῳ χαίρειν.

Chosroes Persarũ rex. Imp. Romanorum sapientissimo. Benefico. Pacifico. Potẽti. Nobilitatis amanti. Inique afflictorum liberatori. Ad bene de omnibus merendum propenso. Iniuriarum immemori salutem.

» Δύο τισὶν ὀφθαλμοῖς τὸν κόσμον
» καταλάμπεσθαι πάντα, ἄνωθεν, καὶ
» ἐξ ἀρχῆς τὸ θεῖον ἐπραγματεύσα-
» το. τουτέστι τῇ δυνατωτάτῃ τῶν Ῥω-
» μαίων βασιλείᾳ, καὶ τοῖς ἐμφρονε-
» στάτοις σκήπτροις τῆς περσῶν πολι-
» τείας. ταύταις γὰρ ταῖς μεγίσταις ἀρ-
» χαῖς τὰ ἀπειθῆ, καὶ φιλοπόλεμα
» ἔθνη λικμίζονται καὶ ἡ τῶν ἀνθρώ-
» πων διαγωγὴ κατακοσμεῖται, καὶ
» κυβερνᾶται διὰ παντός. καὶ ἔστι λα-
» βεῖν τὴν τῶν πραγμάτων ἀκολουθί-
» αν τοῖς ἡμετέροις ῥήμασι συμφωνοῦ-
» σαν. ἐπεὶ τοίνυν σκαιοί τινες καὶ πο-
» νηροὶ ἐν τῷ κόσμῳ ἐπιπολάζοντες
» δαίμονες πάντα τὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ κα-
» λῶς συντεταγμένα συγχεῖν μὲν ἐ-
» πείγονται, εἰ καὶ μὴ ἔκβασιν ἡ τούτων
» λαμβάνει ἐγχείρησις, πρέπει τοὺς
» θεοφιλεῖς καὶ εὐσεβεστάτους ἀνθρώ-
» πους τούτοις ἀντιστρατεύεσθαι, ἔχον-
» τας ἀπὸ τοῦ θεοῦ σοφίας θησαυρὸν,
» καὶ δικαιοσύνης βραχίονα καὶ ὅπλα.
» κατὰ τοίνυν ταύτας τὰς ἡμέρας οἱ
» βλαπτικώτατοι δαίμονες κατὰ τῆς
» περσῶν ἐπιφοιτήσαντες πολιτείας,
» δεινὰ κατειργάσαντο, καὶ δούλους
» κατὰ δεσποτῶν ἐπεστράτευσαν, κατὰ
» βασιλέας οἰκέτας, κατὰ τῆς τάξεως
» τὴν ἀταξίαν, κατὰ τοῦ καθήκοντος τὸ
» μὴ πρέπον, καὶ πᾶσι τοῖς ἐναντίοις
» τῶν ἀγαθῶν ἐχορήγησαν ὅπλα. Βα-
» ράμ γὰρ ὁ κατάπτυστος δοῦλος
» ὑπὸ τῶν ἡμετέρων προγόνων αὐξη-
» θεὶς, καὶ διαλάμψας, καὶ μὴ χω-

Duobus quibusdam oculis vniuersum mundum illustrari, iã olim & ab initio Deus Opt. Max. curauit: hoc est, Romanorum imperio potentissimo, & prudẽtissimè temperata Persarum repub. His namque principatibus amplissimis rebelles, & Mauortiæ gentes compescuntur, humanæque instituta vitæ ornantur, & reguntur semper. Quarum rerũ consequẽtiam verbis nostris suffragãtem videre licet. Quoniam ergo infausti quidam peruersique dæmones, in te homines vagantes, omnia à Deo rectè constituta confundere ac perturbare connituntur, tametsi eorum conatus nihil proficiunt, Deo charos, pietatique deditissimos mortales, à Deo sapientiæ thesaurum, iustitiæque brachium & arma habentes, iis obuiam ire, & contra pugnare decet. His itaq; diebus perniciosissimi dæmones in regnum Persicum se se inferẽtes, atrocia designarunt, & seruos aduersum dominos, famulos aduersum reges, confusionem aduersus ordinem, indecorum contra decorum, & omnia demum bonitati contraria & inimica suppeditatis armis instruxerunt. Varamus etenim seruus ille detestandus, à maioribus nostris euectus, & honoribus illustratus, cum magnitudinem gloriæ non caperet, ad pestem & perniciem nobis machinan-

ῥήσας τῆς δόξης τὸ μέγεθος, πρὸς ὄλεθρον ἀπεσκίρτησε, καὶ βασιλείαν ἑαυτῷ μνηστευόμενος, πᾶσαν διετάραξε τὴν περσῶν πολιτείαν. καὶ πάντα καὶ πράττει, καὶ διεγχειρεῖ, ἵνα μέγαν ὀφθαλμὸν ἀποσβέσῃ δυνάμεως, καὶ λάβωσιν ἐντεῦθεν ἔθνη ἀνήμερα καὶ κακοπραγέστατα παῤῥησίαν καὶ δύναμιν, κατὰ τῆς ἡμερωτάτης τῶν περσῶν βασιλείας. εἶτα λοιπὸν ἐντεῦθεν τῷ χρόνῳ καὶ κατὰ τῶν παρ' ὑμῶν φορολογουμένων ἐθνῶν κράτος ἄμαχον, καὶ πολλῆς λύμης οὐκ ἄμοιρον. πρέπει τοίνυν τῷ εἰρηνικῷ τῆς προνοίας ὑμῶν, στηλιτευομένῃ βασιλείᾳ, καὶ ὑπὸ τυράννων βιαζομένῃ παρασχεῖν χεῖρα σωτήριον, συστήσασθαί τε μέλλουσαν ἀρχὴν καταλύεσθαι, καὶ τῆς σωτηρίας τὰς αἰτίας ὥσπερ τρόπαια οἰκουμενικὰ ἐν τῇ Ῥωμαίων πολιτείᾳ ἱδρύσασθαι, ἀναγορευθῆναί τε ὑμᾶς κτίστας, καὶ σωτῆρας, καὶ ἰατροὺς τῆς περσῶν πολιτείας. πάντα γὰρ τὰ τῷ δικαίῳ συμβαίνοντα, πρέπει τοῖς δυνατωτάτοις βασιλεῦσι διὰ παντὸς ἀπεργάζεσθαι. καὶ ἐντεῦθεν τῆς μεγαλονοίας τὰ ἐγκώμια, καὶ τοῦ τῆδε κόσμου μετανασεύουσιν, ἔχειν διὰ παντὸς ἀδιάφθαρτα, παράδειγμά τε συστήσασθαι, ὡς οὐ δεῖ κατὰ δεσποτῶν δραπέτας ὁπλίζεσθαι. τὸ τοίνυν ἀνώμαλον νῦν τῶν πραγμάτων τῆς περσικῆς πολιτείας προσήκει παρ' ὑμῶν κυβερνᾶσθαι. λαμπροτέραν γὰρ ἐντεῦθεν οἱ Ῥωμαῖοι τὴν εὔκλειαν δι' ὑμῶν ἀπολείψονται. ταῦτα χοσρόης ἐγώ, ὡς

chinandam prosiluit: & regni habenas sibi despondens, vniuersam Persarum rempub. conturbauit: agitq; & tentat omnia, vt magnum potentiæ oculum extinguat, indeque nationes agrestes, & ad malefaciendum promptissimæ imperium Persarum mansuetissimum lacerandi licentiam potestatemque, ac tempore procedente contra vestras quoque gentes stipendiarias robur inexpugnabile, & inprimis exitiosum nanciscantur. Erit igitur honestū pacificæ vestræ prouidentiæ, regno omnibus mortalibus notissimo, & à tyrannis oppresso manum salutarem porrigere, ac principatum interitui proximum confirmare denuo atque constabilire; salutisq; nostræ caussas, vt trophæa vniuersalia in repub. Romana figi, vosq; reipub. Persicæ conditores, seruatores, & medicos proclamari. Omnia quippe iustitiæ consentanea perpetuò præstare iustissimos Imperatores conuenit: atque hîc quidē excelsi animi præconia, hinc autem emigrantes, immortalia bona in omne æuum adipisci: exemplumque statuere, ne posthac fugitiui in dominos arma expediant. Nunc igitur perturbatum Persidis statum à vobis regi, & corrigi par est. Ex quo per vos Romanorum gloria splendescet magis. Hæc

 ego

" παρὼν, γράφων προσφθέγγομαι.
" χοσρόης ὁ σὸς υἱὸς, καὶ ἱκέτης. οὐ γὰρ διὰ
" τὴν τύχην τῶν συμβεβηκότων ἀθετήσεις
" τῆς ἀξίας, ἢ τῆς προσηγορίας τὸ πρόσ-
" φορον. οἱ δοτῆρες τῶν ἀγαθῶν ἄγγελοι
" τοῦ θεοῦ ἀνεπονείδιστον, καὶ ἀτυράννητον
" ὑμῖν τὴν βασιλείαν διαφυλάξωσιν.

ego Chosroes, tanquam præsens præsentem alloquens, Chosroes filius, & supplex tuus. Nō enim quia me miserum fortuna finxit, tu quoque hanc mihi conducibilem seu dignitatem, seu appellationem denegabis. Angeli Dei, bonorum largitores imperium
" vestrum probro, & tyrannis liberum custodiant.

CAPVT XII.

Persis proceribus blanditur Varamus: Chosroen quæri, ac vinctum sisti iubet. Bindoes in vinculis adducitur. Varami in regno aucupando astus: semet regem instituit. Ad præsidiarios Martyropoli eius mandatum. A Mauricio per ducem Comentiolum Chosroes honoratur. Eiusdem impostura.

ΕΝ ὅσῳ δὲ τὰ τῆς πρεσβείας κατεξητάζετο παρὰ τὸν καίσαρα, ὁ Βαράμης τούς τε σατράπας, καὶ τοὺς περιβλέπτους τῆς Βαβυλωνίας ἐφιλοφρονεῖτο, θεραπείας τε ἠξίου. ἀναλαβών τε τὴν βασιλικὴν πᾶσαν ἀποσκευὴν, ὅσην χοσρόης ὁ τῶν περσῶν ἐπισύρετο βασιλεὺς, ἀφικνεῖται πρὸς τὰ ἀνάκτορα. διακρίνας τε ἐκ τοῦ ὁπλιτικοῦ ἄνδρας εἰς ἔκπλαξιν λογάδας, ἀνερευνᾶσθαι χοσρόην προσέταττε, δέσμιόν τε ὡς αὐτὸν παραστήσασθαι. οἱ μὲν οὖν διητυχηκότες τῶν ὑπὸ τοῦ Βαρὰμ προστεταγμένων αὐτοῖς, Βινδόη περιτυγχάνουσιν, ὃς ἔχαιρεν ἐς τὰ μάλιστα χοσρόῃ τῷ περσῶν βασιλεῖ. τοῦτον δεσμοῖς καθυβρίσαντες, ἄγουσι παρὰ τὸν Βαρὰμ ἑβδομαῖον. ὁ δὲ Βαρὰμ τὴν περσῶν βασιλείαν σφετεριζόμενος, καὶ τῷ ταύτης καθάπερ πολούμενος

INterea dum super petitione regis consultatur, Varamus Satrapas, & alios de Persis eminentiores comitate, & beneficentia ad suas partes allectat, susceptoque comitatu, & apparatu omni, quem post se Chosroes trahebat, ad palatium regale concedit, delectisque de exercitu bellatoribus egregiis, Chosroen indagari, & sibi vinctum sisti imperat. Qui mandatis frustra parentes, in Bindoen regis Persarum præcipuè studiosum incidunt, eumque cōtumeliosè vexatum, cum vinculis die septimo ante Varamum statuunt. Varamus regnū Persicum sibi vendicare nitens, & eius cupiditate nimia quasi expugnatus, quas animo coque-

bat

ἔρωτι, ἐς τὸ φανερὸν τὰς τῆς ψυχῆς ἐπιβουλὰς οὐ παρεδείκνυε, δεδιώς, μὴ τοῦγε ἕνεκα φωραθείη, πῶς τὴν ὅλην τῶν πεπραγμένων αὐτῷ ὑπόθεσιν συστησάμενος. ἤρα δὲ δόγμασι συγκλήτου τὴν ἀρχὴν ἐνσκηπτῆσαι. καὶ τὴν ἀνάρρησιν τοῦ κράτους περιβαλέσθαι σὺν νόμῳ, οὐ βίᾳ τινί. ἐντεῦθεν τὴν μὲν βασιλείαν ἀνεπονείδιστον, τὴν δ' αὖ πάλιν ἐγχείρησιν ἀνεπιβούλευτον ἑαυτῷ σοφιζόμενος. ἐπεὶ δὲ πάντα ῥᾳδιουργῶν, καὶ παλαμώμενος ἀπί; θανος ἦν σοφιστὴς τοῦ βουλήματος, ἐχαλέπαινέ τε τοῖς μάγοις τἀναντία φρονοῦσι. τῆς τοίνυν ὀρέξεως αὐτῷ μηδαμῶς ἀπολαβούσης τοῦ σκοποῦ τὴν βαλβίδα, χωρεῖ ἐς τὸ φανερόν. τῆς μεγάλης τοιγαροῦν, καὶ ἐπιφανοῦς ἐνδημούσης αὐτοῖς ἑορτῆς, ἣν ἑορτάζειν οὐρανῷ παλαιὸς καὶ πρεσβύτης νόμος πέρσαις ἐθέσπιζε, τὸ βασιλικὸν διάδημα ἀνελόμενος, ἀνηγόρευεν ἑαυτὸν βασιλέα, τῇ τε χρυσῇ καλκυγάζετο κλίνῃ τοῖς τε κατὰ τὴν μαρτύρων ἀναστρεφομένοις βαρβάροις ἔχεσθαι ἐγκρατῶς τῆς φρουρᾶς ἐγκελεύεται, καὶ ἥκιστα τὸν νῦν χοσρόην παρέχεσθαι. τοῖς τοίνυν τὸ ἄστυ πολιορκοῦσι ῥωμαίοις, ἡ τοῦ βαράμ διαγόρευσις δῆλος γίνεται. ἥλω γὰρ ὁ τὰ προστάγματα τοῦ τυράννου περιφερόμενος. μενοῦν γε χοσρόης ἐπὶ τὴν λεγομένην ἱερὰν πόλιν ἀφίκετο, οὐδὲ μὴν κομεντίολος ὁ στρατηγὸς ἀγέραστον καταλέλοιπε, τὸν τέως τῆς βασιλείας χηρεύοντα. οὕτω γὰρ ἔδοξε μαυρικίῳ τῷ αὐτοκράτορι, καὶ τὸ δόγμα μετεχώρει πρὸς πρᾶξιν.

bat insidias, haudquaquam prodebat: metuens videlicet, ne quæ egisset hactenus, omnia huius rei gratia egisse deprehenderetur. Verùm consilij decreto sibi imponi, & illigari quodammodo principatum, & legitima renuntiatione, non vi aliqua successionem in regno capessere desiderabat. Ita & regnum sibi nō probrosum, & molitionem tutam fore homo versipellis ratiocinabatur. Sed vbi nihil non nefariè moliens, quod volebat, artificio suo persuadere non potuit, dominandiq; libido qua feruebat, propositum minimè tenuit, & Magis quoq; diuersum sentientibus succensuit, in apertam audaciam prorupit. Quamobrem magno & illustri die festo, cuius celebritatem Persis vetus & veneranda lex de cœlo sanxerat, sumpto diademate, semet vltro regem declarat, lectoq; aureo insignis, præsidiariis apud Martyropolim barbaris mandatū mittit, vti vrbem constāter teneant, & Chosroen neutiquam audiant. Romanis oppidum obsidentibus, intercepto internuntio res patefit. Porrò Chosroes Hierapolim venit: nec Comentiolus tunc regno viduatum non honorauit, quando id Mauricius fieri iusserat, iussaque opere ipso prestabātur. Quare ad oppidulū

vsque

οὔκουν ἐπὶ τὸ Βεδάμας οὕτω χωρίον λεγόμενον) ἐς ξυνάντησιν γίνεται κομεντίολος χοσρόῃ, τήν τε παρασκευὴν βασίλειον αὐτῷ ξυστησάμενος, ἐδορυφόρει μεγαλουργῶς. ἐννάτῃ δὲ ἡμέρᾳ καὶ τοῖς ἐν μαρτυροπόλει φρουροῦσι πέρσαις ἄγγελον ὁ χοσρόης ἐξέπεμπεν, ἄνδρα σατράπην μυραγδοῦν, οὕτω λεγόμενον, τάς τε νεωτέρας τύχας καταδηλῶν, καὶ ὡς οὐ μετὸν αὐτοῖς τῆς πόλεως ἔχεσθαι, τῆς τοῦ αὐτοκράτορος μεγαλονοίας ἀπομάχους, καὶ φίλους πέρσας μεταπλαττούσης. βεστὰμ δὲ τὸν παρὰ πέρσαις διαφανῶν κατὰ τὴν ἀρμενίαν ἀπέστελλεν ἐς τὸ ἀνδραβιγανὸν ἐγκελευόμενος γενέσθαι, καὶ τοὺς αὐτόθι ἐνδιατρίβοντας πέρσας ὑπηκόους αὐτῷ καταστήσασθαι. καὶ ταῦτα μὲν οὕτω ἐς τὸ φανερὸν διεπράττετο.

vſque Bedamas appellatum, venienti prodit obuiam, omnia regia illi conſtituit, magnificamq; comitātium cateruam attribuit. Die nona etiam Choſroes Satrapam Myragdū vocabulo ad præſidium Martyropolim mittit, per quem fractas, & abſciſſas res ſuas indicat, & monet, vti vrbem dedant: quando Imperator magnanimus Perſas bellicis viribus deſtitutos in amicitiam receperit. Beſtamium verò inter Perſas virum honoratum, Andrabiganum in Armeniam ire, morantesque illic Perſas ſibi ſubiicere iubet. Et hæc quidem palàm acta ſunt.

CAPVT XIII.

Choſroes vt vafer, & malæ fidei reprehenditur: eum ad ſe venire Mauricius non vult. Legati Choſroæ ad Imp. Principis Legati oratio, qua intereſſe Romanorum, Perſicum ſtare imperium, præclara diſputatione probat. Multa de Alexandri Magni ambitione diſſerit, & Imperatorē ad ſuccurrendum regi magnoperè incitat.

Οἷα δὲ κέρκωψ, κεκυφὼς τὴν διάνοιαν, καὶ πάντα τοῦ δόλου τιθέμενος δεύτερα, τὸν τῆς φιλοξενίας ἀθετήσας θεσμόν, καὶ τὰς ἄλας τῆς φιλοφροσύνης ὑπὸ τὰς πτέρνας καταβαλόμενος, πεμπταῖον ἐξέπεμπεν ἄγγελον τοῖς τὴν μαρτύρων πόλιν παρακαθημένοις χαλδαίοις, ἐγκελευόμε-

CAEterùm vt cercops, hoc eſt, homo fraudulentus, ac veterator, & ingenio prauo, fallaciis agere palmarium ducens, & hoſpitalitatis legibus multam ſalutem dicens, beneuolentiæque ſalem pedibus conculcans, quinto die per certum hominem præſidiariis Martyropolim edictum mittit,

ος ἔχεσθαι τῆς φρουρᾶς κάρτα κομιδῆ, καὶ τοῖς ἐς τὸ φανερὸν προστατομένοις αὐτῷ μὴ προσέχειν τὸν νοῦν. φαῦλον γὰρ τὸ περσικὸν, καὶ βίος αὐτῷ δόλος, καὶ κόμπος ἀνέκαθεν. ἀναβολῆς τοίνυν τῆς περὶ τὴν βασιλείαν καθόδου τέως ἐγγινομένης αὐτῷ, ἐνεχείρει ἐς βασιλέα γενέσθαι Ῥωμαίων. ὁ μὲν οὖν μαυρίκιος τὴν χοσρόου ἔφεσιν διαγνοὺς, γράμμασι βασιλείοις τὴν εἰς αὐτὸν ἐνδημίαν ἐνέκοπτε, δόξης ὑπερορῶν, τήν τε τοῦ συνοίσοντος ἐπίδοσιν χοσρόῃ πραγματευόμενος. διενοεῖτο γὰρ ὡς οὐ δεῖ πόρρω τῆς περσῶν πολιτείας μεταχωρῆσαι χοσρόην, ἵνα μὴ τῷ βαράμ πάγιον ἐντεῦθεν τὸ τῆς τυραννίδος καθιδρυθείη ἐγχείρημα. ἦρος δὲ ἀρχομένου, ὁ χοσρόης πρέσβεις ἐς βασιλέα ἐξέπεμπεν. ὁ μὲν οὖν αὐτοκράτωρ βασιλικῶς ἐκκλησίαν τρίτῃ συγκροτήσας ἡμέρᾳ, ἐπιφανῶς προσκυνεῖται ὑπὸ τῶν πρέσβεων. σιωπῆς τοίνυν δαψιλευομένης τῷ συνεδρίῳ, καὶ τοῦ βασιλέως ἄδειαν λόγων ἐκθέσεως ἀποδεδωκότος τοῖς πέρσαις, ὁ τῶν πρέσβεων ἐπιφανέστερος, προοιμιάζων τῷ δακρύῳ τὸν λόγον, κἀντεῦθεν τοὺς βασιλικοὺς οἰκτιρμοὺς ἀποθηρώμενος, τῶνδε τῶν λόγων ἀπήρξατο.

mittit, vti vrbem ſummo ſtudio, & quam diligentiſsimè cuſtodiant, quæque palam ipſis mandauerit, ea non curent. Nequam eſt genus Perſicum, cui vita dolus, & iactantia inde vſque à prima origine. Interea dum reditus in regnum differtur, ad Romanorum Imperatorem proficiſci aggreditur. Cuius voluntate cognita, Mauricius literis imperatoriis eum venire prohibet, honorem ſuum in eo negligens, & commodis Choſroę adaugendis proſpiciens. Sic enim ſtatuebat, non oportere illum longius à Perſide diſcedere, ne hinc tyrannici conatus Varami robuſtiores euaderent. Vere ineunte, Choſroæ oratores ad Imperatorem adueniunt. Qui more imperatorio tertio die conuentu coacto, à legatis publicè adoratur. Silente igitur conſeſſu, dataq; fandi copia, princeps legationis, lachrymis orationem præcondiens, indeq; Imperatoris miſericordiam captans, ſic differere occœpit.

Εἰ μὲν παρὰ τῶν προσφιλεστάτων ἦν ἡ ἀξίωσις, τρισμέγιστε βασιλεῦ, εἶχεν ἂν τὸ μὲν πρόσφορον ὁ καιρὸς, ὁ δὲ τρόπος τὸ εὔλογον, ὁ δὲ λόγος τὸ πειθὼ, τὸ πάθος τὸν ἔλεον, τὴν πρόφασιν ὁ ὑπόθεσις, ἡ ἀνάγκη τὸ τῆς ἐπικουρίας ὀξύῤῥοπον, τὸ δ' αἰδέσι

"Si quidem, ter maxime Imper. "homines tibi gratiſsimi, & cha- "riſsimi petitum aduenirent, ha- "beret commoditatem tempus, "rationē mos, miſericordiæ com- "mouendæ vim oratio, occaſio- "nem argumentum, auxilium ce- "lerrimum neceſsitas, reuerētiam

» μον ἡ πρεσβεία. καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, το-
» σούτους εἶχον τοὺς οἰκτιρμοὺς τὰ παθή-
» ματα, ὁπόσας καὶ τὰς συμφορὰς ᾠ-
» κειώσατο. ἐπεὶ δὲ καὶ τούτων πάντων
» μετὰ τῶν ἄλλων ἡ περσὶς διητύχησε,
» λείπεται, ἢ φιλανθρωπίαν ἐκ τῆς σῆς
» ἀρετῆς περιχεῖσθαι χοσρόῃ, ἢ μήδους
» ὑπὸ τυράννων μεγάλην ἀρχὴν κα-
» ταστρέψασθαι. φαίη δ' ἄν τις, εὖ οἶδα,
» τῶν μὴ συνέσεως μεμνημένων μυστή-
» ρια, λυσιτελεῖν τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ τὸ
» βαβυλώνιον, καὶ ἡμέτερον φῦλον μα-
» κρὰν οἰμώζειν ἐς κόρακας, βασιλεί-
» αν καὶ κράτος καὶ ῥώμην μεγάλην
» ἀποβαλλόμενον, καὶ ἀνταγωνιστῷ ἡσυ-
» χίᾳ τινὶ τὸ Ῥωμαϊκὸν κράτος κατα-
» λιπαίνεσθαι κακῶς εἰδὼς τὸ μὴ συνοί-
» σον τῇ Ῥωμαίων δυνάμει. οὐ γὰρ τὰς
» ἀπείρους φροντίδας τῆς περὶ τὸν κόσ-
» μον συντάξεως, μίαν που μοναρχίαν
» δυνατὸν ἐγκολπώσασθαι, καὶ ἑνὶ πη-
» δαλίῳ καρδίας, ὅσην ἥλιος ἐφορᾷ
» διιθύνεσθαι κλίσιν. οὐ γὰρ καθάπερ τὸ
» ἐνιαῖον τῆς θείας, καὶ πρώτης ἡγεμο-
» νίας ἔνεστι πώποτε καὶ τὴν γῆν ἀπε-
» νέγκασθαι, ἀντιθέτως ἔχουσαν τῆς ἄνω
» ταξιαρχίας κατάστασιν, ὑπ' ἀνθρώ-
» πων τὴν μὲν φύσιν ῥευστῶν, τὴν δὲ
» γνώμην ἀδοκιμωτάτων, διὰ τὴν πρὸς
» τὰ χείρονα σύννευσιν, ἄλλοτε ἄλλως
» κυβερνωμένην πρὸς τὸ ἐπίσφαλον. οὐ-
» κοῦν εἰ καὶ πέρσαι τοῦ κράτους καθαιρε-
» θείησαν, μεταβήσεται παραυτίκα πρὸς

legatio, atque vt summatim dicam, tot haberet fortuna nostra miserationes, quot habet calamitates. Quoniam verò cum aliis etiam his omnib' Persia fraudata est, restat vt vel tua virtus & humanitas Chosroen complectatur; vel adeò latum & magnum Persarum imperium à tyrannis euertatur. Dixerit quispiam, sat scio, ex imprudentibus, expedire Romanorum imperio, Persicam, adeoque nostram nationem diu plorare, & ad coruos ire, amisso regno cum potentia, & viribus ingentibus: illos autem quiete, nullo obturbante, quodammodo pinguescere ac saginari; nesciens vtique quid Romanæ potentię conducere videatur. Haud enim fieri potest, vt vna monarchia innumerabiles orbis terrarum ritè atque ordine administrandi curas in se recipiat, vnoque velut temone mentis, quantum hominum sol aspicit gubernetur. Non enim licebit vnquam terris quoque, supernis ordinum principatibus similitudine quadam respódentem statum, & vnitatem diuini, primique principatus, qualis in cœlo est, consequi, cum ab hominibus, natura fluxis, & ob propensionem ad deteriora sequenda mente corruptissimis aliter aliâs, propter rerum mobi-
» litatem, inconstantiamque procurentur. Quocirca si etiam Persæ
» imperio depulsi fuerint, ad alios mox deuoluetur: duce enim ac re-

ctore

ἑτέρους τὸ κράτος. οὐ γὰρ ἀνέξεται χηρεύειν ἡγεμόνος τὰ πράγματα, ἢ ἡ τηλικαύτη τύχη τοῦ ἐπιβαίνοντος. ὡς γὰρ λογισμῶν οὐκ ἔσονται φροντίδες ἀπόκριτοι· οὕτως οὐδ᾽ αἱ μέγισται τῶν περὶ τὸν κόσμον ἡγεμονίαι ὀρφαναί που ἔσονται τοῦ κυβερνήσοντος. ἢ οὐκ ἐκ βαβυλωνίων μῆδοι, ἐκ δὲ μήδων οἱ πέρσαι, μετὰ δὲ τούτους οἱ πάρθοι, ὥσπερ τινὶ ἀκολουθίᾳ διαδοχῆς τὴν χαλδαίων εὐδαιμονίαν ἐκτήσαντο; ὅτι γε οὐ μιᾷ τινι σύριγγι νόμιον μέλος πνεύσῃ οὐχ ἅπαν ποιεῖ τὸ ποίμνιον, ποιμέσιν ὑμοῦ καὶ αἰπόλοις πρόδηλον τοῦτο καθέστηκε. τοιοῦτό τι καὶ τοῖς ἀνθρωπίνοις πράγμασι συμβαίνειν φιλεῖ. ἱκανὴ δὲ τεκμηριῶσαι, μακεδονικοῦ παιδαρίου τινὸς ἡ μαινόλης καὶ παράλογος ἔφεσις. τύχης γὰρ ἀλέξανδρος ἄωρον γινόμενος παίγνιον, καὶ μικρὸς παρ᾽ αὐτῆς κατ᾽ εἰρωνίαν ἱλαρυνόμενος, εὐρώπης κρατεῖν ἐβρενθύετο, θαλαττοκρατεῖν ἐγχειρῶν καὶ βαβυλωνίων ἤδη σκήπτρων ἀντέχεσθαι, τοῦ τε ἰνδικοῦ κράτους ἐγλίχετο, λιβύην δ᾽ ὑπακούειν ἠπείλει, καὶ ἐς τοσοῦτον αὔξειν τὰ τῆς ἀρχῆς ἐβιάζετο, ἐς ὅσον μὲν χεῖται ἀήρ, ἡλίου δ᾽ ὄψεις, ταῖς βολαῖς τῆς μαρμαρυγῆς καταυγάζουσιν, εἰς ἑνιαῖον τὸ κράτος καὶ μοναδικὸν τὸν ὑπὸ σελήνην κόσμον δουλαγωγεῖν καλωρέγετο. ἀλλὰ τούτου θᾶττον ἀπέσβη μετὰ τῆς ἐξουσίας ἡ ὄρεξις. καὶ πρὸς τὴν πολυτύραννον, ὡς ἔπος εἰπεῖν,

ctore tanta rerum, fortunarumque moles carere nequibit. Nam sicut cogitationes nunquam seiungi â ratiocinatione poterunt: ita nec amplissima mundi imperia, â quo administrentur, vnquam desiderabunt. An non è Babyloniis, seu Assyriis Medi, ex Medis Persæ, ex his Parthi quasi quadam consequenti successione Chaldæorum opes acquisierunt? Et pastoritium melos, vna cantatum fistula gregem totum non facere, opiliones, & caprarios haud latet. Tale quiddam & in rebus humanis solere contingere, Macedonici cuiusdam adolescentis furiosa, & insipiens cupiditas satis superque probauerit. Fortunæ siquidem immaturum factus ludibrium Alexander, paulumq; ab eadem simulatè exhilaratus, de Europæ ditione superbiebat: maris imperium ad se trahebat; sceptra Persica sibi asserebat; Indiæ regna appetebat: Africæ iugi sui minas intentabat: & imperium eo vsque proferre nitebatur, quousque spirabilis hæc natura diffunditur, & solis oculi coruscam radiorum lucem proiiciunt. Ad vnicum, & singularem dominum totam infra lunā imperium redigere concupiscebat. Verum citò euanuit eius cum potestate desideratio, & in multos dominatus (vt vno verbo dicam) res diuisæ rursum concesserunt: nam quod consen-

 taneum

,, ἡγεμονίαν διαιρούμενα πάλιν προσ-
,, χωρεῖ τὰ πράγματα. οὐ πέφυκε γὰρ
,, συμφύεσθαι τοῖς ἀσυμφώνοις ποτὲ τὸ
,, ὁμόλογον. εἰς τί τοιγαροῦν εὐδαιμονίας
,, Ῥωμαῖοι περισταίη τὰ πράγματα, περι-
,, σῶν μὲν καθαιρουμένων δυνάμεως,
,, ἑτέρῳ δὲ παραπεμπόντων φῦλα τῷ
,, τυράννῳ; εὐδοξίας δὲ ἵνα χαρακτῆ-
,, ρα τὸ Ῥωμαϊκὸν περιβάλλοιτο γένος,
,, ἱκέτην ἀπαναινόμενον βασιλέα τῶν
,, ἁπάντων γῆς ἐπιφανέστατόν τε καὶ
,, ἀλκιμώτατον; ἢ ποίαν εὐσεβείας ἀ-
,, κρόπολιν ἕξετε τοὺς ἠτυχηκότας ἐξου-
,, θενήσαντες; πότε δὲ, βασιλεῦ, τοὺς ὑ-
,, πὲρ δικαιοσύνης ἀγῶνας ἀράμενος,
,, ὅπλα κινήσεις πρὸς πόλεμον, ταύτης
,, που χηρεύων τῆς ὑποθέσεως; πότε δέ
,, σοι τὸ τῆς θρησκείας κάλλος ὡραι-
,, ωθήσεται, εἰμήγε ἐν τῷ παρόντι καιρῷ;
,, νῦν ἢ τοῖς πράγμασι τὴν προσηγο-
,, ρίαν κυρώσατε, ἢ τοῖς ἀδικήμασι τῆς
,, κλήσεως τὴν ψευδωνυμίαν κληρώ-
,, σησθε. τί δὲ δείξεις τούτου βασιλικώ-
,, τερον παρὰ πάντα τὸν τῆς σῆς ἡγεμο-
,, νίας καιρόν; τίαδέ τις ἄλλη τοῖς Ῥω-
,, μαίοις μεγαλαυχημάτων ἀφορμὴ
,, κατασταίη; τί δέ σοι, βασιλεῦ, τῆς σῆς
,, ἐπιεικείας ἐνέχυρον ἔσται τοῖς ἔθνεσι
,, τούτου σεμνότερον; νῦν ἀρύσῃ διὰ μι-
,, κρᾶς συμμαχίας τὴν εἰρήνην ἀθά-
,, νατον, καὶ ἃ τοῖς μυρίοις ἀγῶσι, τῷ τε
,, τῶν φροντίδων ἀπείρῳ, καὶ τῷ ἐκ-
,, χύτῳ τῆς τῶν χρημάτων καταβολῆς
,, Ῥωμαίοις μήπου κατείργασται, νῦν διὰ
,, ψυχῆς ἀρετὴν, ὑπὸ μὲν τοῦ καιροῦ

neum est, cum dissentaneis coalescere, & coagmētari nunquam solet. Persis igitur potentia sua spoliatis, & alteri tyranno nationes suas permittentibus, quam, quæso, fœlicitatem consequetur Romana respublica? quam autem gloriæ celebritatem Romanum genus inueniet, si regem omnium orbis regum & clarissimum, & fortissimum sibi supplicantem reiecerit? Aut ad quam arcem pietatis confugietis, si infortunatos, ac miseros despexeritis? Quando tandem, Imperator, susceptis pro iustitia certaminibus, arma ad pugnam mouebis, si occasione modò non vteris? Quando religionis decus nouo decore cumulabis, si hoc tempus prætermiseris? Nunc aut inclytum nomen vestrum re ipsa ratum facietis, & confirmabitis: aut iniustè factis falsum vos nomen præferre ostendetis. Iam verò quod hoc tempore magis imperatorium tēpus per omne imperij tui spatium habere poteris? Quænam huic par gloriandi materia Romanis vnquam dabitur? Tibi autem quodnam pignus æquitatis, ac bonitatis tuæ apud omnes gentes hoc vno esse queat augustius? Nunc si opem modicam tuleris, æternam pacem redimes; quæque mille præliis, curis infinitis, profusa innumerabili pecunia nondum â Romanis effecta sunt, ea nunc per animi

ζητουμένην, οἰκονομουμένην δὲ βασιλικῶς ἀπραγματεύτως ἀποίσῃ, καὶ καρπώσῃ τὴν ἄλυπον ἠρεμίαν, πόνων ἐκτός. οὗ τί ἂν γένοιτο Ῥωμαίοις λυσιτελέστερον; μηδέν τι τῆς Ὁρμίσδου κακίας τὴν σὴν κατοικείτω καρδίαν. ἔμαθεν, ἐξ ὧν ἔπαθε, μὴ τὴν εἰρήνην βδελύττεσθαι. οὐκέτι Χοσρόης τῶν πατρῴων ἀδικημάτων διάδοχος. οὐ κληρονομοῦσι μετὰ τῆς οὐσίας οἱ παῖδες, καὶ τῆς πατρῴας πάντως προαιρέσεως. ἐκεῖνος δυσμενής, οὗτος νῦν εὐμενής, οὐσιωμένην αὐτῷ τὴν σὴν εὐεργεσίαν περιαγόμενος, ἧς ἀμνημονεῖν αἰσχυνθήσεται, πολλοὺς τῆς εὐσεβείας κεκτημένος σου μάρτυρας. μὴ κρατήτωσαν τύραννοι, ἵνα μὴ καθεξῆς τὸ παράδειγμα. ἢ οὐχὶ τὸ κακὸν τοῖς πολλοῖς ἐστι περίζηλον, καὶ πρὸς τὰς τῶν χειρόνων ἐφέσεις, ἡ τῶν ἀνθρώπων καθέστηκε φύσις, δυσανάγωγον πρὸς τὸ κρεῖττον τὴν ὁρμὴν κεκτημένη; ἀκηκόαμεν καὶ τὸν τύραννον πρέσβεις ὡς ὑμᾶς διαπέμψασθαι ἕξειν κοινωνὸν ἀξιοῦντα τὸν οὐδὲν ἠδικηκότα τοῦ πλημμελήματος, νεωτερίσαι τε δεσπότην μετὰ δραπέτου μονονουχὶ σοφιζόμενον. οὗ τί ἂν γένοιτο Ῥωμαίοις ἀδοξότερόν τε, καὶ ἀπευκτότερον; ποίαν δέ σοι πίστεως κρηπῖδα ὑποστηρίσαι ταῖς ὑποσχέσεσιν, ὁ μεγίστης ἀγνωμοσύνης ἔχων ὑπόθεσιν, καὶ κατὰ τῶν εὐεργετησάντων συστησάμενος φάλαγγα, ὁ πᾶσιν

animi tui virtutẽ ab alienis temporibus requisitam, & abs te pro dignitate imperatoria impensam ac dispensatam, nullo negotio assequêre, quieteque omni mœrore soluta, citra laborem perfruêre. Quo quid Romanis vtilius accidere posit? Ne quid mens tua Hormisdæ improbitatem in filio reformidet: docuerunt eum mala sua pacem non auersari. Non est scelerum patris sui successor Chosroes; neutiquã enim cum facultatibus etiam paternorum institutorum hæreditas ad filios peruenit. Ille maleuolus, hic beneuolus, tuam beneficentiam pro diuitiis ac fortunis suis circumferens, cuius memoriam deponere, cum pietatis erga se tuæ testes adeò multos habeat, erubescet. Ne dominentur tyranni; ne quo modo exemplum proponas. Multi siquidem malum facilè æmulantur, & propter deteriorum appetitiones natura humana ad meliora difficilè impellitur. Audiuimus & tyrãnum Legatos ad vos misisse, & innocentem delicti sui socium facere voluisse, dominũque cum fugitiuo pariter res nouas molitũ nequiter docere conatum quodammodo: qua auditione nihil Romanis indignius, aut fugiendum magis. Quale porrò fidei suæ apud te fundamentum promissis substruxerit, qui extremæ iniquitatis conuincitur

» ἰδέαν κακίας περιβαλόμενος, ἵνα
» δεσπότην μηδὲν ἠδικηκότα βασι-
» λείας καθέλῃ; οὐ πέφυκε κακίας ὑ-
» πόθεσις φιλίας διασώζειν ὑπόσχε-
» σιν. ἀφιλόσοφος ἔναρξις, καὶ τὸ
» πέρας ἕξει πάντως ἀσύμφορον. τοῖς
» σπέρμασι γὰρ ἡ βλάστησις οὐκ ἐναν-
» τίαν ἔχει τὴν πρόοδον· δώροις ἀγ-
» κιστρεύειν τὸ μὴ δίκαιον ἴσως ὁ Βα-
» ρὰμ ἐγχειρήσειεν, ἀλλὰ κακῶν ἄ-
» δωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα ἤκουσά
» του λέγοντος τῶν παρ' ὑμῖν ἐπὶ
» κομψείᾳ σοφῶν. οὐκ οἶδε παροι-
» νίας μισθὸς καρπίζεσθαι τὴν ἀπό-
» λαυσιν. οὐκ οἶδε κέρδος ἀδικίας
» φυόμενον αὔλαξιν ἀμεταμέλητον
» ἔχειν γεώργημα. πρὶν γὰρ ἡδῦναι,
» λυπεῖ· καὶ πρὶν περιθέλξαι, πρὸς
» ἀνίαν ἐκκλίνει. ἐξεχώρησε γὰρ τῶν
» ἐραστῶν προσαφαιρούμενα· καὶ ἃ μὴ
» κακῶς τὶς ἐκτήσατο. ἡμεῖς δὲ τὴν
» μαρτύρων πόλιν ἀνταποδίσομεν, τό-
» τε Δάρας προῖκα παρέξομεν, τόν τε
» πόλεμον ταφῇ καθιδρύσομεν, ἀπό-
» μισθοι τὴν εἰρήνην οἰκοδομήσαντες.
» τῇ τε ἀρμενίᾳ χαίρειν εἰπόντες, δι' ἣν
» ὁ πόλεμος τὴν παρρησίαν δυστυ-
» χῶς τοῖς ἀνθρώποις ηὐτύχησε. καὶ εἰ
» μὴ τῆς ἀνάγκης ἐπάξια τὰ δωρή-
» ματα πέφυκεν, ἀλλ' οὖν τοῦτο κάλλι-
» στόν ἐστιν ἡμῖν, τὸ μετρίως φιλοσοφεῖν
» τὴν ὑπόσχεσιν, ἢ μεγάλαις ἐπαγ-
» γελίαις τὴν ἀκοὴν ἐκλιπάναντας,
» τῷ ἀτελεσιουργήτῳ τοῦ συμπεράσμα-
» τος ἀθάνατον τὴν διαβολὴν ἐπι-

uincitur, & aduersus bene meritos cõparauit exercitum, qui omne malum facinus est ausus, vt immerentem dominum regno spoliaret? Non consueuerunt improbi, vt amici, seruare promissa. Principium fatuum finem quoque penitus inutilem sortietur: quale enim semen, tale germen. Donis fortasse Varamus iniusta impetrare contendit. Atqui improborum dona nó esse dona, nec vtilia, audiui quẽdam dixisse de vestris scriptoribus, quos elegantia & festiuitas orationis commendat. Non sentit fructum voluptatis amentiæ merces; nec lucrum sulco iniquitatis euanescens, absque pœnitudine colonum dimittit. Nam priusquam delectet, contristat; & priusquam demulceat, mœrore afficit. Abeunt enim à cupidis simul ablata, etiam quæ non malis rationibus quæsiuerant. Nos autem Martyropolim restituemus, & Daram gratuito reddemus, bellum, nulla mercede composita pace sepeliemus, Armeniaque cedemus: cuius caussa bellum tanta licẽtia grassatum est. Quod si maior est necessitas nostra, quã vt ei hæc dona respondeant, tamen hoc vobis summę laudi erit, moderatas potius promissiones sapiẽter amplecti, quam magnis pollicitis delinitos, fini imperfecto labem perennem aspergere, & non leues incommodorum per-

φέρεσθαι, μεγάλας κακῶν ἀφορμὰς τῇ τῆς εἰρήνης ἐσύστερον εὐεξίᾳ κακῶς θησαυρίσαντας. ἱκανῶς ὑπὲρ τοῦ συνοίσοντος Ῥωμαίοις τε καὶ Πέρσαις ἀπολελόγημαι. εἰ δέ τις τῶν ἐντελεστέρων παρεῖται, συνὲς ὦ βασιλεῦ τὸ λειπόμενον. πολλὰ γὰρ ἀπὸ τῆς ἀγωνίας τὸν λογισμὸν ἀποδιδράσκειν φιλεῖ. οὐκ οἶδε γὰρ ἀνάγκη μελέτης ἀνέχεσθαι, ἢ φροντίδος ἐπιβολαῖς πειθαρχεῖν ἀεί, διαπορθμευούσης τὸν νοῦν τῷ ταράχῳ τῆς συγκυρήσεως.

" perferundorum occasiones, bo-
" na in posterum pacis habitudi-
" ne quasi in thesaurum collectas
" habere. Quid Romanis iuxta
" atque Persis profuturum arbi-
" trarer, satis à me demonstratum
" est. Si quid alicuius momenti
" prætermisi, tu id per te, Impe-
" rator, intelliges. Multa enim
" anxij cogitationes fugiunt, cum
" necessitudo meditationis impa-
" tiens sit, neque incursanti curæ
" semper obtemperet, vbi acci-
" dens quippiam mentem pertur-
" batam aliò auocarit.

CAPVT XIV.

Dicta placent, auxilium decernitur. Mauricij ingenuitas. Captiuos Chosroæ remittit, eum per Melitenensem, & Antiochenum Episcopos donis, & solatio prosequitur. Chosroæ ad Nisibenos de officio Legati. Varami Legati ad Imp. cum promissis reiecti. Satrapæ Varamo, eius moribus importunissimis irritati, necem struunt, & in palatium irruentes, cœpto frustrantur, misereq; occiduntur.

Τούτων οὕτω διαλαληθέντων ὑπὸ τῶν πρέσβεων, καὶ τῆς ἀξιώσεως τὸ πιθανὸν, καὶ ἐπίχαρι κληρωσαμένης, τῇ εὐνοίᾳ τοῦ λόγου ὑπό τε τῆς βουλῆς τοῦ αὐτοκράτορος δογματίζεται ἐπικουρήσειν τῷ Χοσρόῃ Ῥωμαίους, τῷ δὲ Βαράμ, κάρτα κομιδῇ παρασκευάζεσθαι πόλεμον, ἀνάξιον Λατινίδος ἀρχῆς τοῦ αὐτοκράτορος κρίναντος, ὅπλα τοῖς ἀδικοῦσι παρέχεσθαι, καὶ περικινδυνεύειν τοῦ μὴ καλοῦ διὰ τὸν ὄγκον τῆς

His ita dictis à Legato, cum orationis grauitas fidem, & gratiam petitioni conciliasset, beneuolè à senatu Imperatoris Chosroæ auxilium, & in Varamum maximum, grauissimumque bellum decreto sancitur, quod latino imperio fœdum iudicaret Imperator, arma sceleratis sumministrare, & propter magnitudinē promissorum pro turpitudine propugnare, Romanosque ignominiosissimo su-

ὑποσχέσεως, καὶ Ῥωμαίους αἰσχίστην ἀναδεξαμένους ὑπόθεσιν, ἀθανάτοις ὀνείδεσι διὰ παντὸς στηλιτεύεσθαι. τὰ μὲν οὖν τοῦ δόγματος ἐπ' ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ περὶ τὸ βασίλειον ἄστυ ἐξηχεῖτό τε καὶ ἐπεπόλαζε. πεμπταῖοι δ' οἱ πρέσβεις εἰσφρήσαντες πρὸς τὸν καίσαρα, καὶ δώροις διακοσμηθέντες βασιλικοῖς, ἐν γράμμασι τὸ παρὰ τοῦ βασιλέως ἀποφέρονται ψήφισμα. ἐπὶ τούτοις δὲ τόν τε σαμὲν καὶ χοσροπερόζην, σὺν δὲ ἄλλους οὓς ἤδη πρότερον κατὰ τὸν τοῦ πολέμου καιρὸν ᾑρήκει τὸ Ῥωμαϊκὸν ὁ αὐτοκράτωρ, ἐς χοσρόην ἅμα τοῖς πρέσβεσιν ἐξαπέστελλεν. ὁ μὲν οὖν χοσρόης τὰ ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ καίσαρος διαναγνοὺς, τήν τε τῶν Ῥωμαίων ἀγασθεὶς ἀρετὴν, τὴν μὲν ἱερὰν, πόλιν καταλιπὼν, ἅμα κομεντιόλῳ ἐς κωνσταντίναν τὸ ἄστυ ἀφίκετο· μικροῦ τε ὕστερον καὶ ὁ τῆς μελιτηνῆς προεστὼς (δομετιανὸς δ' ἄρα οὗτος) βασιλικαῖς ὑποθήκαις γίνεται πρὸς χοσρόην, ὃς πρὸς γένος συνῆπται τῷ βασιλεῖ μαυρικίῳ, τὴν τιμὴν ἱερεὺς, τὴν δὲ περὶ τὸν βίον κατασκευὴν ἱερώτερος, τὸν λόγον ἡδὺς, τὴν πρᾶξιν ταχὺς, τὴν συμβουλὴν ἐμφρονέστατος· συνείπετο δ' αὐτῷ, ὅ τε γρηγόριος ὁ τῆς ἀντιοχέων τοῦ ἱερατικοῦ ἐξηγούμενος. ἔδοξε γὰρ καὶ τοῦτο τῷ βασιλεῖ, καὶ κατεφοίτα πρὸς τὴν πρᾶξιν ὁ λόγος. παραγενηθέντες γοῦν οἱ ἱερεῖς ἐς κονσταντίναν αὐτὴν, λόγοις καὶ δώροις παρηγόρουν χοσρόην, ἐπιδείξεις ἐλπίδων ἀθυμουμένῳ διατιθέμενοι. ὁ μὲν οὖν χοσρόης ἀνὰ

ſcepto negotio, ſempiterna apud omnes infamia flagrare. Decretum igitur illius diei per vrbem imperatoriam omnium ora peruagabatur. Ad Cæſarem die quinto introducti, & muneribus ornati, diploma auferunt. Poſthæc Samen, Choſroperozen, alios item à Romanis belli tempore captos ad Choſroen cum Legatis remittit. Choſroes libello perlecto, virtutem Romanorum ſuſpiciens, Hierapoli relicta, vnà cum Comentiolo Conſtantinam petit. Paulò pòſt & Melitenes Præſul Domitianus, genere Mauricium attingens, & cum honore ſanctus (ſacerdos) tum vitæ inſtituto ſanctior, ſermone ſuauis, actione ſollers, conſilio prudentiſsimus, auctoritate imperatoria ad Choſroen contendit, quem Gregorius Antiochenus Antiſtes comitatur: nam & hoc Imperatori placuerat, & voluntati eius re ſatisfiebat. Hi Conſtantinam ingreſsi, alloquio, & donis Choſroen conſolantur, afflictumque ad bene ſperandum exſuſcitant. Is Legatos Niſibim mittens, Perſis memoriam veteris beneuolentiæ in genus regium redintegrat, leniter eos admonens, ne tyrannicam poteſtatem patiantur: neue antiquam, & patriam

legem,

τὴν νίσιβιν πρέσβεις ἀπέστελλεν, ἀ-
ναμιμνήσκων πέρσας τῆς εὐνοίας τῆς
ἐς τὸ βασίλειον γένος, παρακα-
λῶν τῷ ἠπίῳ τῆς παραινέσεως, ὡς
οὐ δεῖ τυράννων ἐξουσίας ἀνέχεσθαι,
καὶ καθυβρίζειν νόμον ἀρχαῖον καὶ
πάτριον, καλῶς γεγηρακότα τῇ
περσῶν βασιλείᾳ, καὶ μηδέ ποτε
τῷ νεωτέρῳ τῆς καθαιρέσεως ἀπε-
νεγκάμενον τὸ ἀδόκιμον. τῷ δὲ βα-
ρὰμ ἐπεὶ κατάδηλον γέγονεν ὡς διε-
σώθη μὲν ὁ χοσρόης, ὅπως τε Ῥω-
μαῖοι φιλοφρόνως αὐτὸν ἀνεδέξαν-
το, τό δ᾽ αὐτὸ καὶ παρὰ τοῦ αὐτοκρά-
τορος διὰ τῶν πρέσβεων ὡμολό-
γητο, πρέσβεις ἐξέπεμψεν, ἀξιῶν
τὸν αὐτοκράτορα, μηδαμῶς ταῖς
χοσρόου τύχαις ἐπικουρεῖν διισχυρι-
ζόμενος, νίσιβίν τε πόλιν παρα-
διδόναι Ῥωμαίοις, καὶ τὰ ἄχρι τι-
γρίδος ποταμοῦ. ὁ μὲν οὖν βαρὰμ
τὴν ἄλλως ἐπλανᾶτο, οὐ γὰρ οἷός τ᾽
ἦν διαφθείρειν τὴν τοῦ βασιλέως
ὁσιότητα. οὐ πολλαῖς δὲ ἡμέραις, καὶ
τὸ σοβαρὸν ἐξογκωσάμενος, τοὺς
μὲν συμμάχους ἀθετούμενος κατά-
φορος ἦν, τῷ τε περσικῷ φορτι-
κός τε ὑπῆν, καὶ ταῖς ἐπιβολαῖς ἀ-
κατάσχετος, πρὸς τὸ χαλεπώτε-
ρον ἐξαγριαίνων τὸ τύραννον. καὶ οὖν οἱ ἀξιολογώτατοι σατράπαι τῆς τοῦ-
του δυνάμεως ὑποσυρρέουσι συσκευὴν, ὅπως δολοφονηθείη βαράμ.
Οἱ μὲν οὖν ἔξαρχοι τῆς περὶ τὸν βαρὰμ συσκευῆς, ὅ, τε ζαμένδης, καὶ ζο-
άμβρης ὁ πέρσης. προσεταιρισάμενοι γοῦν οὗτοι καὶ ἑτέρους τῆς βαβυλω-
νίας πλήθους λογάδας, ὡς ἐνῆν τὰ τῆς ἐπιβουλῆς ἐξελίπαινον. ὑποτο-

legem, quæ probè in regno Per-
sico ſenuerit, & nunquam iunio-
ri regem veterem loco mouendi
ius permiſerit, cum inſolentia
abrogent. Varamus vt Choſro-
en ſeruatum, & à Romanis be-
nignè exceptum didicit, idque
ipſum ei Imperator miſsis Lega-
gatis confeſſus eſt, miſsis & ipſe
Legatis rogat, ne inclinatum at-
que iacẽtem Choſroæ fortunam
vllo modo reſpiciat, paciſcens,
ſe Niſibim, & quantum eſſet in-
de locorum ad Tigrim, Roma-
nis daturum. Sed fallebatur
multum, nec enim poterat Im-
peratoris ſanctimoniam corrũ-
pere. Non multi effluxerunt di-
es, cum ſuperbia turgidus, ſo-
cios manifeſtè aſpernari cœpit,
moleſtuſque & odioſus eſſe Per-
ſis, nec impetus cohibere, & ad
tyrannidem crudeliorem effera-
ri. Quare Principes Satrapæ de
eius exercitu occultè coëunt, &
inſidias ei occidendo inſtruunt.
Harum anteſignani Zamendes,
& Zoambres, aſcitis inſuper ad
communionem facinoris qui-
buſdam aliis de Perſarum nu-
mero, eas vt poterant confirma-
bant: ratique Bindoem, quem
Varamus in carcerem dederat,

πάσαντες δὲ καὶ Βινδόην πρὸς κοινοπραξίαν αὐτοῖς εἶναι λυσιτελέστερον (οὗτος δὲ ὑπὸ τοῦ Βαρὰμ κατῴκει εἱρκτήν) ἀναπληροῦσιν ἔργῳ τὸ βούλημα, καὶ ἀθρόον εἰς τὴν φρουρὰν εἰσπηδήσαντες, τῶν δεσμῶν τὸν Βινδόην διαλυσάμενοι, ταγματάρχην τε λόχου χειροτονήσαντες, οὔσης νυκτὸς εἰς τὰ βασίλεια τῷ Βαρὰμ ἐπιτίθενται. ὁ μὲν οὖν Βαρὰμ δευτέρα φυλακῇ τῆς νυκτὸς τῆς συσκευῆς ἐν γνώσει γενόμενος, ἐξοπλίσας τοὺς φύλακας, σιδηροφορεῖν ἐγκελεύεται, τούς τε ἔναγχος ἐκ τῶν ἐθνῶν προσκεχωρηκότας αὐτῷ παρασκευασάμενος, τοῖς ἐμπεσοῦσιν ἐς τὸ καρτερὸν ἀντετίθετο. καὶ τῆς νυκτομαχίας ἰσχυρᾶς γενομένης, ὑπέρεσχε Βαράμ. καὶ ζωγρήσας τοὺς πατέρας τοῦ ἐγχειρήματος, ἡμέρας ἤδη λαμψάσης ἀρθροτομεῖ τῶν μελῶν τούτων τὰ πρακτικώτερα. εἶτα ὑποστορέσας τὰ λοιπὰ σώματα τοῖς ἐλέφασιν, εἶα πατεῖσθαι, καὶ τὸν πανώλεθρον τοῦτον ἐκείνοις ἀποφέρεσθαι θάνατον.

cœpto communi fore idoneum, deliberata opere complent, confertimque in custodiam irrumpentes, solutum vinculis, cohortis suæ ducem creant, eademque nocte Varamum in regia occupant adoriri. Qui secunda iam vigilia insidiis sibi apertis, custodibus arma imperat. Præterea qui nuper ex gentibus ad eum accesserant, eos quoque obarmat; & ita irruentibus summa ope resistit. Totis viribus de nocte confligitur, Varamus vincit, captisque cœpti huius auctoribus, lucente iam sole membra actuosiora frustatim præcidit; reliquum corpus elephantis ad mortẽ crudelissimam inferendam substernit.

CAPVT

CAPVT XV.

Bindoes euadit; copias Andrabigano educit: Mystaconem de statu Chosroæ docet, quem armis iuuandum Imperator Mystaconi commendat. Varami casus cum lætitia narrantur, & audiuntur. Bindoes regiam pecuniam in militem erogat. Nisibim obsidentes ad Chosroæ partes accedunt. Arabia, & vrbes vsq; ad Tigrim Chosroæ traduntur. Martyropolis Romanis opera Domitiani Episcopi deditur. Chosroes vt ingratus castigatur. Sittas proditor ignibus crematur. Perfidi Romani puniuntur. Domitianus festum diem indicit, concionem gratulatoriam habet.

Ὁ μὲν οὖν Βινδόης ἅμα τοῖς σὺν αὐτῷ διαδιδράσκει τῆς συμφορᾶς παραδόξως τὸν κίνδυνον. καὶ ἐπὶ τὸ Ἀδραβίγανον ὡς τάχιστα γίνεται. ἐκεῖσε γοῦν στρατοπεδευσάμενος, πλείστους τοῦ περσικοῦ ἐπηγάγετο, καὶ τὰ Χοσρόου φρονεῖν τοὺς ἀφεστηκότας πως ἐπιθάσευε. δεκάτῃ δὲ ἡμέρᾳ καὶ ὡς τὸν Ἰωάννην (ὃν Μυστάκωνα Ῥωμαίοις ἔθος ἦν κατονομάζειν) ἀπέστελλεν ἄγγελον, τὰ νεώτερα δράματα γνωρίζων αὐτῷ, ἀξιῶν τε μαθεῖν, ὅπως τῷ Χοσρόῃ ἀπελώτησε τῆς εἰς Ῥωμαίους προσχωρήσεως ἡ ἐγχείρησις. ὁ μὲν οὖν Ἰωάννης γράμμασι τὸ ἄκουσμα παραπέμψας τῷ αὐτοκράτορι, τοὺς ὑπὸ Βινδόου πρέσβεις παρακατεῖχε, καραδοκῶν τί ἂν παρασταίη παρὰ τῶν ἐγνωρισμένων τῷ αὐτοκράτορι. ὁ δὲ βασιλεὺς Μαυρίκιος τῷ Ἰωάννῃ προσέταττε, τοῖς ταῦτα τῷ Χοσρόῃ φρονοῦσι συμμαχεῖν τε ἐκθύμως, καὶ πᾶσαν αὐτοῖς καλοκαγαθίας πίστιν παρέχεσθαι, ὅπως πρὸς τὸ

Bindoes cum suis discrimine calamitatis præter opinionē liberatus, Andrabiganū properatò venit: vnde magnam Persarum manum in expeditionem educens, desertores Chosroæ ad officium præstandum bonis verbis reducit. Die decimo ad Ioannem cognomento Mystaconem mittit, qui nuper acta eidem exponat, & vicissim discat, quo pacto Chosroæ conatus sese cum Romanis coniungendi processerit. Ioannes per litteras Imperatori audita perscribit; Legatum apud se retinet; Imperatoris de iis rescriptum exspectat. Mauricius Ioanni præcipit, vti à Chosroa stantes promptê alacriterque iuuet, & ad eneruandam, ac debilitandam Varami tyrannidem integerrimam eis fidem præstet. Pridie porrò Bestamius, quem Chosroes in Armeniam legarat, ad Ioannem venit; cui Ioannes tum aduen-

ἀσθενέστερον εἴδοι τοῦ Βαράμου τὸ τύραννον. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ ὁ Βεστὰμ, ὁ παρὰ τοῦ Χοσρόου ἐς τὰς Ἀρμενίας σταλεὶς, ἀφικνεῖται παρὰ τὸν Ἰωάννην. ὁ μὲν οὖν Ἰωάννης τήν τε Βινδόου παρουσίαν τῷ Βεστὰμ παρεδήλου, τά τε τῷ Βαρὰμ συντετυχηκότα, ὡς ἀξιαφήγητα, λίαν περιχαρῶς παρετίθετο. καὶ οὖν ὁ Βεστὰμ περιγάννυται τοῖς ἀκροάμασι, καὶ ἐς Χοσρόην ἐξέπεμπεν ἄγγελον, ταῦτα δὴ γνωρισόμενον. ὁ δὲ Βινδόης πάλιν ἐγγελῶντα τὰ πράγματα τῷ Χοσρόῃ θεώμενος, μέγα περιβάλλεται θάρσος. καὶ χρήμασι βασιλικοῖς ἐντυχὼν, τοῖς ἀμφ' αὐτὸν διανέμει, ὡς εἶχεν ἑκάστῳ εὐνοίας ἀλκῆ. ἐπεὶ δ' οἱ τὴν Νίσιβιν περικαθήμενοι φίλον τὸν αὐτοκράτορα Χοσρόῃ διέγνωσαν, συμμάχους τε αὐτῷ δυνάμεις μεγάλας κατεπομβρίσαντα, γίνονται εἰς Κωνσταντίναν, τὴν γνώμην μετακοσμήσαντες. ὁ δὲ πολιοῦχος ὑπὸ Χοσρόου λιπανθεὶς ταῖς ὑποσχέσεσι, καὶ ταῖς ἐλπίσι χαριζόμενος πάντα, ἅπασαν Ἀραβίαν τάς τε μέχρι Τίγριδος ποταμοῦ, πρὸς τὸν Χοσρόην, ὡς ἔστιν εἰπεῖν, μετατίθησιν. Οἱ δὲ τῆς Μαρτύρων ἐχόμενοι πόλεως, καίτοι τῆς πολιορκίας ὑπὸ Ῥωμαίων ἐπιστασούσης, τοῖς ἐν παραβύστῳ τοῦ Χοσρόου προστάγμασι πειθήνιοί πως γινόμενοι, οὐκ ἐδίδοσαν τὴν πόλιν Ῥωμαίοις, ἀλλὰ καὶ μάλα καρτερῶς ἀντετάττοντο. τοιγαροῦν ὅτε καταφορος πανουργῶν γέγονεν ὁ Χοσρόης, Δομετιανὸς λογισμοῦ ἀγχινοίᾳ δυσκατα-

tum ad se Bindois, tum quæ Varamo euenerint, vt dignissima narratu, mira cum voluptate explanat. Iis Bestamius quoque maiorem in modum recreatus, ad Chosroen super iis litteras facit. Cernens Bindoes fortunam Chosroen iterum fulcire, ingenti impletur fiducia, pecuniamq; regiam suis, pro beneuolentia in vnumquemque dilargitur. Ad Nisibim sedentes, vt Imperatorem Chosroæ amicum esse, eique magnas submisisse copias intellexerunt, immutati animis Constantinam procedunt. Præfectus autem Nisibenus, pollicitationibus Chosroæ inescatus, & spei per omnia gratificans, vniuersam Arabiam, omnesque vrbes ad Tigrim vsque (prope dixerim) Chosroæ transcribit. Cæterûm qui Martyropolim aduersus Romanos tuebantur, clandestinis Chosroæ mandatis morem gerentes, ac deditionem minimè facientes, viriliter admodum vim propulsabant. Proinde vbi astutè agere Chosroes deprehēsus est, Domitianus sollerter excogitatū, & labefactatu difficile consilium nequitiæ Persicæ opponens, tectā fraudē bullæ instar exsufflādo dissoluit. Accersi-

μάχητον ἀντιστρατεύσας βουλὴν
τοῦ περσικοῦ δόλου, δίκην πομφολύ-
γων ἐκ φύσεως διαλύει τὸ ὕπουλον.
μεταπεμψάμενος γὰρ ὡς ἑαυτὸν τοὺς
ἀξιολογωτάτους τῶν περιφρουρούντων
τὸ πόλισμα, οὓς μὲν ὑπήγετο λόγοις,
οὓς δ' ἐξωνεῖτο τοῖς δώροις. ἀναμιμ-
νήσκων τήν τε τῶν Ῥωμαίων ἐπιστα-
σίαν ἐσκειμένην τῇ πόλει, τόν τε χοσ-
ρόην τῆς τοῦ βασιλέως ἐπικουρίας
δεόμενον, τόν τε βαρὰμ ἀμφίβολον
περικείμενον τύχην, καὶ τοσαύτην εἶ-
χεν ὁ λόγος τὴν δύναμιν, ὡς διαιρε-
θῆναι ταῖς γνώμαις τοὺς τὴν μαρτύρων
πόλιν κατέχοντας, ἑκὼν ἀέκοντι θυ-
μῷ. ἔστω γάρ μοι νῦν τῆς ἐκείνου γνώ-
μης ζωγράφος ὁμηρίζουσα γλῶττα.
καὶ δῆτα εὐνοῦχον εἰς τὴν βασιλικὴν
δορυφορίαν συντεταγμένων αὐτῷ
τὸν κορυφαιότατον (ὃν πραιπόσιτον
εἴθισται Ῥωμαίοις ἀποκαλεῖν) ἀνὰ τὴν
μαρτύρων πόλιν ἐξέπεμψε, παρακε-
λευόμενος πέρσαις τὸ ἄστυ καταλι-
πεῖν, καὶ περὶ τὴν νίσιβιν ἀγραυλίζε-
σθαι. οἱ μὲν οὖν πέρσαι τοῦ βασιλέως
χοσρόου μεταβαλόντος τὴν γνώμην,
σπονδὰς μετὰ τῶν πολιορκούντων συν-
θέμενοι, τῆς πόλεως ἐξεχώρησαν. τῶν
τοίνυν ἡγεμόνων ἐς κωνσταντίναν ἡκόν-
των, ὤφθη καὶ σίττας ἐκεῖνος ἀνα-
μεμιγμένος αὐτοῖς, ὁ τὴν μαρτύρων πόλιν ὁρμίσδα τῷ περσῶν βασιλεῖ
παρασχόμενος δόλῳ. ὁ μὲν οὖν δομετιανὸς διεστείλατο χοσρόῃ, ὡς οὐχ ὅσια εἰς
εὐεργέτας καὶ Ῥωμαίους διεγχειρεῖ, ἀνεχόμενος ἀνδρὸς προδότου, πολλὰ εἰς
Ῥωμαίους κακὰ διανύσαντος, ἀναμιμνήσκων ὡς καὶ τῷ βαρὰμ φίλος
σίττας γεγένηται, καὶ ἥκιστα συνοίσειν αὐτῷ περὶ πολλοῦ ποιουμένῳ ἄνδρα παλαμ-

tis enim ad se pręcipuis de præsi-
dio, quosdã verbis inducit, quos-
dam donis pellicit, eos & Roma-
norum vrbi capiendæ insisten-
tium, & Chosroæ Imperatoris
subsidio indigentis, & ambiguæ
incertæque fortunæ Varami co-
monefaciens. Ac tantum valuit
Domitiani oratio, vt sententiis
discordarent præsidiarij, ἑκόντ', ἀέκοντί γε θυμῷ, *volentes nolentesque*
(liceat enim nunc mihi eorum
sensum Homericis verbis depin-
gere.) Quocirca eunuchum, sa-
tellitũ regiorum principem (quẽ
Romanis Præpositũ vocare mos
est) Martyropolim mittit Chos-
roes, hortaturque Persas, vti vr-
bem tradant, & Nisibin conce-
dant. Persæ Chosroe immutato,
pacta conuenta cum obsidenti-
bus ineuntes, oppido excedunt.
Ducibus ipsis Constantinam in-
trantibus, inter eos etiam Sittas,
qui Hormisdæ Martyropolim
dolo prodiderat apparuit. Do-
mitianus Chosroæ denuntiat, il-
lum aduersus Romanos de se be-
ne meritos iniustum videri, cum
proditorem, deque Romanis ita
meritum, vt qui pessimè, toleret;
admonens, eum Varamo quoq;
amicum fuisse, & hominem pe-
stilentissimum, perfidissimumq;

ταῖον καὶ ἀπιστότατον. μήπου γε τὰ Ῥωμαίων πλήθη συστραφέντα, αὐτοῦ Χοσρόου καὶ τὸν Σίτταν διαχειρήσονται καὶ τὰ τῆς ἀγωνίας τῷ Βαρὰμ λάβοι ἀνάπαυλαν. ἐπὶ τούτοις συνιδὼν ὁ Χοσρόης, καὶ τὸν παρόντα καιρὸν κολακείας ἀποπειράμενος, ἔκδοτον Κομεντιόλῳ Σίτταν καθίστησι· δευτέρᾳ δ' ἡμέρᾳ ὁ στρατηγὸς ἐπ' ὄψεσι τοῦ ὁπλιτικοῦ αἰκισάμενος, τοῦτον τῷ πυρὶ παρεδίδου κατανθρακώσας τε τῇ φλογί, δίκην τῶν ἡμαρτημένων τὸν Σίτταν εἰσέπραττεν. ὁ μὲν οὖν Δομετιανὸς ἱεροπρεπῶς ἐς τὰ περὶ τὴν ἀνάληψιν τοῦ ἄστεος διεπονεῖτο, ὡς ἐνῆν ἐς τὰ μάλιστα. τούς τε συνομοσαμένους τοῖς βαρβάροις Ῥωμαίους ἐς τὴν τοῦ ἄστεος ἅλωσιν, Κομεντιόλῳ παρεδίδου τῷ στρατηγῷ. τούτων τοίνυν ἀξίας ὑποσχομένων δίκας τῶν κατὰ τῆς πατρίδος διαπεπραγμένων αὐτοῖς, ὁ ἱερεὺς τῆς σωτηρίας τὴν ἑορτὴν ἐγκαινίζων τῆς πόλεως, πανήγυρίν τε τοῖς καλλινίκοις συστησάμενος μάρτυσιν, ἐπὶ τῶν βημάτων τῶν ὑψηλῶν τῆς ἐκκλησίας γενόμενος, παιωνίζων ᾆσμα καινὸν τῷ Χριστῷ ἐπινίκιον, τοῖς ὠσὶ τοῦ κατηκκλησιασθέντος λαοῦ τάδε που δημηγόρευεν.

benefactis suis malè gratiam relaturum; ne fortè coëuntes Romani ipsum, & vnà Sittam è medio tollant, bellumque cum Varamo terminetur. Ob hanc caussam prudens Chosroes, & opportunitatem temporis præsentem obsequio emēdam censens, Comentiolo Sittam addicit: quem ille postera luce in omnium conspectu flagris cęsum rogo tradit, & flammis delictorum pœnas ab eo reposcit. Domitianus igitur, vt sacerdotem decebat, & quantum maximè poterat, pro vrbe recipienda laborabat. Ast Romanos, qui ad vrbem occupandam cum barbaris malè conspirauerant, duci contradidit, quibus pro scelerate contra patriam perpetratis commerito supplicio multatis, Episcopus festum diem partæ salutis ciuitati instaurans, martyribusque præclaclaris victoribus panegyrin, siue celebritatem instituens, è sublimi Ecclesiæ suggestu, ad gratulandam Christo victoriam canticum nouum cantans, ad populū congregatum ita disseruit.

CAPVT

CAPVT XVI.

Festiuissima Domitiani concio ob receptam Martyropolim, qua populus ad lætitiam inuitatur: clementia Imp. eximiè commendatur; exemplum humanitatis Iesu Christi seruatoris nostri inducitur; Persisq; hostibus insultatur. Applausus populi, & præ gaudio lachrymæ erumpentes.

Οὐκ ἐν πολέμοις μόνον, καὶ συμπλοκαῖς, καὶ ἐκτάξεσι ταῖς σάλπιγξιν ὁ Δαβὶδ ἀλαλάζει, ἀλλὰ καὶ ἐν εὐσήμῳ ἡμέρᾳ ἑορτῆς τῷ ἐπὶ πάντων σαλπίζει θεῷ. πρέπει γὰρ καὶ πολεμικοῖς ὀργάνοις ὑμνεῖσθαι θεόν. ἀρχιστράτηγος γὰρ οὗτος ἐκτάξεως, κραταιός τε καὶ δυνατὸς ἐν πολέμοις πρεσβεύεται, καὶ ἐξ ὧν ἡ εὐδόκησις πέφυκεν, ἔδει τοῦ πάντως προελθεῖν καὶ τὴν αἴνεσιν δεῦτε, καὶ ἡμεῖς ταῖς νοηταῖς ἀλαλάξωμεν σάλπιγξι, ταῖς διανοίαις φημὶ, οὐ κερατίναις, ὡς ἰουδαίοις νενομοθέτηται. οὐ γὰρ ἀλόγων μέλεσι διὰ τὸ παχὺ τῆς διανοίας γεραίρειν ἡμεῖς θεὸν προσετάχθημεν. συστησώμεθα γοῦν ἑορτὴν, μὴ ἕως τῶν κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ μόνον διήκουσαν, ἀλλὰ μέχρι τῆς ἄνω ἱεραρχίας αὐτοῦ τοῦ θεοῦ, ἧς ἀρχιερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα, κατὰ τὴν τάξιν μελχισεδὲκ, ὁ ἐκ δεξιῶν τῆς μεγαλωσύνης καθήμενος, καὶ ἔστι, καὶ ὀνομάζεται. τῷ ὄντι γὰρ ἐν βραχίονι κράτος ἐποίησεν. ὄρη ταπεινώσας φρυάγματος, καθελὼν ἀπὸ θρόνων δυνάστας, καὶ πάλιν στηλιτεύων ἐπὶ τῆς Βαβυλωνίας τὰ μεγαλεῖα τοῦ πνεύματος, δουλαγω;

NON inbellis tantummodo, " atque in præliis, & congres- " sibus, sed etiam in insigni die so- " lennitatis, Dauid Deo altissimo " tuba canit. Condecet enim bel- " licis quoq; instrumentis collau- " dare Deum, qui primarius in pu- " gna dux, fortisque & potens in " prælio colitur: & vnde natum est " decus, inde quoque laudem pro- " cedere planè oportet. Agite dũ, " nos quoq; tubis, quæ intelligen- " tia percipiuntur, clangamus; a- " nimis, inquam, non corneis tu- " bis, quemadmodum lex Iudæis " præscripta requirebat. Nec enim " nos, vt illi, propter mentium he- " betudinem animantium bruta- " rum membris venerari Deum " iussi sumus. Constituamus itaq; " diem solennem, non vsq; ad cor- " nua altaris duntaxat: sed vsque " ad cœlestem hierarchiam perti- " nentem, cuius ἀρχιερεὺς Pontifex " in æternum, secundum ordinem " Melchisedech, sedens ad dexte- " ram maiestatis Dei, & est, & no- " minatur. Profectò potentiam fe- " cit in brachio suo, montium fa- " stum humiliauit, & depositis de " sede potentibus, rursum magna- " lia spirit' super Babylone omni- "

bus

,, γοῦνται γὰρ λέοντες καὶ δράκοντες, ἀπο-
,, πνίγονται, καὶ βὴλ, καὶ μίθρας αἰχμα-
,, λωτίζονται, καὶ μαλακύνεται πῦρ, μή-
,, τε μαρτύρων ἐσθῆτος τυραννῆσαι δυ-
,, νάμενον, ὑπὸ νάφθας, καὶ πίττης ἀ-
,, φθόνως καταρδευόμενοι. πάλιν δεξιὰ
,, κυρίου ἐποίησε δύναμιν, ἐπάρσεως κα-
,, ταδιαιτῶσα χαλδαϊκῆς, οὐκ ἐν τοί-
,, χῳ, ἀλλ' ἐν οὐρανῷ τὴν προαγόρευ-
,, σιν γράφουσα. καὶ διαιρεῖται βαβυ-
,, λώνια σκῆπτρα· καὶ ὑβριστὴς κατα-
,, βάλλεται θρόνος· καὶ πάροινος βα-
,, σιλεία συστέλλεται· καὶ τιμᾶται πάλιν
,, τὸ ταπεινούμενον· καὶ κρατύνεται τὸ νι-
,, κώμενον· πάλιν τὴν στεῖραν πόλιν διὰ
,, τὸν πόλεμον, ὡς μητέρα δι' εὐτεκνίαν
,, εὐφραινομένην ἐστὶ θεάσασθαι. μηδεὶς
,, ἀμπεχέσθω τῆς βασιλικῆς ταύτης
,, πανηγύρεως ἀναξίαν ἐσθῆτα. πάντες
,, τῇ καθαρότητι τοῦ βίου λευχειμονή-
,, σωμεν, ἵνα μὴ ἀνάξιος τῆς εὐωχίας
,, τῇ ψυχῇ περιβαλόντες στάλισμα, ἀ-
,, νάξιοι φανῶμεν τῆς μεταλήψεως, καὶ
,, τὰ ἀκόλουθα καταπειθῶμεν τοῦ ἀπο-
,, τάξεως. ἐγκαινίζου πόλις ἀγαλλιά-
,, σεως, ἥκει γάρ σου τὸ φῶς, καὶ ἡ δόξα κυ-
,, ρίου ἐπί σε ἀνατέταλκε· τάδε μοι λέγει
,, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ τὴν ἐπαγγε-
,, λίαν ἀσπάζομαι, καὶ ἡ νῦν ὑπὲρ τὴν
,, προτέραν φαιδρότητα δόξα, καθέ-
,, στηκεν. οὐ γὰρ δήμους μαρτύρων ἐν τοῖς
,, ἔμπροσθεν καὶ πρεσβυτέροις χρόνοις
,, ἐκέκτησο. πᾶσαν ἀτραπὸν, καὶ λεωφό-
,, ρον τῶν σῶν λαγόνων ἐπικυμαίνοντα.

bus prodidit. Subiguntur enim leones, & dracones eliduntur, & Bel, atque Mithras captiui abducuntur: Flaccescit ignis, & quanquã naphta, ac pice largiter imbutus, nec vestem quidem martyrum adurere potest. Iterum dextera domini fecit virtutem, cõpressitq; spiritus Chaldaicos, non in pariete, sed in cœlo prædictionem scribens: & diuiduntur sceptra babylonica: & thronus insolens deiicitur; & regnum temulentũ contrahitur: & quod humiliatum erat, denuo honoratur; & quod victum erat, corroboratur. Rursus sterilem vrbem propter bellum, vt matrem ob filiorum multitudinem lætãtem aspicimus. Nemo vestem hoc panegyrico festo indecorã induat: omnes vitæ morumq; cãdore ac puritate candidum gestemus habitum; ne si animam secus, quâm regale conuiuium deceat conuestiuerimus, qui ad id admittamur, indigni iudicemur; & his damnemur, quæ ab eodẽ eiectos consequuntur. Renouare, renouare vrbs exultationis: venit enim lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Hæc enim dicit Spiritus sanctus, & ꝑmissa amplector; & quę nunc est gloria, priorẽ claritatem superat. Haud enim populos martyrum superiore memoria pos-
,, sidebas, omnem semitam, & compita tuorum viscerum inundantes.

Plus

manos fames occupat. Cumque Christianis solennia mortis, & Resurrectionis Domini Saluatoris in foribus essent, Romanique commeatus inopia premerentur, inexspectata quadam prouidentia, Chaganus legatione missa, significat, si eis placeat, velle se eorum famem depellere. Priscus petitionis nouitate anceps hærere, ac diffidere. Postquam verò inter vtrosque data & accepta est fides, dierum quinque compositis induciis, Chaganus esurientibus plaustra cibariis referta submisit. Quocirca vsque hodie barbarica ista humanitas vt admirabilis, & præter omnium opinionem exhibita celebratur. Die quarto, cum iam Romani rebus ad victum requisitis abundarent, Chaganus à Prisco Indica aromata petit: cui ille morem gerens, piper, folium Indicum, casiam, & costum, vt vocatur, mittit. Barbarus donis Romanorum acceptis, & aromatibus delinitus, incredibiliter lætatur, & ab armis temperat, quoad publica illa, & præcipua celebritas præteriit. Habitabant igitur simul sub iisdem pellibus extra omnem metum aduersariæ copiæ. Festis diebus transactis, Chaganus per nuntios agmina secerni

ψε. διακρίνεσθαι ἀπ' ἀλλήλων ἀξιῶν τὰς δυνάμεις. οὕτω μὲν οὖν διαχωρίζεται ἀπὸ τῶν Ῥωμαίων ὁ βάρβαρος. ἑκταῖος δὲ ὁ χαγᾶνος, ἐπεὶ ἀκηκόει κομεντίολον δυνάμεις ἀναλαβόμενον μέλλειν τῇ νικοπόλει προσομιλεῖν, τὸ ὁπλιτικὸν συλλεξάμενος κατὰ κομεντιόλου στρατοπεδεύεται. κομεντίολος δὲ ἤκουσε τὸν χαγᾶνον ἀκούσας, ἐπὶ τὴν μυσίαν χωρεῖ, ἐπί τε ζικίδιβα τὰς σκηνὰς συνεπήξατο. ἑβδομαῖος δὲ εἰς ἰατρὸν ἀφικνεῖται τὴν πόλιν. ὁ δὲ βάρβαρος εἴκοσι παρασάγγας ἀφεστήκει Ῥωμαίων. νυκτὸς δὲ μεσούσης, ἐν ἀπορρήτῳ πρὸς τὸν χαγᾶνον ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς ἐξέπεμψεν ἄγγελον, εἶτα τὸ Ῥωμαϊκὸν προσέταξεν ἐξοπλίσασθαι, ὡς ἐκ τοῦ παρήκοντος τὸν λόγον ποιούμενος. οὐ γὰρ ἔφησε Ῥωμαίοις ἐξ ἑωθινοῦ ποιήσασθαι παράταξιν. οἱ μὲν οὖν Ῥωμαῖοι τοῦ πολεμάρχου χάριν ὑποτοπάσαντες ὁπλοφορεῖν προστάξαι τούτοις τὸν στρατηγὸν, τοῖς σιδηρείοις χιτῶσι τὰ περιστέρνια φράττουσιν. ἐδόκει γὰρ αὐτοῖς ἐξέτασιν τοῦ ὁπλιτικοῦ ποιήσασθαι ἐθέλειν τὸν στρατηγόν. τὰς ἀκτῖνας τοίνυν ἡλίου περιβαλόντος τῇ γῇ, ὁρῶσιν οἱ Ῥωμαῖοι μετ' εὐκοσμίας συντεταγμένον τὸν βάρβαρον τήν τε ἔκταξιν κατ' αὐτῶν συντόνως ποιούμενον. αἱ μὲν δυνάμεις αἱ περὶ τὸν κομεντίολον ἐβλασφήμουν εἰς τὸν πολέμαρχον, αἴτιον αὐτὸν τῆς παρασκευάσεως ταύτης ἀκοσμίας καταιτιώμεναι. θρύλλου τοιγαροῦν γεγονότος μεγίστου, μένει ὁ βάρβαρος ἀπὸ σημείων δύο τοῦ Ῥωμαίων πλήθους.

postulat. Ita Romani à barbaris separantur. Die sexto, vbi comperit Comentiolum venturum cum exercitu Nicopolim, aduersus eum procedit. Comentiolus id rescíscens, in Mysiam abit, & ad Zicidiba castra locat. Die septimo ad Iatrum vrbem accedit. Barbar' viginti parasangis à Romanis aberat. Nocte media dux Romanus secretò nuntium ad Chaganum mittit. Deinde obiter, & quasi in transitu loquens, militem arma capere iubet. Non enim dixit, illos manè conflicturos. Romani coniectantes ducem suimet caussa iubere arma expediri (quòd exercitum in armis lustrare vellet) tunicis ferreis pectora communiunt. Vbi sol radios per terras diffudit, barbarorum ordines contra infestos tendere aspiciunt. Tum conuitia in ducem iactantes, ipsum, vt confusionis istius dedita opera auctorem accusant. Tumultu igitur ingenti excitato, barbarus altero lapide â Romanis constitit.

CAPVT

CAPVT XIV.

Romani diligentius sese obarmant. Comentiolus de permutatis ordinibus reprehenditur. Eius astus. Romanorum fuga, barbari claustra transitu prohibendo circumsident: à Romanis repelluntur. Comentiolus vt ignauus fugitor Driziperis ingressu contumeliosè arcetur. Eam vrbem barbari occupant. In templum Alexandri martyris, eiusq́; cineres eorum impietas.

Ῥωμαῖοι τοιγαροῦν θεασάμενοι ἀναβολὴν τῆς ἐπιβολῆς τοὺς βαρβάρους λαμβάνοντας, σιδηροφοροῦσιν ἅπαντες λίαν ὁπλιτικῶς, καὶ τὴν αὐτοῖς τὸ κακῶς παροφθὲν, πρὸς διόρθωσιν εὔκαιρον. ὁ γὰρ κομεντίολος τὰς τάξεις ἐτάραττε, ποτὲ μὲν ἀπὸ τῆς μέσης φάλαγγος τὰς δυνάμεις μετατιθέμενος ἐπὶ τὸ εὐώνυμον κέρας· ποτὲ δὲ τοὺς ἀπὸ τῶν εὐωνύμων δυνάμεων ἐπὶ τὴν δεξιὰν μεταβάλλων. τῇ τοίνυν ἀλλοπροσάλλῳ μεταθέσει τῶν τάξεων πολλῆς γίνεται αἴτιος ἀκοσμίας. ἐντεῦθεν τάραχος ταῖς τάξεσι συνεκύρησε. καὶ οὖν ὁ στρατηγὸς τῷ δεξιῷ τῆς παρατάξεως κέρατι ἐν παραβύστῳ ἐδήλου, τὴν ἀποσκευὴν διασώσασθαι, καὶ πρὸς φυγὴν παραυτίκα χωρῆσαι. ἀντὶ πολλοῦ τοίνυν τοῦτο ὑποτεταγμένοι περιπτυξάμενοι, ἀποκλίνουσι πρὸς φυγήν. ἐντεῦθεν αἱ λοιπαὶ τῶν Ῥωμαίων δυνάμεις τοῦτο θεασάμεναι, πρὸς τάραχον καταπίπτουσι. δυομένου τοιγαροῦν τοῦ ἡλίου ἀπὸ σημείων δύο Ῥωμαίων ποιησαμένων χάρακα. ἐν τούτῳ δῆτα τῷ χώρῳ στρατοπεδεύονται. οἱ δὲ ἄβαροι οὐ μετεφοίτων τὸν τόπον, ἔνθα τῇ προτεραίᾳ τὰς διατριβὰς ἐπεποίηντο.

Romani cernentes barbaros gradum sistere, omnes ferro se se quàm maximè instruunt; quodque malè neglectum fuerat, id eis emendandi opportunitatem porrigit. Comentiolus autem perturbare ordines, & nunc quidem è media phalange in sinistrum, nunc è sinistro in dextrum cornu transferre. Qua commutatione multam in exercitum confusionem, perturbationemque induxit. Eos igitur qui dextrum cornu tenebāt, occultè monet, vt collectis vasis repente fugam ineant. Quod illi pro beneficio singulari amplectentes, terga vertunt. Hoc viso, reliquæ copię tumultuantur. Sole terris ablato, Romani duobus ab hoste milliaribus in castra sua redeunt. Abares loco hesterno non excedunt. Nocte alta, specie quorundam præcurrentium dux quibusdam delectis & armatis, clam iubet, vti fugam arripiant. Manè, vt breuis sim, ferro instructus, venationem insti-

μεσούσης δὲ τῆς νυκτὸς, ἐν προσχήματι προσθηκόντων τινων, ἐπιλέκτων ὁ στρατηγὸς συμφραξάμενος, ἐν ἀπορρήτῳ διαφυγεῖν αὐτοῖς ἐγκελεύεται, εἶτα ἐξ ἑωθινοῦ ὁ κομεντίολος τῷ σιδήρῳ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐνοπλισάμενος, κατειρωνεύετο ὡς ἀπὸ τεττάρων σημείων κυνηγετεῖν. διά τοι τοῦτο καὶ ποδῶν εἶχε, τὴν ἀπόδρασιν ἐποιεῖτο. ἡλίου τοίνυν μεσοῦντος, εἰς ἔννοιαν τῆς κομεντιόλου ἀνοίας τὰ στρατόπεδα γίνεται, καὶ τοῦ στρατηγοῦ κατανενοηκότα τὰς φροντίδας, πρὸς φυγὴν μετατιθέντα, τὸν γείτονα διεπεραιώσαντο ποταμὸν, καὶ ἀποδιδράσκουσι μετά τινος ἀκοσμίας μεγίστης τεσσαράκοντα σημεῖα ἀπὸ τοῦ χάρακος. ἐπεὶ δὲ ἀνηγεμόνευτος ἡ ἀποφοίτησις ἦν, μεγίστοις περιέπιπτον φόβοις. οἱ δὲ βάρβαροι κατόπιν βαδίζοντες, τὸν λεγόμενον ἰατρὸν διενήξαντο ποταμόν. ἐπιτιθεμένων τοίνυν τῶν πολεμίων Ῥωμαίοις, τὸ ὁπλιτικὸν ἀπορίᾳ καὶ δέει μετήρχετο. γίνεται τοίνυν ἡ φυγὴ κραταιὰ τῆς Ῥωμαίων πληθύος. ἐντεῦθεν οἱ βάρβαροι τὰ ἐχυρώματα τῶν διαβάσεων περικάθηνται, κλεισούρας τῇ πατρίῳ Ῥωμαῖοι φωνῇ ἀποκαλεῖν ταῦτα εἰώθασιν. ἀτὰρ ἀναιροῦνται τῶν Ῥωμαίων πολλοί. ἐπεὶ δὲ ὁ φόνος τοῖς Ῥωμαίοις ἦν διαρκής, τὸ ὁπλιτικὸν συστησάμενον φάλαγγα, ἐξωθεῖται βίᾳ τὸν βάρβαρον. οἱ τοίνυν ἄβαροι τῇ ῥύμῃ τῆς ἐπιθέσεως ἀποφοιτῶσι τῶν διαβάσεων. οὕτω μὲν οὖν οἱ Ῥωμαῖοι μεγάλοις κινδύνοις τῶν παρόδων ἀντιλαμβάνονται. ὁ δὲ κομεντίολος ἀσχήμῳ φυγῇ πρὸς τὰ δριζίπερα παραγίνεται, καὶ ταῖς πύ-

tuturum se post 4. milliaria simulat; atque ita summa celeritate fugit. Meridie milites Comentioli amentia perspecta, eiusque cogitationibus intellectis, dantes se in pedes, flumen traiiciunt, confusioneque maxima quadraginta millia passuum à castris fugitant. Quod autem duce carebant, metu ingenti tenebantur. Barbari sequentes, Iatrum amnem transeunt. Hoste instante, Romani & formidine, & consilij inopia conflictati, fugam summo conatu persequuntur. Tum barbari transitus munimenta (quas patria lingua clausuras Romani appellare consueuerunt) circumsident. Magno Romanorum numero interfecto, milites præsidiarij in phalangem densati, vi barbaros pellunt. Abares aduersus vim tantam impares, transitum deserunt, quem Romani acri prælio recuperant. Comentiolus fœdè fugiens, Drizipera venit: ad mœnia vrbis adit: ad corpus calida abluendum introitum flagitat. Ciues imbellem ducem contumeliis, & lapidibus abigunt. Ita ad longum murum discedit. Barbari, vt Romani recesserunt, paula-

tim

λαις προσομιλήσας τοῦ ἄστεος, ἠξίου εἰσόδου τυχεῖν, καὶ θερμοῖς ὕδασιν ἀπορρύψασθαι. οἱ δὲ ἀστοὶ ὕβρεσι, καὶ λίθοις τὸν ἀπόμαχον στρατηγὸν ἀπεπέμποντο. ὁ δὲ κομεντίολος ἐπὶ τὰ τείχη γίνεται τὰ μακρά. οἱ δὲ βάρβαροι κατὰ μικρὸν τῶν Ρωμαίων εἰς τοὐπίσω τραπέντων, ἐπὶ τὰ δριζίπερα παραγίνονται, τήν τε πόλιν ἐπόρθησαν. καὶ τὸν ἀλεξάνδρου ναὸν τοῦ περιφανοῦς ἐν τοῖς μάρτυσι τῷ παμφάγῳ πυρὶ κατηνάλωσαν. τόν τε τάφον τοῦ μάρτυρος εὑρηκότες ἀργύρῳ περιρρεόμενον, ἀνοσίως σκυλεύουσι. καθυβρίζουσί τε τῇ ἐκβολῇ καὶ τὸ σῶμα τὸ ἐπὶ τῷ τύμβῳ ἐγκείμενον. καὶ λίαν ἐπὶ ταῖς νίκαις ὑψαυχενιζόμενοι, ταῖς εὐωχίαις κατασιβαδεύονται.

tim Drizipera procedunt; vrbem capiunt; ædem Alexandri martyris inclyti incendio excitato absumunt, eiusque monumentum argento ornatissimum nefariè spoliant. Quin etiam corpus inde indignissimè eiiciunt; mirificeque victoria elati, ad conuiuandum thoris discumbunt.

CAPVT XV.

Supplicium barbaris propter Alexandrum martyrem diuinitus irrogatum saua pestilentia. Chagani item filij 7. vno die moriuntur, cui calamitoso historicus insultat. Comentioli in vrbem Constantinopolim reditu, formido immodica malorum ciues incessit. Imp. copias ad longum murum defendendum mittit. Suadente senatu, legatio ad Chaganum placandum instituitur. Eius luctus acerbissimus. Romanorum de pace turbata reprehensio. Conditiones, in quas facta pax.

ΕΝ ταύταις τοιγαροῦν ταῖς ἡμέραις, τὸ κατὰ πάντων τῶν ἐθνῶν κράτος αὐτοῦ ὁ ἡμέτερος πιστούμενος ἰησοῦς, καὶ εἰς κληρονομίαν τι παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν οἰκουμένην λαβὼν, κατάσχεσίν τε τὰ πέρατα τῆς γῆς, οὐδαμῶς τῷ χαγάνῳ ἀμάρτυρον τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν παρῆκεν. ἀθροᾶ γὰρ ἐπιφοιτήσας λοιμοῦ, τὰ τῶν βαρβάρων πλήθη, καὶ ἦν αὐτοῖς τὸ κακὸν ἀπαραίτητον, καὶ σοφίσματος οὐκ ἀνεχόμενον. εἰσπράττεται τοιγαροῦν

HIs itaque diebus Iesus Dominus noster, qui à patre imperium in omnes gentes, & in hæreditatem orbem terrarũ, & in possessionem terminos terræ accepit, regnum suum Chagano nequaquam intestatum esse voluit. Passim quippe immissa pestilentia barbaros deleuit; eratque ma'um indeprecabile, nec vlla medicina, quantumuis

ὁ χαγᾶνος, ἀνθ' ὧν ἀλέξανδρον ἠτιμάκει τὸν μάρτυρα, ἀξιολόγους ποινάς. ἑπτὰ γὰρ παῖδες αὐτῷ βουβῶσι περιτυγχάνουσι. θέρμῃ τε ῥαγδαίᾳ τινι, καὶ φλογώδει, καὶ ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ, τὸν τῇδε καταλύουσι βίον. οὕτω μὲν οὖν ὁ χαγᾶνος δυστυχῶς εὐτυχεῖ τὰ ἐπινίκια. ἀντὶ γὰρ παιώνων, καὶ ᾀσμάτων, καὶ ὕμνων, καὶ κρότων χειρῶν, καὶ συμφωνίας χορῶν, καὶ γέλωτος κυματίζοντος, θρήνους εἶχε καὶ δάκρυα, καὶ πένθη ἀπαρηγόρητα, καὶ ζημίαν ἀνυπομόνητον. ἐβάλλετο γὰρ ὑπὸ στρατευμάτων ἀγγέλων, καὶ φανερὰ μὲν ἦν ἡ πληγή, ἀόρατος δὲ ἡ παράταξις. κομεντιόλου τοίνυν εἰς τὸ βασίλειον ἐνδημήσαντος ἄστυ, συνενδημοῦσιν αὐτῷ καὶ οἱ θόρυβοι. καὶ τῷ θρύλλῳ κλυδωνιζομένης τῆς πόλεως, ἐζωγραφοῦντο ταῖς ἐλπίσιν οἱ κίνδυνοι, τῇ τε φαντασίᾳ τὰς ἀπαισίους τύχας, ἅπας ἐγρηγόρως ὠνειροπόλει. ἐς τηλικοῦτο τοίνυν κακοῦ τὰ τῶν βυζαντίων ἐχώρει, ὡς καὶ τὴν εὐρώπην καταλιπεῖν αὖ δοκιμάζειν αὐτούς, καὶ πρὸς τὴν ἀσίαν μεταφοιτᾶν, πρός τε χαλκηδόνα ποιήσασθαι τὴν μετάστασιν. ἡ δὲ χαλκηδὼν πόλις καθέστηκεν, εἰς τὸ ἀντιπέραν τοῦ βασιλείου πολίσματος. ἐνομίζετο γὰρ ὁρμητήριον εὔθετον ὑπεῖναι τοῖς βυζαντίοις ἡ χαλκηδών. ὁ δὲ αὐτοκράτωρ τοὺς σωματοφύλακας ἀναλαβών, οὓς ἐξκουβίτωρας Ρω-

tumuis sollerter excogitata curabile. Itaque à Chagano ob Alexandrum martyrem tam ignominiosè tractatum, pœna commerita exigitur. Nam septem eius filij bubone, seu peste inguinaria corripiuntur, caloreque vehementi, & igneo planè, & vno simul die extinguuntur. Sic Chaganus in victoriis suis infeliciter felix fuit. Nam pro pæanibus & canticis, & hymnis, & manuum plausibus, & saltationum numeris, & risu effusissimo lamenta, & lacrymas, & luctum nulla consolatione sanabilem, & iacturam intolerandam adeptus est. Percussus est enim ab angelorum exercitibus: & cum plaga esset aspectabilis, acies tamen illa visu contingi non potuit. Comentiolum vrbem imperatoriam ingredientem rumores comitati sunt, tumultuque eam peruadente, metus futura pericula depingebat: & vnusquisque aduersæ fortunæ imagines animo repræsentans, etiam vigilans somniabat quodammodo. Eò igitur malorum res Byzantina delapsa est, vt de Europa deserēda, & Asia atque Chalcedone incolenda ciues seriò cogitarent. Est autem Chalcedon è regione Byzantij, quæ vitandæ tempestati imminenti, portus fore accommodatus videbatur. Imperator cogit milites, quos cum custodibus corporis sui (Romani ex-

μαῖοι ἀναγορεύουσι, καὶ τὸ ὁπλιτικὸν συλλεξάμενος, τὰ μακρὰ διεφρούρησε τείχη. ὑπῆν δὲ αὐτῷ καὶ ἐκ τῆς τῶν δήμων τῶν ἐς Βυζάντιον πλείστη ἀπόμοιρα. Ογδόῃ δὲ ἡμέρᾳ καὶ ἡ σύγκλητος παρῄνει τῷ καίσαρι, πρὸς τὸν χαγᾶνον πρεσβείαν ἐκπέμψασθαι. ὁ δὲ βασιλεὺς προσκαλεσάμενος τὸν ἁρμάτωνα, πρέσβιν χειροτονεῖ, καὶ ὡς τὸν χαγᾶνον ἐξέπεμψεν. ὁ μὲν οὖν ἁρμάτων εἰς τὰ δριζίπερα γίνεται, πλήθη δώρων ἐπιφερόμενος. ὁ δὲ χαγᾶνος τὰς παρούσας τύχας κατοδυρόμενος, ἐθρήνει ἀσχέτως τὴν ἀποβολὴν τῶν υἱῶν, τήν τε δυνάμεων λύμην· δέκα δὲ ἡμέρας ἐνδιατρίψας ὁ πρέσβυς, τῷ χαγάνῳ πρὸς λόγους οὐ γίνεται. ἦν γὰρ τὸ πένθος δριμὺ, καὶ τὰ τῆς συμφορᾶς ἀμεθόδευτα. δωδεκάτῃ δὲ ἡμέρᾳ εἰσάγεται ὁ πρέσβυς εἰς τὴν τοῦ βαρβάρου σκηνήν. ὁ μὲν οὖν πρέσβυς λόγοις ἠπίοις κολακεύει τὸν βάρβαρον. ὁ δὲ χαγᾶνος δυσανασχέτως εἶχε τὰ βασιλικὰ καταδέξασθαι δῶρα, μονονουχὶ τὸ τῆς τραγῳδίας ἐπιφθεγγόμενος, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα. καὶ γοῦν ὁ πρέσβυς πλείστοις λόγοις χρησάμενος, πείθει τιμηθῆναι τοῖς δώροις τὸν βάρβαρον. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ τὴν εἰρήνην ὁ βάρβαρος συστησάμενος, πρὸς τὴν ἀνάζευξιν ἔβλεπεν. ἔφασκε δὲ ὁ χαγᾶνος ἐπὶ λέξεως τάδε. κρίναι ὁ θεὸς ἀνὰ μέσον μαυρικίου καὶ ἀνὰ μέσον χαγάνου· ἀνὰ μέσον ἀβάρων καὶ ἀνὰ μέσον Ρωμαίων. κατηπᾶτο γὰρ

ni excubitores vocant) & maxima parte ciuium Byzantiorum ad longum murum ab hoſtibus tuendum mittit. Octauo die ſenatus Cæſarem de legatis ad Chaganum mittendis hortatur: qui accito Harmatoni eas partes mandat. Harmaton multis cum muneribus Drizipera venit. Chaganus præſentes fortunas lamentans, amiſsionem filiorum, peſtiferumque copiarum exitium, immenſo dolore proſequitur. Decem diebus ibi poſitis, Hartamon, conueniundi copiam impetrare non potuit. Erat quippe dolor vehemens, vt dixi, nec leuandæ calamitati vlla via ratioue apparebat. Die duodecimo in tabernaculum introducitur, barbarumque leni, ac placida oratione demulcet. Chaganus imperatoria dona ſuſcipere grauatur, tantum non illud è tragœdia occinens, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα, *hoſtium dona non dona, nec vtilia ſunt*. Tandem multis verbis eum Legatus permouet, vt ſe donis coli patiatur. Poſtridie pace firmata, domum redit, hæc ad verbũ eo ſuccinẽte: iudica Deus inter Mauriciũ & Chaganum; inter Abaros, & Romanos. Accuſabat enim Imperatorem ruptæ pacis, nec mentiebatur. Reuera namque Romani pace malè conſeruata, & bello ir-

αὐτοκράτορα τὴν εἰρήνην σταλεῦσαι. οὐκ ἀπὸ δὲ τρόπου τὰ ῥήματα. τῷ ὄντι γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι παραχαράκται τῆς εἰρήνης γινόμενοι, καὶ τοῦ πολέμου δημιουργοί, τοῖς προηγορευμένοις περιπίπτουσιν ἀτυχήμασι. τῶν γὰρ κακῶν ἐνάρξεων τὰ ἀποτελευτήματα χαλεπὰς τὰς ἐπιφανείας παρέχεται. διομολογεῖται δὲ Ῥωμαίοις καὶ ἀβάροις ὁ ἴστρος μεσίτης, κατὰ ἢ σκλαβηνῶν ἐξουσία τὸν ποταμὸν διανήξασθαι. ἐπεντίθενται δὲ καὶ ἄλλαι εἴκοσι χιλιάδες χρυσῶν ταῖς σπονδαῖς. ἐν τούτοις δῆτα ἀβάροις, καὶ Ῥωμαίοις ὁ πόλεμος πέρας ἐλάμβανε.

ritato, prædictas sibi clades accersebant. Etenim principia non bona, pernicioso exitu concluduntur. Ex pacto autem Ister ad Romanorum, Abarumque fines dirimendos constituitur; & potestas eiusdem contra Sclauos traiiciendi conceditur. Præterea denuo vicena aureorum millia antea pactis adduntur. Atque hoc sanè modo bellum inter Abares, & Romanos profligatum est.

CAPVT XVI.

Duo portenta, unum virili, alterum muliebri specie in Nilo conspecta. Vtrunque accuratè describitur, & prius à Præfecto adiuratur. Reprehensa obiter curiositate Herodoti, & mentione facta aliorum, qui de Nili portentis scripserunt, se de eius incremento scripturum pollicetur.

Κατὰ τοῦτον δὴ τὸν ἐνιαυτὸν τὴν αἰγυπτιακὴν ἐπαρχότητα μηνᾶ διανύοντος, πρὸς τοῖς ῥείθροις τοῦ νείλου παραδόξων τινῶν ἐπιφάνεια γίνεται. ἐδέησε γὰρ τὸν ἐπιβεβηκότα τῆς τῶν αἰγυπτίων ἀρχῆς ἀφικέσθαι ἐπὶ τὸ λεγόμενον δέλτα. τόπος δὲ οὗτος ἐκ τοῦ σχήματος τοῦ χώρου τὴν ὀνομασίαν ἀπολαβών. τοίνυν περὶ πρώτην ἕω, ἐπὶ τὰς ὄχθας τοῦ ποταμοῦ ποιουμένου τοῦ ἡγεμόνος τὴν πάροδον, ἄνεισιν ἐκ τῶν λαγόνων τοῦ ποταμοῦ ἀνὴρ κατάπληκτος τῷ μεγέθει, τὸ πρόσωπον γίγασιν ἐμφερής, τὸ βλέμμα δριμύς, τὴν κόμην ἐπίξανθος μεμιγμένην τινὶ πολιᾷ, τὴν παρειὰν τοῖς

HOc anno Mena Aegypti præfecturam gerente, in Nilo flumine mira quædam, & inopinata apparuerunt. Nam cùm Præfectus hic in locum Aegypti, qui à figura elementi delta nomen accepit, negotij caussa venisset, maneque ad littus accessisset, ab imo fluuio vir obstupescendæ molis emersit, facie gigantem referens, truci aspectu, coma subflaua, canis intermixta. Malæ, quales habitiorum, & ad

palæ-

εὐσωματοῦσι καὶ πρὸς τὰς παλαίστρας γενομένοις πρεποικῶς, τὴν ψύαν τοῖς ναυτικοῖς ἐμφερὴς, εὔστερνος, τὰ νῶτα ἡρωϊκὸς, τοὺς βραχίονας ἰσχυρός. ἀλλὰ μέχρι τῆς κύστεως τὴν ἱστορίαν παρεῖχεν, τὰ δὲ λοιπὰ μέλη τοῦ σώματος ἡ τῶν ὑδάτων φύσις ἀπέκρυπτεν. ἐῴκει γὰρ αἰσχυνομένῳ ἀνδρὶ, τὰ παιδουργὰ τοῖς τοῦ θεάτρου ἐπιδείξασθαι μόρια. τοῦτον ὁ τῆς ἀλεξανδρείας ἡγεμὼν θεασάμενος, ἔβαλλε τοῖς ὅρκοις πυκνῶς. ἃ δὲ ἔλεγεν ἐκεῖνος, ταῦτά ἐστιν. εἰ μὲν δαιμονίων τινῶν καθέστηκεν ἐπιφοίτησις, ἀβλαβῶς καταλῦσαι τὸ θέατρον, καὶ τὴν ἠρεμίαν ἀσπάσασθαι τὸ φαινόμενον. εἰ δὲ δημιουργικαὶ φροντίδες τοῦτον δὴ τὸν ὁρώμενον προενηνέγκαντο, τὰ τῆς θεωρίας μὴ λῦσαι, πρὶν πάντας ἐμφορηθῆναι τῆς παραδόξου ταύτης ὁράσεως. λόγος δὲ ἐκεῖνον αὐτὸν πεφυκέναι τὸν νεῖλον, ὃν εἰώθασι ποιητῶν ἀναπλάττεσθαι ῥήματα. τὸ μὲν οὖν νειλῷον ζῶον ἐκεῖνο (εἰπεῖν γὰρ ἄνθρωπον οὔπω τεθάῤῥηκα) τοῖς ὅρκοις κατεπᾳδόμενον, ἐς τὸ φανερὸν διήρκει, καὶ τὴν τοῦ σώματος ἐμφάνειαν τοῖς πᾶσι παρεῖχεν. τρίτη δὲ ὥρα τῆς ἡμέρας καὶ ἄνεισιν εὐθὺς ἐκ τῆς τῶν ὑδάτων κοιλίας καὶ θηλύμορφον ζῶον. τὴν γὰρ φύσιν ἐδήλου ἡ πρόσοψις, οἵ τε μαζοὶ, καὶ αἱ τοῦ προσώπου λειότητες, ἥ τε κόμη καὶ ἅπασα ἡ τοῦ φαινομένου σώματος σύνταξις, ἅτε περιπλοκαὶ, καὶ τὰ ἔκλυτα. ἔλαμπε δὲ τῇ ὥρᾳ τὸ γύναιον. ἡ δὲ κόμη τῷ θήλει λίαν μελάντερος. ἦν δὲ τὸ ζῶον τὰ πρόσω-

palæſtram inſtitutorum eſſe ſolent. Lumbi nautici, pectus validum, tergum latum, quale heroum, brachia toroſa. Porrò vſq; ad naturam ſeſe ſpectādum præbebat: reliqua membra aquæ operiebant. Imitabatur enim virum pudentem, nolentemque partes illas liberorum procreationi idoneas ſpectantium oculis exponere. Hunc contemplatus Alexandriæ, ſiue Aegypti Prætor, crebrius adiurat, vt ſi quidē è dæmonibus ſit, ſpectatores illæſos dimittat, & quieſcat. Sin aliquid naturæ opificio productum, ne ante ſe ſubducat, quàm omnes præſentes intuendo oculos, animoſque ſatiauerint. Rumor fuit, eum ipſum fuiſſe Nilum, poëtarum fabulis nobilitatum. Hoc igitur Niloticum animal (hominem enim dicere vereor) adiurationibus obligatum, diutius in aperto manſit, corpuſque videndum omnibus obiecit. Tertia hora poſt etiam ex vndis rectâ emergit mulieri ſimile animal, quod ipſe vultus fœmineus glaber, item mammæ, comæ, quæ partim in modum collectæ, partim ſolutæ pendebant, totaque corporis apparentis conſtitutio indicabant. Fœmina erat pulchritudine eximia: capilli nigri admodum; facies candi-

πον ἔκλευκον, εὔρινον, τὴν χεῖρα εὐδάκτυλον, τοῖς χείλεσιν εὔκοσμον. ἐσφρίγα δὲ τῷ μαζῷ, καὶ τῇ φαντασίᾳ τὸ τίτθιον ἐδόκει ἄρτι ὑπὸ τῆς ἥβης προκύψαι μικρόν. τὰ δὲ ἐγκόλπια τοῦ γυναίου ἀνιστόρητα ἡ τῶν ὑδάτων φύσις ἐφύλαττε, τῆς εὐνῆς τὰ μυστήρια ὥσπερ ἀμυήτους τινὰς τῶν ἀπορρήτων τοὺς θεατὰς ἀποκρύπτουσα. ἡ μὲν οὖν περίπολος τάξις, ὅ τε ἡγεμὼν μέχρι τοῦ κλῖναι τὸν ἥλιον ἐψυχαγώγει τὰ ὄμματα. ἡλίου δὲ κλίναντος, κατέδυσεν τὰ ὁρώμενα εἰς τοὺς ἀπ' ἀρχῆς τῶν ὑδάτων πυθμένας, ἀφωνίᾳ τὴν ἐπίδειξιν συστησάμενα. ἀφθόγγῳ γὰρ σιωπῇ τὴν ἱστορίαν τοῖς ἐρασταῖς ἐπεδείξαντο. οὐκ ἂν δὲ περιοψόμεθα ταῦτα δὴ τὰ παράδοξα διηγήματα, ἅπερ τούτου δὴ τοῦ ποταμοῦ καὶ τοῖς πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται ἄριστα. ἕλκοντες γὰρ τὸ γένος ἐντεῦθεν, εἰκότως τοῖς περὶ τοῦ νείλου διηγήμασιν οὐκ ἀπροσφόρως φιλοχωρήσωμεν. περὶ μὲν τοῦ ἄπιδος, ἡροδότῳ παραχωρητέον τῷ πολυπράγμονι. περὶ δὲ τῶν ἀνθρωπομόρφων, καὶ νειλώων ζώων, καὶ τοῖς πάλαι ἱστόρηται. τίνος δὲ σημαντικὸν ἡ τούτων ἐνδημία καθέστηκεν, εἰπεῖν ἐθάρρησεν ὁ λυδὸς, τῶν ἄλλων λίαν νεώτερος καθεστὼς, ὃς κατὰ τοὺς χρόνους ἐγνωρίζετο ἰουστινιανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος. ἡμεῖς δέ τι μικρὸν τὴν συνέχειαν ὑποκλέψαντες, περὶ τῶν θερινῶν ἀναβάσεων τοῦ νείλου διέξιμεν, τὰ ἐπισημότερα τῶν ἱστοριῶν διηγήματα ἀξιολόγῳ μνήμῃ τινὶ τοῖς ἀκροάμασι προβαλλόμενοι.

candidissima; nasus bellè formatus; digiti elegantes; labia rosea. Sororiabant vbera, & papillæ à recenti pubertate aliquantum prospicere, ac se se exertare videbantur. Locos autem aqua tegés, ab aspectu remouebat, mysteria cubilis ab intuẽtium luminibus, tanquam arcanis nondum initiatorum abscondens. Præfectus igitur, & circumfusa cohors vsq; ad occasum solem spectando voluptatem capiebant. Imminente iam nocte, visa illa in ima aquarum, vnde extiterant, descendũt, cum se cupidè lustrantibus vocem quodammodo eripuissent; ita altùm omnes admirabundi silebant. Verumenimuerò quæ de hoc flumine nec opinabilia memorantur, & ab aliis ante nos prudenter disputata sunt, negligenda nobis non videntur. Nam cùm inde genus trahamus, iure iis quæ de Nilo quidam tradiderunt, nec sine vtilitate immorabimur. De Apide aliquid Herodoti curiositati largiendum est. De animalibus Nili, humanam figurã referentibus, veteres conscripserunt. Quid ea in futurum portenderẽt, Lydus, cæteris multò recẽtior (Iustiniano enim imperante floruit) prodere memoriæ non dubitauit. Nos historiæ nõnihil interrupta serie, de æstiuo Nili incremento disserentes, insigniora, & memoria digna ad audiendum proponemus.

CAPVT

CAPVT XVII.

Nilus fluuiorum maximus, incertis oritur fontibus. Media æstate ascendit. Huius rei caussæ ex variis auctoribus; quorum omnium sententiis improbatis, vnum Anarchidem Gnidium historicus sequitur.

Οὗτος δ' ὁ νεῖλος μέγιστος ἁπάντων τῶν περὶ τὴν οἰκουμένην καθεστὼς ποταμῶν, καὶ πολλῶν τῆς λιβύης, καὶ τῆς αἰθιοπίας τῆς τε ἰνδικῆς αὐτῆς γῆν παραμείβων, τοῦ τε γάγγου καὶ ἰνδοῦ προτερεύων κατὰ τὸ μέγεθος, ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν τῶν ἀνθρώπων τὰς πηγὰς ἀποκρύπτει. θέρους τοίνυν ἀκμάζοντος, τὰς αὐξήσεις λαμβάνει, ἐναντίον τῇ φύσει τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἁπάντων ποταμῶν. τὰς δ' αἰτίας τὰς παρὰ τοῖς πολλοῖς εἰρημένας τοῖς ἀρχαίοις προτεθειμένας ἐπὶ λέξεως, τῇ παρούσῃ ὑποβάλλομεν ἱστορίᾳ. οἱ μὲν οὖν περὶ τὸν ἑλλανικὸν καὶ κάδμον, ἔτι δὲ ἑκαταῖον, εἰς τὰς μυθώδεις ἀποφάσεις κατέφυγον. ἡρόδοτος δ' ὁ πολυπράγμων, εἰ καί τις ἄλλος πολλῆς γεγονὼς ἔμπειρος ἱστορίας, ἐπικεχείρηκε περὶ τούτων ἀποδοῦναι τὸν λόγον. ἠκολουθηκὼς δὲ ἀντιλεγομέναις ὑπονοίαις εὑρίσκεται. ὁ δὲ ξενοφῶν, καὶ θουκυδίδης ἐπαινούμενοι κατὰ τὴν ἀλήθειαν μᾶλλον τῶν ἱστοριῶν, τούτων ἀπέσχοντο. οἱ δὲ περὶ τὸν ἔφορον, καὶ θεόπομπον μάλιστα πάντων ἐπιταθέντες εἰς αὐτὰ, οὐδαμῶς τῆς ἀληθείας ἐγένοντο γνώριμοι, οὐ δι' ἀμέλειαν δὲ, ἀλλὰ διὰ τὴν τῆς χώρας ἰδιότητα τὸν λόγον ἠγνόησαν. ἀπὸ γὰρ τῶν ἔκαθεν χρόνων, ἄχρι πτολεμαίου τοῦ φιλαδέλφου προσαγορευ-

Nilus omnium fluuiorum orbis terræ latissimus, multorumq; per Libyam, Aethiopiam, Indiam regiones secans, ipsumque Gangem, & Indum magnitudine superans, oculis humanis fontes suos, siue primam originem vnde erumpit, negauit. Aestate igitur feruenti (secus quàm cætera orbis flumina solent) excrescit. Caussas à multis & priscis scriptoribus allatas, huic historiæ fideliter inseremus. Hellanicus igitur, Cadmus, & Hecatæus ad fabulas confugiunt. Herodotus, vt est curiosus, & si quisquam alius, historiarum gnarus, huius rei rationem afferre conatus est. Sed eum suspiciones potius inter se contrarias secutum apparet. Xenophon, & Thucydides, qui à rerum explicatarum veritate magis commendantur, nihil huiuscemodi habent. Ephorus, & Theopompus quanquam omnium maximè in hanc cognitionem intenti, non potuerunt tamen eam liquidam adipisci. Ignorationis eorum caussa non negligentia, sed regionis conditio fuit. Iam inde enim ab antiquis sæculis, vsque ad Ptolemæum cognomento Philadel-

θέντος ξένα ὡς ἐπίπαν τὰ περὶ τοὺς τόπους τούτους παντελῶς ἦν, καὶ τοῖς ἐπιβαίνουσιν ἐπικίνδυνα. τοῦ δὲ προειρημένου βασιλέως, μεθ' ἑλληνικῆς δυνάμεως ἐς αἰθιοπίαν στρατεύσαντος, ἐγνώσθη τὰ κατὰ ταύτην τὴν χώραν λίαν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀκριβέστερον. οἱ μὲν οὖν κατ' αἴγυπτον ἱερεῖς, ἀπὸ τοῦ περιῤῥέοντος τὴν οἰκουμένην ὠκεανοῦ φασι τὸν νεῖλον λαμβάνειν τὴν σύστασιν, λέγοντες μὲν οὐδὲν ἀληθὲς, ἀπορίᾳ δὲ λύοντες τὴν ἀπορίαν, καὶ λόγον φέροντες εἰς πίστιν, πολλῆς προσδεόμενον πίστεως, ὀρφανὴν τὴν διήγησιν, καταλιμπάνοντες βεβαιώσεως. τῶν δὲ τρωγλοδυτῶν οἱ μεταναστάντες ἐκ τῶν ἄνωθεν τόπων, οἱ καὶ βόλγιοι προσαγορευόμενοι, λέγουσιν ἐμφάσεις εἶναί τινας περὶ τοὺς τόπους ἐκείνους, ἐξ ὧν ἄν τις συλλογίσαιτο. διότι πολλῶν πηγῶν εἰς ἕνα τόπον ἀθροιζομένων, τὸ ῥεῦμα τοῦ νείλου συνίσταται, ἀμέλει καὶ πολυγονώτατον αὐτὸ ὑπὲρ ἅπαντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην ποταμοὺς πεφυκέναι φασίν. οἱ δὲ κατοικοῦντες τὴν νῆσον τὴν ὀνομαζομένην μερόην (αὕτη δὲ ἐπὶ τὸ νεῖλον ἵδρυται ῥεῖθρον) τὸν ποταμὸν κεκλήκασιν ἀστάπουν. ὅπερ ἐστὶ μεθερμηνευόμενον εἰς τὴν τῶν ἑλλήνων διάλεκτον, ἐκ τοῦ σκότους ὕδωρ. ἀκαταληψείᾳ γὰρ οὖν τι ἀνατιθέασι τοῦ ποταμοῦ τούτου τὴν φύσιν. θαλῆς μὲν οὖν εἷς τῶν ἑπτὰ σοφῶν ὀνομαζόμενος, φησὶ τοὺς ἐτησίας ἀντιπνέοντας, ταῖς ἐκβολαῖς τοῦ ποταμοῦ κωλύειν εἰς τὴν θάλασσαν προχεῖσθαι τὸ ῥεῖθρον. καὶ διὰ τοῦτον αὐτὸ πληρούμενον ἐπικλύ

phum, pleraque locorum iſtorum ignota omnino, & inexplorata, atque aduenis etiam periculoſa fuerunt. Poſtquam verò rex, de quo diximus, cum græcis copiis Aethiopiam eſt ingreſſus, regio hæc, vt paucis dicam, multo exploratius, atque perfectius cognoſci cœpta eſt. Sacerdotes igitur Aegyptij, ab Oceano orbem circumdante Nilum oriri affirmantes, nihil dicunt, & dubium quod eſt, per dubium diſſoluunt: rationemque ad fidem conciliandam adducentes, quæ ipſa vehementer fide indiget, quod narrant, confirmatione deſtitutū relinquunt. Troglodytæ, qui è ſuperiorib⁹ locis migrarunt, & Bolgi appellantur, dictitant, in locis illis cauitates eſſe. Vnde quiſpiā ratiocinetur, multis fontibus in vnum confluentibus, Nili fluentum intumeſcere. Sanè omnium quoq; mundi fœcundiſsimum hunc eſſe aiunt. Qui verò inſulam Nili, Meroë dictam, incolunt, fluuium Aſtapum nominant; quam vocem græcè transferas ἐκ τοῦ σκότους ὕδωρ è *tenebris aqua profluens*. Naturam enim huius fluminis incomprehenſam eſſe iſti ſtatuunt. Thales, vnus de ſapientibus docet, diſcedēti Nilo Eteſias reſiſtere, & curſus eius eorum flatibus acto contra oſtia mari ſuſtineri: atq; hinc

ἐπικλύζειν, ταπεινὴν οὖσαν καὶ πεδιά-
δα τὴν αἴγυπτον. τοῦ δὲ λόγου τούτου
καίπερ εἶναι δοκοῦντος πιθανοῦ, ῥᾴ-
διον ἐξελέγξαι τὸ ψεῦδος. εἰ γὰρ
ἦν ἀληθὲς τὸ λεγόμενον, ἅπαντες οἱ
ποταμοὶ, οἱ τοῖς ἐτησίαις ἐναντίας
κεκλημένοι τὰς ἐκβολὰς, ἂν ἐποιοῦντο
τὴν ὁμοίαν ἀνάβασιν. ἀναξαγόρας
δὲ ὁ προσαγορευόμενος φυσικὸς,
τὴν τηκομένην κατὰ τὴν αἰθιοπίαν
χιόνα, τῆς τοῦ ποταμοῦ πληρώσεως
ὑπάρχειν αἰτίαν ἐδόξασεν. ᾧ καὶ
ὁ τραγῳδοποιὸς εὐριπίδης πειθόμε-
νος, ἐν τοῖς ἑαυτοῦ ποιήμασι τοῦτο
συντέταχε. ταύτην μὲν οὖν τὴν ἀν-
τίθεσιν οὐ πολλῆς ἀντιθέσεως δεῖσθαί
φαμεν, φανεροῦ καθεστῶτος τοῦ ψεύ-
δους. διὰ γὰρ τὴν ὑπεροχὴν τῶν
καυμάτων ἀδύνατον χιόνα περὶ τὴν
αἰθιοπίαν συνίστασθαι· καθόλου γὰρ
περὶ τοὺς τόπους ἐκείνους οὐ πάγος, οὐ
ψύχος, οὔτε ὅλως χειμῶνος ἔμφα-
σις πέφυκε καὶ μάλιστα τροπαῖς θε-
ριναῖς. εἰ δὲ καί τις εἴποι τῷ τῆς συγ-
χωρήσεως τρόπῳ εἶναι πλήθη χιόνων
κατὰ τὴν αἰθιοπίαν, καὶ αὖθις ἐλέγ-
χεται τοῦ προλεχθέντος δοκιμωτά-
τως τὸ ἐξίτηλον. ἅπας γὰρ ποταμὸς
ἀπὸ χιόνος τὴν περιουσίαν λαχὼν,
ὁμολογουμένως αὔρας ψυχρὰς ἀνα-
δίδωσιν. ἀλλὰ καὶ τὸν ἀέρα παχύνειν
πέφυκε. περὶ δὲ τὸν νεῖλον τὸν ποτα-
μὸν οὔτε νέφους ὑπόστασίν ἐστιν εὑρεῖν,
οὔτε αὔρας ψυχρὰς, οὔτε παχυνομέ-
νην τοῦ ἀέρος τὴν φύσιν. ἡρόδοτος

illum exuberantem per totam Aegyptum, quę depressa, & campestris sit, latè exspatiari. Sed huius rationis, quamuis probabilis videatur, non difficile est falsitatem ostendere. Nam si quid veritatis haberet quod ait, omnes fluuij, qui contra flantibus Etesiis à mari repercutiuntur, similiter magnis auctibus excrescerent. Anaxagoras cognomento physicus, solutis in Aethiopia niuibus Nilum attolli est opinatus: cui assentiens tragicus poëta Euripides, id ipsum in poëmatis suis posuit. Hanc igitur oppositionem non multa oppositione opus habere dicimus, quandoquidem vanam esse claret. Nam propter feruores incredibiles in Aethiopia, aquam in niuem densari non est vt possit fieri. Prorsus enim in locis illis nec glacies, nec frigus, nec vlla hyems, & solstitio æstiuo potissimùm, cernitur. Quod si etiam concedamus, in Aethiopia niuem altam cadere, tamen quod ante de ea liquata asserebatur, rursum vt vanum ac friuolum probabilissimè refellitur. Omnis quippe fluuius aquis niuium solutarum accrescens, conuenienter auras quoque frigidas exspirat, quin & cœlum crassum reddit. Atqui circum Nilum neque nebulæ alicuius concretionem, neque auras gelidas, neque aërem crassum reperias. Herodotus porrò Nilum

δὲ τὸν νεῖλον εἶναι μὲν τηλικοῦτόν φησιν, ὁποῖός τις καὶ φαίνεται κατὰ τὴν πλήρωσιν, χειμῶνος δὲ ὥρα τὸν ἥλιον κατὰ τὴν λιβύην φερόμενον ἐπισπᾶσθαι πρὸς ἑαυτὸν ὑγρᾶς οὐσίας συστήματα ἐκ τῶν νειλώων ὑδάτων, κἀντεῦθεν χειμῶνος ὥρα ἥττονα γίνεσθαι τὸν ποταμόν· τοῦ δὲ θέρους ἐπιστάντος, καὶ πρὸς τὰς ἄρκτους ποιουμένου τὴν βάδισιν, ἀναξηραίνειν, καὶ ταπεινοῦν τοὺς περὶ τὴν ἑλλάδα ποταμοὺς πεφυκότας. διὰ τοῦτο μὴ παράδοξον καθεστάναι τὴν περὶ τὰς θερινὰς τροπὰς τοῦ αἰγυπτίου πλήρωσιν ποταμοῦ. ἀλλ' αἰδοῖ τῆς φιλομαθείας τοῦ ἀνδρὸς, οὐ διεξοδικῆς κατηγοροῦμεν τοῦ σφάλματος. εἰ γὰρ ταῦτα σύμφωνα τοῖς ἀληθέσι καθίστατο, πάντως ἂν καὶ ἀπὸ τῶν ἄλλων κατὰ τὴν λιβύην ποταμῶν ὁ ἥλιος ἀνελάμβανε καὶ ἀδελφὰ τῶν παθημάτων τοῦ νείλου. ἀλλὰ μὴν τοιοῦτον οὐδὲν περὶ τοὺς λίβυας ποταμοὺς ἐστὶ θεάσασθαι. οὐκοῦν ὁ συγγραφεὺς ἀποσχεδιάζει τὸν λόγον. Δημόκριτος δὲ ὁ τῆς φύσεως ἀδελφὸς, περὶ τὰς ἄρκτους ὥρα χειμῶνος καταφέρεσθαι πολλὴν διαβεβαιοῦται χιόνα· θέρους δὲ ὑπόντος ὑπὸ τῆς αἰθάλης διαλύεσθαι ταύτην. ἔνθεν φησὶ γίνεσθαι τηκεδόνα πολλήν. καὶ διὰ τοῦτο τίκτεσθαι πολλὰ νέφη παχύτερα περὶ τοὺς μετεωροτέρους τῶν τόπων, δαψιλοῦς τῆς ἀναθυμιάσεως αἰρομένης πρὸς ὕψος. ταῦτα δὲ ὑπὸ τῶν ἐτησίων ἐλαύνεσθαι, μέχρις ἂν προσπέσῃ τοῖς μεγίστοις ὄρεσι τῶν περὶ τὴν οἰκουμένην. εἶναι δὲ ταῦτα περὶ τὴν αἰθιοπίαν. ἔπειτά πως τοιούτοις οὖσιν ὑψηλοῖς, βιαίως

lum tantum esse scribit, quantus cum plenus est apparet. Hyeme autem solem supra Libyam voluentem, ex vndis Niloticis humentis substantiæ copiam attrahere, atq; inde per hyberna flumen parcius ire. Aestate redeunte, &ad Arctos sole reuerso, Grecię flumina siccari & imminui. Quapropter Aegyptij fluminis accretionem æstiuo solstitio admirabilem videri non debere. Verùm nos amorem studiumq; peruestigandi in hoc viro reueriti, errorem eius vberius non castigabimus. Hoc tantùm dicemus. Si ista cum veritate consentirent, omnino sol idem cæteris Libyæ fluminibus, quod Nilo faceret. Atqui nihil tale in illis obseruatur. Non igitur historicus ille satis consideratè locutus est. Democritus, alioqui naturæ secretorũ peritissimus, in Septentrione per hyemem imbres niuales decidere asseuerat: per æstatem æstu niuem illam vbertim colliquefieri, ac dissipari. Idcirco in locis sublimioribus multas nubes densiores generari, largæ exspirationum vi eò sublata videlicet. Hasce nubes ab Etesiis impelli, donec montibus omnium altissimis illidantur: eos autẽ montes esse in Aethiopia. Post, eorum excelsitate violenter diruptas, largissimos imbres effunde-

θερμαινόμενα, παμμεγέθεις ὄγκους χιόνων. ἐξ ὧν πληροῦσθαι τὸν ποταμὸν καταχυρίζεται, περὶ τὰς τῶν ἐτησίων ἀνέμων πνοάς. ἀλλ' οὐ πιστευτέον αὐτῷ. ὁ γὰρ Νεῖλος ἄρχεται μὲν πληροῦσθαι κατὰ τὰς τροπάς, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τὰς θερινάς, οὔπω τῶν ἐτησίων πνεόντων, λήγει δ' ὕστερον ἰσημερίας φθινοπωρινῆς, πάλαι πεπαυμένων τῶν εἰρημένων ἀνέμων. τὴν μὲν οὖν ἐπίνοιαν τοῦ Δημοκρίτου ἀποδεκτέον, τοῖς δὲ λόγοις αὐτοῦ, οὐδαμῶς πιστευτέον. Ἔφορος δέ, ξένην αἰτίαν τινὰ περιΐστησι. φησὶ δὴ τὴν Αἴγυπτον ἅπασαν ποταμόχωστον εἶναι, ἀλλὰ μὴν καὶ ψυχράν. ἔτι δὲ καὶ κισσηρώδη τὴν φύσιν, ῥαγάδας τε μεγάλας, καὶ διηνεκεῖς ἔχειν. καὶ διὰ τούτων εἰς ἑαυτὴν ἀναλαμβάνειν πλῆθος ὑγρότητος. καὶ κατὰ μὲν τὴν χειμερινὴν ὥραν τοῦτο συνέχειν ἐν ἑαυτῇ, θερινῶν δ' ἐπερχομένων τροπῶν, ὥσπερ ἱδρῶτάς τινας ἐξ αὐτῆς πανταχόθεν ὑπεῖναι, καὶ διὰ τοῦτο πληροῦν τὸν ποταμόν. ὁ μὲν οὖν Ἔφορος δῆλός ἐστι μὴ μόνον οὐ τεθεαμένος τὴν Αἴγυπτον, ἀλλὰ μηδὲ παρὰ τῶν εἰδότων τὰ κατὰ τὴν χώραν ταύτην ἐπιμελῶς πεπυσμένος. πρῶτον μὲν γάρ, εἴπερ ἐξ αὐτῆς τῆς Αἰγύπτου ὁ Νεῖλος τὴν αὔξησιν ἀπελάμβανεν, οὐκ ἂν ἐν τοῖς ἀνωτέρω μέρεσιν ἐπληροῦτο, διὰ πετρώδους καὶ στερεᾶς χώρας φερόμενος. νῦν δὲ πλείω τῶν ἑξακισχιλίων σταδίων διὰ τῆς Αἰθιοπίας διαρρέων, ἔχει τὴν αὔξησιν πρὶν ἢ ψαύσῃ τῆς Αἰγύπτου. ἔπειτα εἰ μὲν τὸ

fundere, quibus Nilus (Etesiarum puta diebus) repleatur. Sed huic habenda fides non eſt. Nilus enim (vt vno verbo dicam) creſcere circa ſolſtitium æſtiuum incipit, Eteſiis nondum ſpirantibus: deſinit ęquinoctio autumnali, quando hi venti pridem poſuerunt. Laudanda, nullo autem modo credenda eſt hæc Democritæa commentatio. Ephorus incredibilem planè rationem adducit. Aegyptum totam fluminibus ſubterraneis refertam, ac frigidam, naturaque pumicoſam ſeu fiſtuloſam eſſe: rimas item magnas ac perpetuas habere, per quas in ſe copiam humoris recipiat, quam hyberno tempore contineat, æſtiuo autem ſolſtitio ineunte, veluti ſudores quoſdam ex omni parte emittat, atque ita Nilum flumen excreſcere. Cæterùm non modò Aegyptum nunquam oculis obiiſſe Ephorum: ſed neque ab iis, qui eam vidiſſent, res eius probè cognouiſſe certum eſt. Primùm enim, ſi ex ipſa Aegypto incrementum ſuum Nilus acciperet, non vtique in partibus ſuperioribus aquas ampliores volueret, vbi per petroſam ac ſolidam regionem fertur. Nunc plus ſex millibus ſtadiorum per Aethiopiam labens, augmina ſumit, priuſquam Aegyptum attingat. Ad hæc, ſi quidem fluenta Nili,

ῥεῦμα τοῦ νείλου, ταπεινότερον ἦν τῶν κατὰ τὴν ποταμόχωστον γῆν ἀραιωμάτων, ἐπιπολαίους ἂν εἶναι τὰς ῥαγάδας συνέβαινε, καθ' ἃς ἀδύνατον ἦν διαβαίνειν τοσοῦτον πλῆθος ὑδάτων. εἰ δὲ ὑψηλότερον τόπον ἐπεῖχεν ὁ ποταμὸς τῶν ἀραιωμάτων, ἀδύνατον ἦν ἐκ τῶν ταπεινοτέρων κοιλωμάτων εἰς τὴν ὑψηλοτέραν ἐπιφάνειαν τὴν τῶν ὑδάτων σύρρευσιν γίνεσθαι. καθόλου δὲ, τίς ἂν δυνατὸν ἡγήσοιτο τοὺς ἑαυτῶν κατὰ τὴν γῆν ἀραιωμάτων ἱδρῶτας τοσαύτην αὔξησιν τῷ ποταμῷ εἰσποιεῖν, ὥστε ὑπ' αὐτοῦ σχεδὸν πᾶσαν τὴν αἴγυπτον ἐπικλύζεσθαι; ἀφίημι γὰρ καὶ τὸ ψεῦδος τῆς τε ποταμοχώστου γῆς, καὶ τῶν ἐν τοῖς ἀραιώμασι τηκομένων ὑδάτων, ἐπιφανῶν ὄντων τῶν ἐν τούτοις ἐλέγχων. ὁ μὲν γὰρ μαίανδρος ποταμὸς κατὰ τὴν ἀσίαν πολλὴν χώραν πεποίηκε ποταμόχωστον· καὶ περὶ τῶν συμβαινόντων περὶ τὴν ἀναπλήρωσιν τοῦ νείλου τὸ σύνολον οὐδὲν θεωρεῖς γινόμενον. ἀλλὰ καὶ περὶ τὴν ἀκαρνανίαν ὁ καλούμενος ἀχελῶος ποταμὸς, περί τε τὴν βοιωτίαν ὁ κηφισὸς ἐκ τῶν φωκέων οὐκ ὀλίγην χώραν προσέχωσαν. ἐφ' ὧν ἀμφοτέρων ἐλέγχεται φανερῶς τοῦ ἐφόρου τὸ ψεῦδος. καὶ ταῦτα μὲν πρὸς τὸν ἔφορον. τῶν δὲ ἐν μέμφιδι φιλοσόφων τινὲς ἐπεχείρησαν αἰτίαν φέρειν τῆς πληρώσεως. ταύτην φασὶ διαιρεῖσθαι εἰς τρία τὴν γῆν. καὶ ἓν μὲν ὑπ εἶναι τὸ κατὰ τὴν ἡμετέραν οἰκουμένην (δέον γὰρ οὕτως εἰπεῖν) ἕτερον δὲ τὸ τούτοις τοῖς τόποις ἀντιπεπονθὸς ταῖς ὥραις· τὸ

terræ fluminibus peruiæ raritatibus siue rimis humiliora forent, contingeret rimas illas superficiarias esse, per quas tantam vim aquarum transire est impossibile. Sin autem rimis ipsis altiora, rursum ex inferioribus cauitatibus in summum flumẽ aquæ confluere minimè possent. Ad summam, quis fieri posse credat, vt prorumpentes ex terræ hiatibus sudores tanta flumini incrementa suppeditent, vt vniuersæ pœne Aegypto innatet? vt nihil dicam de mendacio, subterlabi scilicet Aegypto flumina, & in cauis terræ liquentes aquas existere, cum ipsa harum assertionum falsitas manifesta sit. Nam Mæander Asiæ fluuius per multa spatia sub terra manat, nec tamen in suscipiendis auctibus quidquam omnino ei tale, quale Nilo euenire cernitur. Quin etiam Acarnaniæ fluuius Achelous, & Bœotiæ Cephisus, è Phocide oriundus, non modicum terrarum subterlabũtur. Qui ambo Ephorum apertæ vanitatis conuincũt. Et hæc quidem aduersus Ephorum. Memphitici quidam philosophi incrementi huius istam caussam afferre ausi sunt. Tellurem in tres partes diuidi. Vnã, esse nostrum orbem (sic enim appellare oportet.) Alteram, quæ his locis tem-

δὲ τρίτον μεταξὺ κεῖσθαι τούτων. ὑπάρχειν δὲ καὶ διάκαυμα λίαν ἀοίκητον. εἰ μὲν οὖν ὁ νεῖλος ἐποιεῖτο τὰς ἀναβάσεις κατὰ τὸν τοῦ χειμῶνος καιρὸν, δῆλον ὑπῆρχεν, ὡς ἐπὶ τῆς καθ' ἡμᾶς ζώνης λαμβάνει τὴν σύῤῥυσιν, διὰ τὸ περὶ τούτους τοὺς καιροὺς μάλιστα γίνεσθαι παρ' ἡμῖν τὰς ἐπομβρίας. ἐπεὶ τοὐναντίον περὶ τὸ θέρος πληροῦται, πιθανὸν εἶναι, κατὰ τοὺς ἀντικειμένους τόπους γεννᾶσθαι τοὺς χειμῶνας, καὶ τὸ πλεονάζον τῶν κατ' ἐκείνους τοὺς τόπους ὑδάτων, εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς γίνεσθαι οἰκουμένην. διὸ καὶ πρὸς τὰς πηγὰς τοῦ νείλου μηδένα δύνασθαι παρελθεῖν, ὡς ἂν ἐκ τῆς ἐναντίας ζώνης διὰ τῆς ἀοικήτου φερομένου τοῦ ποταμοῦ. μαρτυρεῖν δὲ τούτοις καὶ τὴν ὑπερβολὴν τῆς γλυκύτητος τοῦ κατὰ τὸν νεῖλον ὕδατος. διὰ γὰρ τῆς κεκαυμένης αὐτὸν ῥέοντα φασὶ λίαν καθέψεσθαι. καὶ διὰ τοῦτο γλυκύτατον εἶναι πάντων τῶν ποταμῶν, ἅτε δὴ φύσει τοῦ πυρώδους ἅπαν τὸ ὑγρὸν καταγλυκαίνοντος. ἡμεῖς δὲ καὶ πρὸς τοῦτο λέξομεν. ἀδύνατον γὰρ εἶναί φαμεν, ποταμὸν ἐκ τῆς ἀντικειμένης οἰκουμένης εἰς τὴν ἡμετέραν ἀναφέρεσθαι γῆν, καὶ μάλιστα, εἴ τις ὑπόθοιτο, σφαιροειδῆ τὴν γῆν πεφυκέναι. πῶς γὰρ μόνος ὁ νεῖλος ἐξ ἐκείνης φέρεται τῆς οἰκουμένης πρὸς τοὺς τόπους τοὺς καθ' ἡμᾶς; εἰκὸς γὰρ, εἶναι καὶ ἑτέρους ἐκεῖ ποταμοὺς, καθάπερ καὶ παρ' ἡμῖν, ἀλλὰ καὶ ἡ περὶ τῆς τοῦ ποταμοῦ τούτου γλυκύτητος αἰτία παντελῶς

peſtatibus anni non reſpondet. Tertiam, inter has locatam, & ob immenſos calores prorſus inhabitabilem. Quare ſi Nilus hyeme augeſceret, certum eſſet eum in noſtra Zona confluxum aquarum recipere, cum per hoc tempus maximè apud nos pluuiæ cadant. Quoniam autem contrà fit, & æſtate aſcendit, probabile apparere, in locis nobis è regione oppoſitis hyemes naſci, & redundātiam illic aquarum in orbem noſtrum deferri. Atq; ideo ad Nili fontes neminem poſſe peruenire: quia à Zona veſtigiis noſtris contraria, per inhabitatam, ſeu torridam ambulat. Hoc ipſum teſtari mirificam illius aquæ dulcedinem. Cùm enim per loca ſolibus vſta labatur, vehementer ipſum decoqui, & hac de cauſſa omnium fluuiorum eſſe dulciſsimum, quandoquidem natura ignea totam vim humoris dulcem reddat. Sed nos hanc quoque ſententiam confutabimus. Statuimus enim, nequaquam poſſe flumen aliquod ab Antipodibus in noſtrum hunc orbem aſcendere ac ſurſum ferri; præcipuè ſi quis ponat, terram globoſam eſſe. Cedò, quo pacto Nilus tantummodo ex illo orbe in noſtras haſce regiones profluit? Eſt enim veriſimile & alia ibidem, ſicut apud nos, extare flumina. Iam verò cauſſa quoq; dulcedinis hui' fluuij omnimo-

μῖν μὲν εἶναι χειμέριον, περὶ δὲ τὴν αἰθιοπίαν αἴθριον ὑπάρχειν. καὶ τὰς βορείους πνοὰς περὶ μὲν τὴν εὐρώπην εὐτόνους εἶναι, κατ᾽ ἐκείνην δὲ τὴν χώραν βληχρὰς, καὶ ἀτόνους, καὶ παντελῶς ἀσθενεῖς. καὶ τοῦ ἡλίου πρὸς τὸν βόρειον ἀποκλίνοντος πόλον, συμβαίνει τοὺς ὄμβρους τῷ παρ᾽ ἡμῖν θέρει τῇ αἰθιοπίᾳ προσγίνεσθαι, καὶ ἐντεῦθεν λαμβάνειν τὸν νεῖλον τὴν αὔξησιν. καὶ ἔμπαλιν πρὸς τὸν νότιον ἀναζεύξαντος πόλον, πρὸς συστολὴν τὸν νεῖλον ὁρᾶν. περὶ μὲν οὖν τῆς πληρώσεως τοῦ ποταμοῦ, ἐπὶ τοσοῦτον, ἵνα μὴ τὸν σκοπὸν τῆς ἱστορίας νοθεύσωμεν. ἤδη δὲ ὑπενέγκαι ἀκόλουθα τῶν ἀφηγημάτων νύττειν τὸν λόγον. ἐπαναζεύξας τοίνυν ἐκ τῆς ἀλεξανδρείας ὁ μηνᾶς, ἔγραψε μαυρικίῳ τῷ αὐτοκράτορι, ὅπως ἡ ἐπιφάνεια τῶν ἀνθρωπομόρφων, καὶ νειλώων ἐγένετο. ὁ δὲ αὐτοκράτωρ τούτων ἀκηκοὼς, λίαν τὴν ψυχὴν καταπέπληκτο.

dem. Nam Austrum apud nos esse hybernum; apud Aethiopas serenum. Et spiramina borealia in Europa esse valida ac robusta; in illa regione debilia & imbecilla, & languida penitus. Et sole ad polum borealem recedente, cõtingit imbres nostra æstate in Aethiopia cadere, indeque Nilum excrescere. Rursus eodem ad austrinum remeante, eundem decrescere. De incremento igitur fluuij huius hactenus, ne à proposito historiæ scopo nimium deflectamus. Nunc ad eorum quæ sequũtur narrationem incitanda est oratio. Reuersus igitur Alexandriam Menas, de monstris humana figura à se in Nilo visis ad Mauriciũ Imp. scripsit; quibus ille auditis, maiorem in modum obstupuit.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

HISTORIAE MAVRICIANÆ

LIBER OCTAVVS.

PHOTII CONSTANTINOPOLITANI IN EVNDEM LIBRVM

SYNOPSIS, SIVE SVMMA.

CHOSROES ob incursiones Saracenorum, quibuscum Romanis erat societas, fœdus temerare curat, quod per Geörgium Legatum constabilitur; ipse Legatus, quia Imp. narrauerat regem coram Satrapis dixisse, propter Georgium, non propter Mauricium se pacem seruare, in offensam incurrit. Comentiolus proditionis postulatur. Eius cum exercitu Romano reconciliatio. Iterum ab Imperatore dux mittitur. Comentiolo quandam ob caussam pugna abstinente, Priscus cum Abaris confligit. Romanorum fortitudo, Abarum quatuor millia cæduntur. Altera pugna, & eorundem cædes, ad nouem millia. Tertia pugna, qua interierunt quindena millia. Quarta pugna, in qua denuò Romani victores, interfectiq; Abares cum Gepidis ad tricena millia. Quinta pugna, victoria Romanorum, strages Abarum. Capiuntur Abarum tria, Gepidarum quatuor, aliorum duo millia ducenti, Sabenorum octo millia. Ex his Chaganus decepto Imp. Abaros recepit. Comentioli insania, cuius temeritate in itinere Romanorum multitudo frigoris acerbitate interiit. Petrus denuo Europeæ militiæ præponitur. Theodosij, filij Mauricij cum filia Germani nuptiæ. Constãtinopoli annonaria difficultas; populi seditio; Imperatoris sacræ preces. Eiusdem in seditiosis unius diei exilio puniendis lenitas. Mauricius Petro mandat,

dat, vt Thraciæ copiæ citra recusationem trans Istrum hybernent. Diuina vox ad Petrum delata. Seditio in Romano exercitu; tyrannis contra Imperatorem, Phoca tyranno à multitudine Imperatore salutato consciscitur. Petrus fugit. Tumultus Mauricio nuntiatur. Ex tribunis plebis Sergio & Chosma primum de multitudine factiosorum quærit. Prasinæ factionis M. D. Venetæ DCCCC. inueniuntur. Aemulatio popularis. Imperatoris Legati ad exercitum exturbantem frustra sunt. Vrbs imperialis vndique custoditur. Exercitus ad Theodosium Mauricij filium legatio, qua aut ipsum, aut Germanum eius socerum Imperatorem sibi postulat. Mauricius Germanum tyrannidis suspectum habet, eiq; minatur. Theodosius socerum de fuga monet. Germanus ad ædem Dei genetricis confugit. Stephanus eunuchus, pædagogus liberûm Imp. ad illum inde euocandum mittitur, sed incassum: Theodosius iussu patris fustibus verberatur, quòd audita ei significasset. Germanus S. Sophiæ templum petit. Rursus ad exeundum inuitatur, nec obtemperat, hortante ad manendum quodam Andrea qui templum aßiduè precum caussa obibat. Tumultus, & ædibus Constantini patricij, vulgò Lardys dicti, illatum incendium. Mauricij perplexitas, & fuga, quam exorta tempestas præcidit. Theodosium filium ad Chosroen pro auxilio mittit. Ciues, inter quos & Hebdomites, ad tyrannum egrediuntur. Germanus imperiū ambiens, vacuis manibus abit, Prasinis, quòd esset factionis Venetæ, Imperatorem eum declarare detrectantibus. Phocas in templo S. Ioannis in Septimo, Cyriaco tum Patriarcha, Imperator renuntiatur: Palatium init: Leontiam vxorem Augustam dicit. Tribunorum de locorum statione controuersia. Cosmas Venetæ factionis tribunus per Alexandrum pellitur. Vox, Mauricium nondum esse mortuum, tyrannum illius occidendi cupiditate incendit. Filium Theodosium Nicæa reuocat Mauricius. Redit, ostenso sibi annulo, quod ei signum ad redeundum pater esse voluerat. In Eutropij portu liberi in conspectu patris iugulantur. Sapienter id fert Mauricius, & gratias agit Deo, ipseq; Lilij manu obtruncatur. Testamentum eius sub Heraclio inuentum. Corpora imperatoria in fluctus marinos abiiciuntur. In Mauricium funebris oratio. Romanus exercitus sceleris sui in Mauricium diuina animaduertente iustitia

iustitia pœnas luit: breui enim è tanto numero nullus ferè superfuit, quòd alij peste, alij fulmine, alij ferro interiissent; vt Heraclius Imp. ad expeditionem contra Raxaten Persam delectum agens, præter duos de illa tyrannica societate neminem inuenerit. Et tunc quidem res Romana aduersum Persas se sustollere cœpit: nam antehac illi præstabant, & victoria apud eos morabatur. Theodosium Imp. Mauricij filium Alexander interficit. Petrus item, Comentiolus, Constantinus Lardys morte afficiuntur. Qui factum esse retulerint nonnulli, vt Theodosius euaderet. Alexandriæ simulacra suis dimota sedibus, loco cui Tychæo nomen est, Calligrapho cuidam à cœna domum redeunti, Constantinopoli gesta indicarunt. Mauricius bonarum artium cultores summis honoribus, & liberalitate eximia prosecutus est. Subiectis tertiam vectigalium partem remisit, & ad struendos aquæ ductus ByZantinis triginta talenta donauit. Corpus Euphemiæ martyris sanguinem sudans admirabiliter. Cuius rei facto periculo Mauricius, posita incredulitate, miraculo deinceps fidem habuit maximam. Phocas tyrannus Constantinam Mauricij coniugem cum filiabus in priuatam domum compingit. Ad Chosroen nullo effectu Legatos mittit. Fœdus rumpitur, prætendente Chosroe, se Mauricio vlciscendo manibus eius parentaturum. Alexander Phocæ rerum nouandarum socius, vocatus in suspicionem conseruati Theodosij, Mauricij filij, quem occidere iussus erat, letho datur. Atque in his tota historia absoluitur.

CAPVT I.

Saraceni Romanorum socij Persidem incursantes, Babyloniorum fines deprædantur; ob id Chosroes de fœdere soluendo cogitat. Mauricij ad eum Legatus inhumaniter habetur, adituq; regis diu excluditur. Admissus tandem, Chosroen ad pacem reducit, eumq; de præteritis docet. Eiusdem Legati impudens ambitio Imp. grauiter offendit. Comentiolus proditionis postulatus, & incisa accusatione dux denuo constitutus; ad Istrum abit, seq; cum Prisco apud Singidonem consociat.

ΚΑτὰ τοῦτον δῆτα τὸν χρόνον χοσρόης ὁ περσῶν βασιλεὺς, ἐνεχείρει τὴν εἰρήνην λυμήνασθαι. αἰτία δὲ αὕτη πως τῷ βαρβάρῳ οὖσα ἐτύγχανεν. ἔθνη περὶ τὴν ἀραβίαν πολλά τε, καὶ διάφορα πέφυκε. τούτους σαρακηνοὺς ἔθος τοῖς ὄχλοις ἀποκαλεῖν. ἐκ τούτων δὲ τῶν ἐθνῶν ἔνιά τινα τοῖς Ρωμαίοις σύμμαχα ἦν. καί τις ἐκ τούτων ἀπόδασμος εἰς τὴν περσίδα χωρήσας, κατὰ τὸν τῆς εἰρήνης καιρὸν τῇ ἐπεκδρομῇ μέρη τινὰ τῆς βαβυλωνίας περιενομεύσατο. ἔνθεν διαπονεῖσθαι ὁ χοσρόης ἠξίου. Διὰ τοῦτο ὁ αὐτοκράτωρ μαυρίκιος εἰς τὴν περσίδα ἐξέπεμψε πρέσβυν γεώργιον, ὃς τῆς τῶν ἑῴων πόλεων φορολογίας τὴν ἐπιστασίαν ἐκέκτητο. τοῦτον πραιτορίου ἔπαρχον ἀποκαλοῦσι Ρωμαῖοι. ὁ μὲν οὖν χοσρόης δυσπαθῶν ἐπὶ τοῖς γεγονόσι, παρελύπει τὸν πρέσβυν καὶ πολλὴν τὴν τριβὴν αὐτῷ περὶ τὴν βάρβαρον χώραν ἐπραγματεύετο. σκληραγωγεῖται οὖν ὁ γεώργιος ἡμέρας εἰς τὴν περσίδα πολλὰς, τῆς βασιλικῆς εἰσόδου μηδαμῶς τετυχώς. ἐπὶ τοίνυν τῶν πραγμάτων στασιαζομένων χοσρόῃ, εἰκότως τῷ βαρβάρῳ

EOdem tẽpore Chosroes Persarum rex pacem turbare aggressus est ob caussam huiuscemodi. In Arabia multæ variæque gentes sunt, vulgò Saraceni appellati. Ex his nonnullæ societatẽ cum Romanis pepigerant, quarũ pars pace incolumi in Persidem irruens, Babyloniorum agros prædabunda peruaserat, & id sibi minimè tolerandum Chosroes censuerat. Mauricius idcirco Legatum in Persidem mittit, Georgium oriẽtalium tributorum coactorem, quem Romani Præfectũ prætorio nominant. Chosroes indigna se passum dictitans, Legatum parum amicè tractauit, & in regione barbara diu retinuit; nec vnquam in conspectu suum admisit. Cæterùm in illis rerum fluctibus non esse arma aduersus Romanos capi-

enda

ὑπόνοια γίνεται, μὴ ἄρασθαι τέως πρὸς Ῥωμαίους τὸν πόλεμον. εἰσδέχεται τοίνυν τὸν γεώργιον ὁ βαβυλώνιος βασιλεὺς εἰς τὰ βασίλεια. Ὁ μὲν οὖν γεώργιος τὴν τοῦ καιροῦ κτησάμενος σύμμαχον, πείθει τὸν βάρβαρον τὰς εἰρηναίας μὴ διαλύσαι σπονδάς. οὕτω μὲν οὖν ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ, κατὰ τὴν ποίησιν, ὁ χοσρόης τὴν ἡσυχίαν ἀσπάζεται. ὁ μὲν οὖν πρέσβυς ἅπαντα τὰ συγκυρήσαντα διεξοδικῶς τῷ βασιλεῖ διηγήσατο· ἀλλ' οὐκ ἐς ἀγαθὸν ἡ τῆς ἐντεύξεως ἔκθεσις ἀπειλήφει τὸ συμπέρασμα. ἔφασαν γὰρ γεώργιον εἰπεῖν πρὸς τὸν αὐτοκράτορα. ὁ περσῶν βασιλεὺς τῶν σατραπῶν εἰς ὑπήκοον τάδε διείλεκται. διὰ τὴν τοῦ πρέσβεως ἀρετὴν, δίδωμι τῷ πολέμῳ τὴν λύσιν. τούτων ὁ βασιλεὺς ἀκηκοὼς, χαλεπαίνει κατὰ τοῦ πρέσβεως, καὶ γίνεται τῷ γεωργίῳ σφαλερὰ ἡ τῆς πρεσβείας ἐπίτευξις. τῷ ὄντι γὰρ οἶδε λόγος μὴ μέτροις οἰκονομούμενος, μεγάλας συμφορὰς τοῖς χρησαμένοις παρέχεσθαι. Ὁπηνίκα δὲ ὁ χαγάνος (ἐπαναδραμώμεθα γὰρ πρὸς τὰ κατὰ τὴν εὐρώπην πραχθέντα) διεπεραιώθη τὸν ἴστρον, οἴκαδε διὰ τὴν εἰρήνην ἀποφοιτῶν, ἀποστέλλουσι πρέσβεις αἱ περὶ τὴν θράκην τῶν Ῥωμαίων δυνάμεις, πρὸς μαυρίκιον τὸν αὐτοκράτορα, προδοσίαν καταιτιώμεναι κομεντιόλου τοῦ στρατηγοῦ. τῆς στάσεως τοίνυν εἰς τὸ βασίλειον ἄστυ ἰσχυρᾶς γεγονυίας, δίδωσιν ὁ αὐτοκράτωρ κομεντιόλῳ, καὶ τοῖς πρέσβεσι διαιτητάς. καὶ δῆτα γινομένης τῆς συγκροτήσεως τῆς δίκης, καὶ τοῦ βασιλέως ἐκλιπαροῦντος τοὺς πρέσβεις, λαμβάνει ἡ κατηγορία τὴν ἐγκοπὴν, καὶ αὖθις ὁ

enda rectè ratiocinans, Georgium in regiam venire finit, qui oblata opportunitate vsus, regi auctor est, vti pacem saluam integramque conseruet. Ita Chosroes animo nolente volente (vt est apud poëtam) quietem, pacemque complectitur. Legatus eum omnia quæ contigissent fusè docet. Verùm illud colloquium haud fœliciter euenit. Ferunt enim postea Georgium apud Imperatorē gloriatum, Persarum regem Satrapis suis confessum esse, se ob Legati virtutem bello supersedere. Qua oratione Imperator succensuit, magnumque Georgius ex obita legatione periculum adiuit. Sic enim comparatum est, vt, nisi cum modo & ratione adhibitus sermo, incautis hominibus immodicè noceat. Postquam verò Chaganus (ad res enim Europæas regrediendum est) pace facta domum abiens Istrum transmisit, Romanus exercitus in Thracia oratores ad Mauriciū Imp. mittit, & Comentiolum ducē proditionis accusat. Itaque graui seditione Constantinopoli concitata, Imperator dat arbitros, cōstitutoque iudicio Legatos im-

 penitus

κομεντίολος γίνεται στρατηγός. θέρους δὲ ἐπιόντος, ἔξω τῆς πόλεως γίνεται. καὶ τῶν Ῥωμαίων περὶ τῆς λύπης διαλυσαμένων τῷ στρατηγῷ, τὸ ὁπλιτικὸν ὁ κομεντίολος ἀθροίζει, καὶ ἐπὶ τὸν ἴστρον γίνεται ποταμόν, καὶ ἐν τῇ σιγγηδόνι, συνανακοινοῦται τῷ πρίσκῳ.

pensius orat, & exorat. Ita accusatio inhibetur, & Comentiolus deintegro dux deligitur. Vbi æstas affuit, ex vrbe discedit, Romanisque secum in gratiam reuersis, & delectibus habitis, ad Istrum contendit, ac Singidone cum Prisco se coniungit.

CAPVT II.

Pax inter Romanos, & Abares Imp. iussu imminuitur. Comentiolus Viminacij ęgrotat. Chaganus fines Romanorum vastat; quo mãdante, Istri transitus à quatuor eius filiis custoditur. In ripa cerdante, Istri transitus à quatuor eius filiis custoditur. In ripa certamine edito barbari vincuntur. Comenticli absentia excusatur. Barbari vallum Romanorum oppugnant. Nuntius ad duces de periculo. Adest Priscus. Viminacium reducuntur rates. Confligitur, occisisq́ Romanorum trecentis, oppetunt barbarorum quatuor millia.

Τετάρτῃ δὲ ἡμέρᾳ ἐκκλησιάζονται τὰ στρατόπεδα, καὶ δημηγορήσαντος πρίσκου, περιαιρεῖται ἡ πρὸς ἀβάρους καὶ Ῥωμαίους εἰρήνη. ὁ γὰρ αὐτοκράτωρ μαυρίκιος τοῖς στρατηγοῖς παρασπονδῆσαι διὰ βασιλικοῦ προστάγματος ἐγκελεύεται. ἐς τὸ φανερὸν τοίνυν τῆς εἰρήνης διαλυθείσης, οἱ Ῥωμαῖοι πρὸς τὸ βιμινάκιον γίνονται. αὕτη δὲ νῆσος παραθέστηκε περὶ τὰ ῥεῖθρα τοῦ ἴστρου. ἐν ταύτῃ τῇ νήσῳ ὁ κομεντίολος ἔδοξε νοσηλεύεσθαι. τῶν δὲ Ῥωμαίων ἀπὸ τῆς νήσου διαπεραιουμένων ἐπὶ τὴν ἤπειρον, ἀκηκόει ὁ χαγᾶνος τὰ τοῦ Ῥωμαϊκοῦ στρατοπέδου κινήματα. ὁ μὲν οὖν βάρβαρος συναθροίσας δυνάμεις, τὴν Ῥωμαίων διατέμνεται γῆν. τοῖς δὲ παισὶ τέσσαρσιν οὖσιν αὐτῷ, παρεδίδου δυνάμεις, καὶ παρενεγγυᾷ,

Qvarto die in concionem coacto exercitu, & Prisco verba faciente, pax inter Romanos & Abares dissuitur: quod vt facerent, Mauricius imperiali mandato ducibus præceperat. Manifestè igitur pace irrita, Romani Viminacium (insula est in Istro flumine) deferuntur, vbi Comentiolus grauiter se habere visus est. inde in continentem traiiciunt. Quibus motibus auditis, Chaganus collecto milite satis & arboribus Romanorum exitium infert; & quatuor filiis copias attribuit, quibus transitum Istri custodiant;

quod

τὰς διαβάσεις τοῦ Ἴστρου περιφρουρεῖν. οἱ μὲν οὖν παῖδες τοῦ βαρβάρου τὰς διαβάσεις τοῦ Ἴστρου περιφρουρεῖν κατὰ τὸ προσταχθὲν ἐνεχείρουν. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι τὰς λεγομένας σχεδίας συρράψαντες, ὁμοθυμαδὸν τὸν ποταμὸν διενήξαντο. περὶ τὰς ὄχθας τοίνυν τοῦ ποταμοῦ γεγονυίας τῆς μάχης, κρατοῦσι Ῥωμαῖοι τῶν ἀντιθέτων δυνάμεων. ὁ δὲ Κομεντίολος ἅμα τῷ Πρίσκῳ, εἰς τὸ Βιμινάκιον τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο. ἦν δὲ αὐτῷ ἡ ἀναβολὴ τοῦ μὴ ἐθέλειν συμπλέκεσθαι, ἀπίθανος οὐδαμῶς. μαχαίρᾳ γὰρ ἰατρῶν τὰς ἐπὶ τῆς χειρὸς φλέβας ἀποτμηθείς, ἐπὶ αἵματος ἐκροῇ εὐφήμως πως διὰ τὴν δειλίαν ἀπόμαχος ἦν. διαπορθμευθέντων τοίνυν τῶν Ῥωμαίων τὸν Ἴστρον, καὶ συστησαμένων τὸν χάρακα, οὐ καταλίμπανε τὴν νῆσον ὁ Πρίσκος. οὐκ ἤθελε γὰρ τοῦ Κομεντιόλου ἐκτὸς ποιήσασθαι τὴν παράταξιν. οἱ δὲ βάρβαροι ἀστρατήγου τῆς Ῥωμαίων ὑπαρχούσης δυνάμεως, πρὸς τὸν χάρακα τούτων ἐκτρέχουσιν. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι ἀγγέλους εἰς τὸ Βιμινάκιον τοῖς στρατηγοῖς ἐπιπέμπουσι, τόν τε κίνδυνον παρεδήλουν. δυσανασχετοῦντος δὲ τοῦ Πρίσκου τοῦ Κομεντιόλου ἐκτὸς τοῦ ἔργου ἐφάψασθαι, καὶ τῶν βαρβάρων λίαν ἐγκρατῶς ἐπικειμένων, πείθεται τὸν Κομεντίολον καταλιπεῖν, καὶ τὰς φροντίδας τῶν κινδύνων αὐτὸς ἀναδέξασθαι. καὶ οὖν καταλιμπάνει τὸ Βιμινάκιον, καὶ πρὸς τὸν Ῥωμαϊκὸν γίνεται χάρακα. Δευτέρα δὲ ἡμέρα καὶ προστάττει τὰς ναῦς τοῦ Ἴστρου καταλιπούσας τὰς ὄχθας, περὶ τὸ Βιμινάκιον μεθορμίσασθαι. ἐδεδίει γὰρ ὁ Πρίσκος, μήπως οἱ Ῥωμαῖοι τῶν ἐπακτρίδων διακειμένων αὐτοῖς περὶ τὰς ὄχθας τοῦ ποταμοῦ, συνεχεῖς τὰς μεταν

quod illi pro eo vt iussi erant facere instituunt. Romani nauibus extemporaneis, siue ratibus cōsensu flumen transeunt, prælioque in ripa conserto, superiores abeunt. Comentiolus cum Prisco Viminacij hęrebat. Nam cum ei è brachio sanguis esset missus, honesto planè timore, & probabili de caussa à pede cum hostibus conferendo ipse abstinebat. Fluuio superato, valloque à Romanis excitato, Priscus, qui sine Comentiolo pugna experiundū non putabat, etiamnum in insula manebat. Barbari Romanis duce destitutis vallum incursant. Illi nuntios de periculo suo Viminacium mittunt. Priscus absque Comentiolo ægrè se mouet: sed barbaris impotenter incumbentibus, tandem dat manus, & eo relicto depellendi discriminis curam laboremq; capessit, ac vallo succedit. Postridie nauigia Viminacium reduci imperat: quod metueret, ne illis ad ripam dispositis, milites crebrò ad insulam transmearent; & idcirco imminuto copiarum numero, ad vallum tuendum infirmiores redderentur. Barbaris autem pugnam vrgentibus, Pri-

 scus

βάσεις ἐπὶ τὴν νῆσον ποιεῖν, κἀντεῦθεν κατακερματιζομένης τῆς τῶν Ῥωμαίων δυνάμεως, ἀσθενεστέραν ἡ τάφρος τὴν φρουρὰν ἀπολάβοι. τοίνυν τῶν βαρβάρων κατεπειγομένων πρὸς πόλεμον, τετάρτῃ ἡμέρᾳ καὶ ὁ πρῖσκος ἐξ ἑωθινοῦ σιδηροφορεῖν τοῖς Ῥωμαίοις προσέταξε. καὶ ὡς ἐνῆν, τὰς ἐκτάξεις τρισὶ συστησάμενος φάλαγξι, τῶν πολεμικῶν ἐγχειρημάτων ἀπήρχετο. οἱ μὲν οὖν Ῥωμαῖοι ἀποσχόμενοι τῶν τόξων, ἀγχιμάχως τοῖς δόρασι κατεπολέμουν τὸ βάρβαρον. τῶν δὲ ἀβάρων δέκα καὶ πέντε συστήμασιν ἐξοπλισάντων τὴν ἔκταξιν, καὶ τῶν Ῥωμαίων εἰς μίαν σύνδεσιν καὶ φόβῳ τοῦ χάρακος καὶ τετραπλεύρῳ μάχῃ διακεκοσμηκότων τὴν ἔκταξιν, ἀσυλίαν ἐντεῦθεν παρεχομένων τῷ χάρακι, ἐπὶ ὥρας πολλὰς ὁ πόλεμος εἶχε τὴν πρόοδον. ἡλίου δὲ κλίναντος, συναναπέκλινε καὶ ὁ πόλεμος, καὶ ἦν ἐπιδέξιος αὕτη ἡ τοῦ πολέμου τοῖς Ῥωμαίοις ῥοπή. τριακοσίων τε ἀναιρεθέντων Ῥωμαίων χιλιάδες τέτταρες ἐκ τῶν ἀβάρων διώλοντο. ἐπιγινομένης οὖν νυκτός, εἰς τὸν χάρακα οἱ Ῥωμαῖοι ἀνέζευξαν.

ſcus ſuis edicit, vt mane in armis ſint; acieque, vt potuit, in tres phalanges diſtributa, prælium orditur. Romani arcubus carentes, cominus haſtis rem gerunt; digeſtisque barbaris per ordines quindenos, ipſis autem timore valli amittendi in vnum, & eodem verſus quadrilatera figura diſpoſitis, atque ita vallum tutum præſtantibus, in multas horas concurſum: nec ante ſolis occubitum finis certamini eſt impoſitus. Pugnatum à Romanis Marte ſecundiſsimo. Nam ex ipſis trecenti tantùm, ex Abaris quatuor millia deſiderata ſunt. Nocte interueniente, victores ſe in caſtra recipiunt.

CAPVT III.

Alterum prælium cum Abaris. Prudentia Priſci delentur nouem millia. Tertio prælio de ſuperiore loco pugnantes Romani, aduerſarios in lacum, ſeu ſtagnum compellunt, vbi cum Chagani filiis plerique ſummerguntur. Periêre ad quindena millia. Quarto prælio ad Tiſſum, ſeu Tyrſum flumen iterum non pauci occumbunt. Fluuio traiecto Romani exploratores quater mille occidunt, Gepidarum triginta millia, & cum captiuis ad Priſcum redeunt. Quinto prælio complures barbari aquis præfocantur: multa millia capiuntur.

Τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ καὶ ὁ βάρβαρος ἕτερον συνεστήσατο πόλεμον. ὁ μὲν

DIE tertio barbarus de integro certamen molitur. Priſcus, vt

οὖν Πρίσκος ὡς οἷόν τε ἦν συντάξας τὸ στράτευμα, ἑωθινὸς ἐχώρει πρὸς τὴν παράταξιν. τρεῖς τοίνυν συντάξας δυνάμεις, ἐς τὰ μάλιστα τοῖς Ῥωμαίοις εἶτα ἐνεγύησεν ἐς τὸ καρτερὸν, τά τε κέρατα διαζῶσαι αὐτίκα, οὕτω τε τοὺς Ἀβάρους εἰσδέξασθαι· ὅπως οἱ βάρβαροι περὶ τὰ κοιλότερα γινομένης τῆς δυνάμεως, καὶ καταλειλημμένοι ἐν μέσῳ, περιπέσωσι συμφοραῖς ἀδοκήτοις. τῷ τοιούτῳ τοίνυν τρόπῳ καταστρατηγοῦνται οἱ βάρβαροι καὶ ἀναιροῦνται ἐκ τῆς πολεμίας καὶ ἀντιθέτου δυνάμεως χιλιάδες ἐννέα. ἡλίου δὲ δύοντος, ἐπὶ τὴν τάφρον τὸ νενικηκὸς ἐπανῆκε. Δεκάτῃ δὲ ἡμέρᾳ καὶ ὁ στρατηγὸς ἠκηκόει, ἥκειν αὖθις τὸν βάρβαρον πρὸς παράταξιν. ἡμέρας δὲ λαμπούσης, τὸ Ῥωμαϊκὸν καθοπλίσας, κοσμίως τε συμφραξάμενος, ἐχώρει πρὸς πόλεμον. ὁ μὲν οὖν Πρίσκος τρισαῖς αὖθις φάλαγξι τὰς δυνάμεις κατεστρατεύσατο. ὁ δὲ βάρβαρος μίαν συστησάμενος φάλαγγα κατὰ τοῦ Πρίσκου ἐχώρησεν. ὁ μὲν οὖν Πρίσκος τὴν εὔθετον τῶν τόπων χώραν καταλαβὼν, τήν τε ῥύμην τοῦ πνεύματος ἔχων συνέριθον, ἀφ' ὕψους τοῖς βαρβάροις ἐνήραξεν. τοῖς δὲ δύο κέρασι κατεπολέμησε τὸ πολέμιον. ἐπεὶ δὲ λίμνη ὑπέστρωτο τοῖς τόποις ἐκείνοις, ἐπὶ τὰ ὕδατα ἐξωθεῖ τὸν βάρβαρον. διὰ τοῦτο περὶ τὸ ῥόθιον ἀποκρουσθέντες οἱ βάρβαροι, καὶ τὴν λίμνην ἀντιμέτωπον δυστυχήσαντες, λίαν σφοδρῶς ἀπεπνίγοντο. πλῆθος τοίνυν πολὺ κατὰ ταύτην τὴν λίμνην ἀνῃρημένου, τῶν τε παίδων τοῦ Χαγάνου ἀποπνιγέντων αὐτόθι, περιφανεστάτην ὁ Πρίσκος τὴν νίκην ἐνεπορεύσατο. καταφθείρονται τοίνυν περὶ τοῦτον τὸν πόλεμον πεντεκαίδεκα χιλιάδες

vt potuit, agmine diſpoſito & inſtructo ſurgente iam die ad pugnã procedit. Copiis quam potuit bene diſpoſitis, ac tripartitò diuiſis, ad fortiter dimicandum omnes impenſiſsimè cohortatur, atque vt cornua mox diducant, itaque Abaros in medium recipiant: vt ſic intercepti concluſique, cladem improuiſam accipiant. Hoc igitur modo ab hoſtibus circumuenti perimuntur ad nouem millia. Exacto die, victores intra vallum reuertuntur. Luce decima nuntiatur duci, barbarum velle prælium iterare. Itaque poſtridie vbi diluxit, Priſcus Romanis inſtructis, & decenter communitis, ad tentandum conflictum progreditur, ac ſuos iterum in tres phalangas diſpertit. Barbarus in vnum cõflatis omnibus, in Priſcum vadit: qui occupato loco regionis idoneo, magno bellici ſpiritus impetu è ſuperioribus in barbaros ferebatur, & duobus cornibus, ſeu à dextris, & à ſiniſtris eos impellebat. Et quoniam ſtagnum locis illis ſuberat, in vndas eos adigebat. Quas cum oculis proſpicerent, & circum eas miſerè agitarentur, dira in ipſis morte

ſuffoca-

βαρβάρων. ὁ μὲν οὖν χαγάνος ἐπικινδύνως διασωθεὶς, κατὰ τὸν τισσὸν γίνεται ποταμόν. τριακοστῇ δὲ ἡμέρᾳ καὶ ὁ βάρβαρος συνέλεξε δύναμιν. ἐπεὶ δὲ καὶ πρὸς τέταρτον πόλεμον τὴν ἐπιβολὴν ἐποιεῖτο, καὶ τούτων ὁ τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸς ἠκηκόει, στρατοπεδεύεται ὁ πρίσκος ἐπὶ τὸν τισσὸν ποταμόν. ὁρίζεται τοιγαροῦν ἑκατέρᾳ δυνάμει ἡμέρα πρὸς πόλεμον. ἐπεὶ δὲ τὸ διωρισμένον πέρας ἐλάμβανεν, ὑπὸ πρώτην ἕω ὁ πρίσκος ἐναλλὰξ τὰς δυνάμεις συνέταξε, καὶ τὴν μὲν εὐώνυμον φάλαγγα δεξιὰν ἐποιήσατο, τὴν δὲ μέσην, εὐώνυμον. ὁ δὲ βάρβαρος δυοκαίδεκα συστήμασιν ἐξοπλίζει τὸν πόλεμον. οἱ μὲν οὖν Ῥωμαῖοι ἡρωϊκώτερον τῆς μάχης ἀντείχοντο. τῇ τοίνυν ἐνστάσει τοὺς βαρβάρους καταπολέμησαν. καὶ διόλλυται καὶ κατὰ ταύτην τὴν μάχην πλῆθος πολεμίων πολύ. ταύτην τοίνυν τὴν νίκην εὐδοξοτέραν τὸ τῶν Ῥωμαίων ὁπλιτικὸν ἀνεδήσατο. ὁ δὲ πρίσκος τέσσαρας χιλιάδας συντάξας, τὸν τισσὸν διανήξασθαι ἐκέλευε, καὶ ἀνερευνᾶσθαι τὰ τῶν πολεμίων κινήματα. οἱ μὲν οὖν ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ ἐκπεμφθέντες, τὸν γείτονα ποταμὸν διαπεραιοῦνται. περιτυγχάνουσι τοιγαροῦν χωρίοις γηπαίδων τρισίν. οἱ δὲ βάρβαροι μηδὲν τῶν ἐν τῇ προτεραίᾳ διεγνωκότες, συμπόσιόν τε καθίσαντες, πανήγυριν ἑώρταζον ἐπιχώριον. τὰς τοίνυν φροντίδας ἀναθέντες τῇ μέθῃ, κατεπαννυχίζοντο εὐωχούμενοι. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι ἐπὶ τὸ λεγόμενον

suffocabantur. Plurimis igitur, & simul Chagani filiis tali modo summersis, illustrissimam victoriam Priscus retulit. Eo enim cõgressu barbarorum quindecim millia vitam amisêre. Chaganus non sine periculo saluus ad Tissum fluuium euasit. Die tricesimo barbarus exercitũ ad quartum prælium instaurauit. Quod simul dux Romanus comperit, etiam ipse ad Tissum amnem armatus prodiit. Ab vtrisque communiter dies ad conflictum præstituitur. Is postquam illuxit, sub auroram Priscus ordinibus permutatis suos disponit, & sinistram aciem facit dexteram, mediam autem sinistram. Barbarus suos in duodenos ordines digerit. Romani viriliter & animosè certamini insistentes, barbaros debellant, magnamque etiam tum multitudinem conficiunt, gloriosamque victoriam consequuntur. Priscus quatuor millia ad Tissum vicinum flumẽ transeundum, hostiumque motus & inclinationes explorandas segregat. Transeunt, & offendunt Gepidarum villas tres, qui rerum pridie gestarum ignari penitus, confidentes, & compotantes festum patrium magna frequentia celebrabant, omnibusque curis ebrietati dicatis, noctem totam in conuiuiis exigebant. Romani crepusculo no-

λυκόφως, ἔτι λειψάνων ὑπούσης νυκτὸς, κραιπαλῶσι τοῖς βαρβάροις ἐπίκεινται, καὶ μέγιστον ἀπεργάζονται φόνον. ἀναιροῦνται γὰρ βαρβάρων χιλιάδες τριάκοντα. πλείστης τε αἰχμαλωσίας κρατήσαντες, τὸν ποταμὸν ἀντενήξαντο, πρός τε τὸν πρίσκον τὴν προνομὴν διεσώσαντο. ἡμέρᾳ δὲ εἰκοστῇ καὶ πάλιν ὁ βάρβαρος περὶ τοῦτον δὴ τὸν ποταμὸν συναγείρει δυνάμεις. διὰ τοῦτο ὁ πρίσκος παλινοστεῖ περὶ τὸν ἴσον τὸν ποταμόν. γίνεται τοιγαροῦν κατὰ τοῦτον τὸν χῶρον μεγίστη καὶ ἀξιολογωτάτη παράταξις. οἱ μὲν οὖν βάρβαροι καταπολεμηθέντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐγκρατῶς, κατὰ ταύτην δὴ τὴν ἡμέραν ἐπὶ τὰ ῥεῖθρα τοῦ ποταμοῦ ἀποπνίγονται, συναπόλλυνται δὲ τούτοις καὶ σκλαβηνῶν πλεῖστα ἀπόμοιρα. ἐζωγρεῖτο δὲ μετὰ τὴν ἧτταν τὸ βάρβαρον, καὶ ἥλωσαν ἄβαροι μὲν τρισχίλιοι. ἄλλοι δὲ βάρβαροι πρὸς ταῖς τέτρασι χιλιάσι δισχίλιοί τε, καὶ διακόσιοι. καὶ σκλαβηνῶν χιλιάδες ὀκτώ. οὕτω μὲν οὖν ζωγρηθέντες δεσμοῖς παρεδίδοντο. ὁ δὲ στρατηγὸς ἐν τομεῖ τῇ πόλει τοὺς λαφυραγωγηθέντων βαρβάρους ἐξέπεμπε.

ctis, ante exortum scilicet solis, barbaros adhuc crapulantes opprimunt, & stragem edunt maximam, tricenorum videlicet millium: & cum ingenti prȩda repetito fluuio, Prisco eam offerunt. Vicesima luce denuo barbarus ad huncce fluuiũ copias congregat, quo in loco atrocissimo, & inprimis memorabili prælio decertatur, in quo barbari, vt paucis dicam, magna virtute victi, & aquis summersi sunt: cum quibus etiam Sclauorum pars maxima interiit. Seruati, & capti obtenta victoria Abarum tria millia, aliorum barbarorum sena millia ducenti, Sclauorum octo millia. Omnibus iniecta vincula, & in vrbem Tomeum à duce missi.

CAPVT IV.

Captiui Chagano petenti Imperatoris auctoritati restituuntur. Comentiolus è morbo recreatur. Byzantium ad hyberna profecturus, ducem viæ Traiani apud Nobenses quærit. Quibus dare abnuentibus, irascitur, duosq́; capite multat. Monetur de sene quodam huius viæ non ignaro, quicum verba commutat & litigat. Magnitudine frigorum, Romani multi, & iumenta eo itinere pereunt. Philippoli hyemat. Petrus iterum dux declaratur. Theodosius Mauricij filius Germani filiam ducit. Tumultus in Imp. ob charitatem rei frumentariæ. Maledicta in eundem, & lapidatio. Clauis audaces deterrentur. Theodosium generum Germanus clamyde sua tegit.

Ὁ δὲ χαγᾶνος πρίν τι τὸν αὐτοκράτορα τῶν γεγενημένων ἐν εἰδήσει γενέσθαι, πρέσβεις ἐς Μαυρίκιον ἔπεμψεν, ἀναλαβεῖν τοὺς ζωγρηθέντας πειρώμενος. ὁ δὲ Μαυρίκιος τῶν ἀπειλαῖς τοῦ βαρβάρου καταπλαγείς, καὶ τοῖς λόγοις ἀποβουκολούμενος, δι' ἐπιστολέως τῷ Πρίσκῳ προσέταξεν ἀποδοῦναι τοὺς ζωγρηθέντας τῷ χαγάνῳ Ἀβάρους. οὕτω μὲν οὖν ἀπὸ τῆς Τόμεος ἀνεδίδοντο τῷ χαγάνῳ οἱ βάρβαροι. ὁ δὲ Κομεντίολος ὥσπερ ἀπό τινων ἐνυπνίων μακρῶν μόλις διανήψας, ἔδοξεν ἀπηλλάχθαι τῆς νόσου, παραγίνεται πιγαρῶν εἰς τὰς Νόβας· καὶ συγκαλεσάμενος τῶν ἐγχωρίων τινάς, τὸν ποδηγοῦντα παρ' αὐτῶν ἠξίου ἀναλαβεῖν. ὅπως τὴν λεγομένην Τραϊανοῦ παροδεύσηται τρίβον. ἠπείγετο γὰρ ἐς Βυζάντιον τὴν χειμέριον ὥραν ποιήσασθαι. οἱ μὲν οὖν ἐγχώριοι ἀπηγόρευον τῷ Κομεντιόλῳ ταύτην δὴ τὴν ἀτραπόν. ἐπὶ τούτῳ μανείς, δύο τῶν ἀπαγορευόντων ἀπέτεμεν. οἱ μὲν οὖν περὶ τὰς Νόβας ἔφασκον τῷ Κομεντιόλῳ, μὴ

Chaganus priusquam Imperator quippiam actorum rescisceret, per Legatos recuperare captiuos studet. Mauricius barbari minis territus, & verbis in fraudē inductus, Prisco mandat, vt captiuos Abares reddat. Sic barbari Tomeo educti, Chagano viui restituuntur. Comentiolus quasi diuturno somno vix tandem aliquando experrectus, morbum depulisse visus est. Nobas init, conuocatisque quibusdam indigenis, ab iis ducem viæ Traiani, quæ dicitur, quærit. Festinabat enim Byzantium, vt ibidem hyberna ageret. Indigenæ hanc ei viam monstrare detrectant. Tum ille ira furens, duos ex iis obtruncat. Hîc Nobenses, non habere se, qui eā viam monstrare

ἔχειν τὸν ὑποδείξοντα. ὑπεῖναι δὲ ἀπὸ σημείων δέκα καὶ δύο παλαίτατον λίαν γερόντιον, χρόνων πεφυκὸς ἑκατὸν πρὸς τοῖς δέκα δύο. τοῦτον ἐπίστασθαι τραϊανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος τὴν λεγομένην τρίβον κατισχυρίζοντο. γενόμενος τοίνυν κατὰ τὸν χῶρον ἐκεῖνον κομεντίολος ὁ στρατηγὸς, τὸν πρεσβύτην ἠξίου τῆς ὁδοιπορίας προηγήσασθαι. ὁ δὲ γέρων διηπορεῖτο, καὶ ἤχαλλε, καὶ λίαν χαλεπὸν τὸ ἐγχείρημα τῷ στρατηγῷ προηγόρευε, τήν τε δυσχωρίαν, τόν τε χειμῶνα, καὶ τὸ τῆς τρίβου ἀνήμερον διεξήρχετο. ὑπεῖναι γὰρ τὴν τρίβον ταύτην ἀδιεξόδευτον ἀπὸ ἐτῶν ἐνενήκοντα. ἀντιτείνει τοίνυν ὁ στρατηγὸς τοῖς τοῦ γέροντος λόγοις. ἐπεὶ δὲ τὰ τῆς χείρονος ἐπιβολῆς ὑπερτέρησεν, ἀπάρχονται τῆς ὁδοιπορίας αἱ τῶν Ῥωμαίων δυνάμεις. κατὰ ταύτας δὴ τὰς ἡμέρας ἐπεδήμησε μέγα, καὶ ἐξαίσιον ψῦχος. καὶ μεγάλου γεγονότος τοῦ κρύους, καὶ τῆς τῶν πνευμάτων πικρότητος ἐγκρατῶς ἐγκειμένης, ὄλλυνται πολλοὶ τῆς δυνάμεως, τῶν τε νωτοφόρων ζώων ἡ πλείστη ἀπόμοιρα. λίαν γοῦν καὶ ἀπευκτῶς ὁ κομεντίολος ἐπὶ τὴν φιλίππου ἀφίκετο. τοίνυν ἐκεῖσε τὴν ἅπασαν τοῦ χειμῶνος ὥραν ἐνδιατρίψας, ἔαρος ἀρχομένου ἐς βυζάντιον παραγίνεται. τῷ δὲ ἐπιόντι θέρει πάλιν στρατηγὸς ὑπὸ μαυρικίου τοῦ αὐτοκράτορος ἀναδείκνυται. Ἐννεακαιδεκάτῳ ἐνιαυτῷ τῆς βασιλείας μαυρικίου τοῦ αὐτοκράτορος, οὐδὲν Ῥωμαίοις καὶ βαρβάροις ἐπράχθη. ἔτει δὲ εἰκοστῷ τὸν αὐτάδελφον ὁ αὐτοκράτωρ μαυρίκιος πέτρον στρατη-

strare poſsit. Abeſſe autem millibus paſſuum duodenis ſilicernium quoddam, natum annos duodecim ſupra centum: ei notam eſſe, quæ Traiani Imperatoris via nominetur. Eum locum vt attigit Comentiolus, ſenem orat, vti viam ipſis præeat. Senex tergiuerſari, & indignari, & quàm operoſum negotium tentet, difficultate locorum, aſperitate hyemis, & incommoditate viæ commemorata oſtẽdere. Ab hinc enim nonaginta annis non eſſe tritam. Dux contradicit. Et quia conſilium peius vincebat, via illa Romani gradiuntur. Per eos dies immane & intolerandum frigus incidit, ſpirarúntque validiſsimè venti, ita, vt multi de exercitu, & iumentorum doſſuariorum pars bene magna interierit. Quamobrem cum diris ſuorum execrationibus Philippopolim veniens, totam illic hyemem traduxit, & initio veris Byzantium reuerſus, æſtate mox ſequẽte rurſum dux à Mauricio deſignatus eſt. Anno imperij Mauricij decimo nono nihil inter Romanos, & barbaros geſtum eſt. Viceſimo Petrum Prætorem Europæ declarauit. Sed

γὸν περιεστήσατο τῆς εὐρώπης. περὶ τοῦτο τοῦ ἐνιαυτοῦ, θεοδόσιος ὁ τοῦ βασιλέως υἱὸς νυμφίος πομπεύεται, καὶ πρὸς ἔννομον γάμον δίδωσιν αὐτῷ πατὴρ γερμανοῦ τὸ θυγάτριον. ἀνδρὸς λίαν ἐνδόξου, καὶ τῶν ἐς συγκλήτου βουλῶ, ἄγαν ἐπιφανοῦς. μετ' ὀλίγας τοίνυν ἡμέρας τοῦ γάμου, ὥρα χειμῶνος σιτοδεία τίς τοῖς βυζαντίοις ἐνέσκηψε. τούτου δῆτα τοῦ λιμοῦ γεγονότος, καὶ τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέρας περιελθούσης, τῆς γενεθλιακῆς πανηγύρεως τοῦ μεγάλου θεοῦ ἰησοῦ, ὃν χριστὸν τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην ἔθνη γεραίρουσι, καταστασιάζει τὰ πλήθη τοῦ αὐτοκράτορος. εἰώθει δὲ ὁ βασιλεὺς συνεορτάζειν τοῖς δήμοις. τοῦ τοίνυν βασιλέως ἅμα τοῖς ὄχλοις τὰς λιτὰς ποιουμένου, νεωτερίσαντες ἀπὸ τοῦ πλήθους τίνες, ἐς μαυρίκιον ἐβλασφήμουν, καὶ λίθους ἐξέπεμπον κατὰ τοῦ αὐτοκράτορος. ὁ μὲν οὖν μαυρίκιος κελεύει τοῖς σωματοφύλαξιν ἀπειλεῖν ταῖς σιδηραῖς κατὰ τῶν ἐπιόντων κορύναις. ταῦτα δὲ ἄρα τῇ Ρωμαίων φωνῇ δίστρια λέγεται. μέχρι δὲ τῆς ὑποκρίσεως κελεύει τούτοις τὰς ἐπιφορὰς σχηματίσασθαι, ὁ δὲ γερμανὸς ὑποκάτω τῆς χλαμύδος καλύψας τὸν θεοδόσιον, διὰ τῶν λεγομένων ἱλαρᾶς (τόπος δὲ οὗτος τοῦ ἄστεος) ἐκ τῶν λιτανευμάτων ὑπεξαγαγὼν διεσώσατο.

anno priore Theodosio filio Imperator singulari apparatu legitimo connubio Germani, excellentissimi viri, & illustrissimi senatoris filiam coniungit. Paucis diebus à nuptiis, ipsa hyeme Byzantij ob annonæ grauitatem fame laborarunt. Cumque iam dies quadragesimus adesset, celebritatis natalium magni Dei Iesu Christi, quem gentes vniuersæ per orbem terrarum venerantur, plebs seditionem aduersus Imperatorem incipit. Consueuerat ille cum populo eum diem in templo peragere. Cumque ibidem iam sacris precibus distineretur, quidam plebei nouarum rerum cupidi, eum maledictis lacerant, & lapidibus insectantur. Mauricius corporis custodibus mandat, vti se inuadentes clauis ferreis (quæ Romanis distria dicuntur) deterreant, & impetum in eos simulent. Germanus Theodosium chlamyde sua protectum, per Hilaras (locus est vrbis) illæsum è templo educit.

CAPVT

CAPVT V.

De templo Virginis Mariæ in Blachernis. Auctores seditionis exilio damnati, altero die reuocantur. Petrus ad Istrum ducens, Plastoli æstatem habet: deinde in angulum Dardaniæ secedit. Cum Apsicho hypostratego barbarorum colloquitur. Vtraq; copiæ recedunt. Chagani astus. Imperator Petro trans Istrum profectionē mandat. Petrus à Bonoso illustri satellite Imp. nauiculas flumini traiiciendo petit, & Gundoim militibus præficit. Is multos hostium perimit, Romanosq; in prouinciam redire non patitur. Artos Romanorum socios Chaganus delere cogitat.

Καὶ οὖν ὁ βασιλεὺς ὑπὸ τῶν σωματοφυλάκων διασώζεται· μὴ δεδωκὼς ἐγκοπὴν τῷ λιτανεύματι. εἶτα πρὸς τὸν τῆς θεομήτορος νεὼν παρεγένοντο, ὃν βλακέρνας ἀποκαλοῦσι τιμῶντες βυζάντιοι, τὸ δὲ τέμενος τοῦτο τῶν σεβασμίων λίαν καθέστηκε. θρησκεύεταί τε ὑπὸ τοῦ ἄστεος ἐς τὰ μάλιστα. λέγεται γὰρ περιστόλια τῆς παρθένου μαρίας (τὴν θεοτόκον κυρίως καὶ μόνην οἱ Ῥωμαῖοι πρεσβεύομεν) ἐν σηκῷ χρυσοπάστῳ ἀποτεθῆναι ἐνταῦθα. ἅπασαν τοιγαροῦν τὴν ἱερὰν μυσταγωγίαν ἐν τούτῳ δὴ τῷ ναῷ κατὰ τὸ εἰωθὸς ὁ βασιλεὺς λατρεύσας, πρὸς τὰ βασίλεια γίνεται. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ τοὺς ἐπισημοτέρους τῶν καταστασιασάντων μικροῖς τισιν αἰκισμοῖς σωφρονίσας, ἐξορίζει τοῦ ἄστεος. ἡ δὲ ἐξορία ἀμακροημέρευτος ἦν· θᾶττον γὰρ μεταβαλὼν ὁ βασιλεὺς τὴν λύπην, δίδωσι τοῖς ἐξοριστοῖς ἐξουσίαν ἐπιβαίνειν τοῦ ἄστεος. μενοῦνγε ὁ πέτρος ὁ στρατηγὸς τὰς δυνάμεις ἀθροίσας, ἐπὶ τὸν ἴστρον χωρεῖ, καὶ εἰς παλάστολον ἀφικνεῖται. καὶ χάρακα

Imperator itaque à Satellitibus defensus, in sacris perseuerat. Deinde ad Dei genetricis ædem, quam Blachernas populus Byzantinus, (apud quem in honore est) vocare solet, confugit. Sanè templum istuc admodum venerabile, à ciuitate præcipua religione colitur. Tenet enim fama, quasdam vestes Mariæ Virginis, quam Deiparam propriè, & solam nos Romani veneramur, in arcula inaurata ibidem asseruari. Vbi in hoc templo Imperator rei diuinæ more suo vsque ad finem interfuit, regiam repetit. Postridie de seditiosis insigniores, parcius verberibus emendatos in exilium tradit. Id non adeò longum fuit. Mox enim dolore posito, eiectis potestatem in vrbem redeundi concessit. Petrus Istrum petens, Plastolum venit, ibique castris ex-

ποιησάμενος, οὕτω τὴν τοῦ θέρους ὥραν διήνυον. μετοπώρου τε ἀρχομένου, ἐπὶ τὸ κλίτος τῆς δαρδανίας ὁ στρατηγὸς ἐνεδήμησεν. ἠκηκόει γὰρ περὶ τοὺς λεγομένους καταρράκτας ἀθροισθῆναι τῶν βαρβάρων τὰ πλήθη, τόν τε ἀψὶχ ἐνθάδε στρατοπεδεύεσθαι. τοίνυν τῶν Ρωμαίων γεγονότων αὐτόθι, πέτρος ὁ στρατηγὸς πρὸς τὸν ἀψὶχ τὸν ὑποστράτηγον τῆς ἀβάρων δυνάμεως ἐδίδου καὶ ἀντελάμβανε λόγους. ὁ δὲ ἀψὶχ, τοὺς λεγομένους καταρράκτας ἀπὸ Ρωμαίων ἐνεχείρει δουλώσασθαι. δυσανασχετοῦντος δὲ τοῦ στρατηγοῦ μὴ τοιαύταις συνθήκαις ζωπυρεῖν τὴν εἰρήνην, ἑκατέρα διαλύεται δύναμις. καὶ ὁ μὲν χαγᾶνος ἐπὶ τὴν λεγομένην κωνσταντίολαν ἐχώρησεν, οἱ δὲ Ρωμαῖοι ἐπὶ τὰς θρᾳκώας διατριβὰς ἐπανέζευξαν. τοῦ δὲ θέρους ἐπείγοντος, ἀκοὴ γίνεται μαυρικίῳ τῷ αὐτοκράτορι, ὡς ἐπίτηδες ὁ χαγᾶνος ἀναβολὴν τῷ πολέμῳ παρέχετο, ὅπως ὑπορρεμβόμενος τῆς Ρωμαίων πληθύος, ἀθρόα κινήσει τινὶ τοῖς περὶ τὸ βυζάντιον ἐπισταίη. καὶ οὖν τὴν ἀδριανοῦ πόλιν καταλιπεῖν τῷ στρατηγῷ ἐγκελεύεται. ὁ μὲν οὖν πέτρος κατὰ τῆς σκλαβηνίας πληθύος στρατοπεδεύεσθαι παρεσκεύαζεν. ἔγραψέ τε βονώσῳ. (ἀνὴρ δὲ οὗτος τῶν σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως ἐπιφανής, ὃν σκρίβωνα εἴωθε τὰ πλήθη ἀποκαλεῖν) τοῦτον γὰρ ἐδέησε κατ' ἐκεῖνο καιροῦ διακονεῖσθαι πέτρῳ τῷ στρατηγῷ. ἡ δὲ τοῦ γράμματος ἀξίωσις ἦν, ἐφ' ᾧ τὰς τῶν Ρωμαίων πορθμίδας χορηγεῖν ταῖς δυνάμεσιν, ὅπως τὸν ποτα-

citatis, æſtatem tranſigit. Ineunte auctumno in Dardaniæ latus, ſiue angulum vadit. Audierat ſiquidem, ad Catarractas congregari barbarorum multitudinẽ, & ibi Apſichum tendere. Illic cum Apſicho Abarum hypoſtratego ſermonem miſcet. Apſichus Catarractas Romanis eripere conabatur. Duce ægrius ferente, huiuſcemodi pactis non poſſe pacem redintegrari, vterque exercitus inde abſcedit, & Chaganus quidem Conſtantiolam, Romani in Thraciam reuertuntur. Aeſtate iam proxima, Mauricius certior fit, Chaganum differre pugnam de induſtria, vt vagantibus Romanorum copiis ac negligentibus, improuiſò Byzantium inuadere queat. Itaque duci in mandatis dat, Adrianopoli relicta Iſtrum tranſeat. Petrus aduerſus Sclauos expeditionem parat, & Bonoſo ex ſatellitibus Imperatoris illuſtri (quem Scribonem vulgò appellitant: & cui tum Petrus ſubeſſe debebat) ſcribens, lembos militibus traiiciẽdis ſuppeditari poſtulat, quibus Gundoin pro hypoſtratego præponit. Gundois fluuio tranſmiſſo in ore gladij non exiguum barbarorum numerum abſumit,

ingenti

μὲν διανήξονται. τοῦ δὲ μαχίμου ὁ πέτρος τὸν γουδοῦιν ὑποστράτηγον προεστήσατο. τοίνυν ὁ γουδοῦις τὸν ποταμὸν διαβὰς, στόματι μαχαίρας πλήθη πολεμίων ἀνεῖλεν. αἰχμαλωσίας δὲ κρατήσας πολλῆς, μεγάλην περιβάλλεται εὔκλειαν. οἱ μὲν οὖν Ῥωμαῖοι ἐπανήκειν διὰ τοῦ ποταμοῦ εἰς τὴν ἑαυτῶν ἐπειρῶντο. ὁ δὲ γουδοῦις τοῦτο ποιεῖν αὐτοὺς διεκώλυε τέως. ἀπὲρ τὰς Ῥωμαίων ἐφόδους ὁ χαγάνος μεμαθηκὼς, τὸν ἀφὶχ μετὰ στρατοπέδων ἐξέπεμπεν, ὅπως τὸ τῶν ἄρτων διολέσειεν ἔθνος, ὃ σύμμαχον Ῥωμαίοις ἐτύγχανεν ὄν.

ingenti præda, & gloria potitur non mediocri. Romanis per fluuium redire in ſedes ſuas cupientibus, Gundois obſtat. Chaganus Romanorum impreſsione intellecta, Apſichum ad Artos Romanorum ſocios delendos mittit.

CAPVT VI.

A Chagano quidam deficiunt, ad quos reducendos varios ille modos inueſtigat. Quare Romani vltra Iſtrum hybernare noluerint. Seditio. Fluuium tranſmeant, & iraſcuntur grauiſsimè. Iraſcitur viciſsim Petrus. Eidem per quietem oblata epiſtola. Caſtra mouent Romani. Tumultus militaris. Legati militum ad Petrum, de reditu: cui moleſtus eſt Imp.

Τούτων δὴ γιγνομένων, ἀποστατοῦσι τῶν ἀβάρων πλήθη τινὰ, αὐτομολεῖν τε τῷ αὐτοκράτορι κατηπείγοντο. ταράττεται οὖν ἐπὶ τῷ ἀκούσματι ὁ χαγάνος, καὶ περιδεὴς γεγονὼς, πολὺς ἦν ἀντιβολῶν, καὶ σοφιστεύων μεθόδους πολλὰς, ἀντιμεταστῆσαι τὴν ἀποστατήσασαν δύναμιν. ὥρας τοίνυν μετοπωρινῆς ἐνδημούσης, καὶ μαυρικίου τοῦ αὐτοκράτορος ἐνοχλοῦντος τὸν πέτρον, ἐν ταῖς τῶν σκλαβινῶν χώραις τὰς Ῥωμαϊκὰς δυνάμεις τὸν τοῦ χειμῶνος ἐνδιατρῖψαι καιρόν. τῶν τε Ῥωμαίων βαρυνομένων ἐπὶ τῇ τοῦ βασιλέως βουλῇ διά τε τὴν λείαν αὐτὴν, διά τε τὴν

HAEc dum fiunt, non pauci Abarum deficientes, ad partes Imperatoris ſe adiūgere maturant. Conturbatus ea auditione Chaganus, & in timorem haud leuem coniectus, orare vehementer, & varias ſecum rationes meditari, quibus deſertores ad ſe reduceret. Ergo autumno aduentante, cum Mauricius Petro moleſtiam exhiberet ſuper copiis in Sclauorum regione per hyemem retinendis, copiæ autem ab eo magnoperè abhorrerent, tum propter prædæ ſpem exiguam: tum propter equo-

rum

τῆς ἵππου ταπείνωσιν, ἔτι γε μὴν καὶ διὰ τὸ πλήθη βαρβάρων περικυμαίνειν τὴν χώραν τὴν ἀντιπέραν τοῦ ἴστρου, καὶ τοῦ στρατηγοῦ τὸ βασιλικὸν κρατύνοντος πρόσταγμα, στάσις μεγίστη τοῖς στρατεύμασι γίγνεται. ὁ μὲν οὖν μαυρίκιος διὰ πυκνῶν συλλαβῶν ἐπετίθετο πέτρῳ τοῦτο τοὺς Ῥωμαίους ποιήσασθαι. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι ἀντιπαρείσταντο πρὸς συντονωτέραν ἀπόφασιν. διὸ τὸν ποταμὸν παροδικῶς διενήξαντο. ἐπεὶ δὲ τοῦτο ἐγένετο, ἀφικνοῦνται ἐν παλαστόλῳ, μεγίστῳ θυμῷ τὰς ψυχὰς μεθυσθέντες. ὁ δὲ πέτρος στρατοπεδεύεται ὡς ἀπὸ δέκα σημείων τοῦ χάρακος. καὶ οὖν ὁ στρατηγὸς διαγανακτῶν ταῖς δυνάμεσιν, ἐς ἀπόνοιαν ἄλογον ἔβλεπεν οὐκ ἠξίου τε τῷ ὁπλιτικῷ συναυλίζεσθαι. τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ τῷ γουδοῦι ἔφησεν· ἃ δὲ ἔφησε, ταῦτα ἐκεῖνα ἐστί. δόξαι κατ' ὄναρ συλλαβὰς ἐπιπεμφθῆναι αὐτῷ. τὴν δὲ τῆς ἐπιστολῆς προγραφὴν ἔχειν ἐπὶ λέξεως οὕτως.

Ὁ κύριος ἡμῶν ἰησοῦς χριστός, ὁ ἀληθινὸς θεός. ἡ θεία χάρις. Ὁ τῶν ἐκκλησιῶν προεστὼς, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληρῶν, εἰς τὸ πᾶσι συμφέρον προΐστησιν ἐπὶ τοῦ παρόντος τόν δε τῆς νέας δεσπότην. διηπόρει τοίνυν ὁ πέτρος, καὶ ἤσχαλλεν. ἠδημόνει τε καὶ ἐστροβεῖτο, περικυκώμενος πάντοθεν, τίνες εἴησαν αἱ τῶν φανέντων ἐνυπνίων ἐκβάσεις. ὁ μὲν οὖν γουδοῦις καταπλαγεὶς ἐπί τε τῷ ταράχῳ τοῦ πλήθους, ἐπί τε τῆς τῶν ὀνείρων ἐκφάσεσιν, ἀφωνίᾳ κα-

rum paucitatem, & barbaricam illorum locorum frequentiam, ipſeque dux in Imperatoris iuſſu omnia poneret, ſeditio maxima exorta eſt. Mauricius crebris litteris Petrum vrget, vt ita fiat. Romani acerrimè recuſant: Quocirca flumẽ vltro traiiciunt, Plaſtolum veniunt, ira inflammatiſſimi. Petrus ab iis viginti leucis abſens indignatur, atque eorum inſania, & inſolentia irritatus, manere cum iis dedignatur. Tertiò die Gundoi narrat, per quietem viſam ſibi epiſtolam mitti cum hac inſcriptione ad verbũ.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus verus Deus. Diuina gratia. Qui Eccleſiis præſidet, & quæ deſunt ſupplet, ad omnium vtilitatem in præſens hunc nouæ (Romæ) dominum præficit. Hærebat igitur incertus, & triſtabatur, & angebatur, & cruciabatur, perturbatus vndique, quiſnam huius viſi per ſomnium futurus eſſet exitus. Gunduis & tumultu exercitus, & dubio ſomniorum euentu obſtupefactus, nequit vocem edere. Poſtero die caſtra mouet exercitus, prætereunteſque Aſema (caſtelli nomen eſt) Cariſcam veniunt, vnde in barbarorum

domi-

τείχετο. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ μετατιθοῦσιν αἱ δυνάμεις τὸν χάρακα, καὶ τὰ ἄσημα παραμείψαντες (Φρούριον δὲ τοῦτο) γίνονται ἐν καρίσκα, ὅθεν διαπορθμίσασθαι ἤμελλον εἰς τὰς τῶν βαρβάρων σκηνώσεις. ἦσαν γάρ τι μικρὸν μεταβεβληκότες τὸ φρύαγμα. ἐν ταύταις γοῦν ταῖς ἡμέραις ἐναυπηγοῦντο ἀγγεῖα. καὶ τούτου δὴ γιγνομένου ὑετοὶ ἐπιπίπτουσιν λάβροι. συνεπιτίθεται δὲ καὶ ψύχους ἐπιβουλή. ταύτῃ δῆτα ἐπιστασιάζει τὸ πλῆθος, μὴ βουλόμενον διανήξασθαι. πέμπουσι τοίνυν πρὸς τὸν Πέτρον, εἴκοσι σημεῖα ἀπῳκισμένον τοῦ χάρακος πρέσβεις οἱ Ῥωμαῖοι ὀκτώ. ἐξ ὧν ἐτύγχανεν ὢν καὶ Φωκᾶς ὁ χαλεπώτατος τύραννος. ἡ δὲ ἀξίωσις ἦν, οἴκαδε τὴν δύναμιν ἀναζεύξασαν, τῇ τοῦ χειμῶνος ὥρᾳ ἐγκαρτερεῖν. ὁ δὲ αὐτοκράτωρ ἐπώχλει δι' ἐπιστολέως τὸν Πέτρον, τὸν ποταμὸν διαπεραιωσάμενον τὰς δυνάμεις, τῆς τῶν βαρβάρων γῆς ἐπιβῆναι, τὰς δὲ στρατοπέδων ἀποτροφὰς αὐτόθεν τοὺς Ῥωμαίους ἀρύσασθαι. ἐγκοπήν τε δημοσίων σιτήσεων ἐντεῦθεν τῷ πρυτανείῳ παρέχεσθαι.

domicilia irrupturi erant: paululum quippe de ferocia remiserant. Per illos igitur dies naues compinguntur. Interea cum imbribus maximis frigus ingruit. Tali impedimento obiecto, nolentes traiicere, ad Petrum leucis viginti, vt dictum est, distantem à castris, legatos mittunt octo, è quibus etiam erat Phocas tyrannus immitissimus. Petebant autem, vt liceret in hyberna domum redire. Ast Imperator per tabellarium Petrum extimulat, vt traiectis copiis, barbarorum regionē incurset, quò inde alimentis in militem comparatis, ipse è prytaneo annonam præbere ne cogeretur.

CAPVT VII.

Petrus Gundui de mandati seueritate ex auaritia profecta flens conqueritur. Duces conuocat, litteras exhibet. Miles transire Istrū abnuit. Furor militum, fuga ducum. Phocas Imperator renuntiatur. Petrus fugit: Mauricio rem significat. Mauricius nuntiū examinat; quid agat nescit: dolore dissimulato, ludos equestres celebrare pergit. Populum bonum habere animum iubet. Venetorum acclamationes. Tribuni numerum vtriusq; factionis profitentur. Earum factionum vituperatio.

Ὁ μὲν οὖν στρατηγὸς τοὺς πρέσβεις εἰσκαλεσάμενος, καλεπήγγελτο τῇ ἐς αὔριον ὡς αὐτοὺς ἀφικνεῖσθαι,

DVx Legatis accersitis, die sequēti ad eos se venturum, missionemque daturum polli-

cetur.

λύσιν τε τῆς δυσφορίας παρέχεσθαι. μεταστειλάμενος τοιγαροῦν τὸν Γουνδοῦιν, ἔφη πρὸς αὐτὸν τὰ τῶν ἠθυμηκότων προσρήματα. ἀμφικρημνά μοι τῶν κινδύνων καθέστηκε. δυσδιεξόδευτον τὸ τοῦ βασιλέως καθέστηκε πρόσταγμα· καὶ τὸ ἀντιτείνειν ἀδύνατον, καὶ τὸ μὴ πειθαρχεῖν χαλεπώτερον. οὐδὲν ὠδίνει καλὸν τρόπος φιλάργυρος. ἀκρόπολις τῶν κακῶν ἡ φιλαργυρία καθέστηκεν. ὑπὸ τοῦ τοιούτου πάθους ὁ αὐτοκράτωρ νοσηλευόμενος.

τάχα ἄν ποτε θυμὸν ὀλέσῃ,

ἵνα καὶ τινι ἔπει τῆς ὁμηρικῆς τραγῳδίας καρυκεύσω τὸν λόγον. αὕτη ἡ ἡμέρα πολλῶν κακῶν ἄρξει Ῥωμαίοις. οἶδα, καὶ πείθομαι. ἐπίδακρυς τοίνυν ὁ Πέτρος γινόμενος, ἐγκοπήν τε τῷ λόγῳ διὰ τὸ δάκρυον ποιησάμενος, γίγνεται πλησίον τοῦ χάρακος. τῇ οὖν ὑστεραίᾳ ἀθροίζει τοὺς ταξιάρχας τῆς πάσης δυνάμεως. τότε τοῦ βασιλέως αὐτοῖς παρεδήλωσε γράμμα. οἱ δὲ ἡγεμόνες τῶν ὁπλιτικῶν συνταγμάτων, ἔφησαν τῷ στρατηγῷ μὴ ἐθέλειν τὸ μάχιμον ἐς τὸ ἀντιπέραν τὰς διαβάσεις ποιήσασθαι, τὰς αἰτίας ἐν ἐκθέσεως μοίρᾳ ποιούμενοι. ἐπεὶ δὲ ὁ Πέτρος ἀντιπρώρους τοῖς ὄχλοις ἐποιεῖτο τοὺς λόγους, λαῖλαψ μεγίστη θυμοῦ τοῖς στρατοπέδοις ἐνέσκηψε. διὰ τοῦτο αἱ δυνάμεις τοῦ χάρακος ἀποκλίνασαι, κατὰ μόνας ἐκκλησίαν συνήθροισαν. τοῦτο οἱ ἡγεμόνες τοῦ ὁπλιτικοῦ θεασάμενοι, ἀποκλίνουσιν εἰς φυγήν, καὶ πρὸς Πέτρον τὸν στρατηγὸν παραγίνονται. ἑτέραν δὲ καὶ τῇ ἐς ὕστερον ἐκκλησίαν πεποιηκότα τὰ πλήθη, ἐξαρ-

cetur. Et arcessito Gundoi, his cum verbis cum animi desperatione alloquitur. Vtrinque mihi propositum est periculum. Difficile est exequi quod mandat Imp. Et reniti ac repugnare impossibile, & obtemperare durum atque acerbum. Nihil boni parat auaritia. Arx malorum est auaritia. Hic morbus Imperatorem inuasit, ob quem,

anima fortasse aliquando carebit,

vt versiculo è tragœdia Homerica orationem condiam. Hic dies Romanis multarum miseriarum afferet initium. Scio, cōstanterque credo. Cum his dictis sermonem, lacrymis se profundentibus abrumpit, & ad castra profectus, luce altera omnibus centurionibus congregatis, Imperatoris ad se litteras demonstrat. Illi, milites nolle Istrũ traiicere affirmant, & caussas exponunt. Quoniam autem Petrus in sententia permanens, nihilominus se multitudini opponebat, atrox irarum procella in exercitum incubuit. Quamobrem castris excedentes, seorsum in concilium coeunt. Quo viso, duces ad Petrum aufugiunt. Postridie rursum coëuntes, Exarchũ Pho-

cam

χον τὸν ἑκατόνταρχον Φωκᾶν προεστήσαντο. ἐπὶ ἀσπίδος τε εἰς ὕψος ἐξάραντες, εὐφήμως ἐκτύπως τὸν ἀναγορεύουσι. τούτων ὁ Πέτρος ἀκηκοώς, εἰς ἀπόδρασιν τὰς φροντίδας μετέθηκε, καὶ δῆλά τε τὰ συμβεβηκότα ἐπεποίητο Μαυρικίῳ τῷ αὐτοκράτορι. ὁ μὲν οὖν Μαυρίκιος τὸν ἀπαίσιον ἄγγελον εἰσκαλεσάμενος εἰς τὰ βασίλεια, ἐν παραβύστῳ τῶν ἐπικεκληθηκότων ἐποιεῖτο τὰς πεύσεις. εἶτα ταῖς μερίμναις ἐσφάδαζεν. ἀμηχανία δὲ αὐτῷ περιέρρει πολλή. ὅμως ἀποκρύπτει τῶν ἀκουσμάτων τὴν ἄφιξιν, ἱππικούς τε ἀγῶνας συνετέλει συχνούς, ἀποπροσποιήσει, ὡς ἐξουθενῶν τὰ τῶν νεωτεριζόντων μελετήματα. τοῖς δὲ δήμοις ἐδήλου διὰ κηρύκων παρὰ τὸ στάδιον, ὑπὸ ἀλόγου ἀκοσμίας στρατιωτῶν μὴ ταράττεσθαι. οἱ μὲν οὖν τοῦ κυαναυγοῦς χρώματος ἐρασταὶ μετ᾽ ᾠδῆς ἀνεβόων πρὸς τὸν αὐτοκράτορα ταῦτα (καὶ αὐτῆς γὰρ τῆς ἐπὶ λέξεως συνθήκης ποιησώμεθα μνήμην.) Ὁ θεὸς, αὐτοκράτωρ, ὁ κελεύσας σε βασιλεύειν, ὑποτάξοι σοι πάντα πολεμοῦντα τῇ βασιλείᾳ. εἰ δὲ Ῥωμαῖός ἐστιν, εὐεργέτα, ἀγνώμονά τε εἰς δουλείαν σοῦ τοῦτον ὑποτάξεις χωρὶς αἵματος. Τετάρτῃ δὲ ἡμέρᾳ καὶ σὺν δημάρχους ὁ αὐτοκράτωρ εἰσκαλεσάμενος πρὸς τὰ βα-

cam centurionem sibi præficiũt, eumq; supra scutum altè subla-tũ, faustis gratulationibus prosequuntur. His auditis Petrus fugę se commisit, quæque acciderant, Mauricio Impatori renũtiauit. Qui infaustum nuntium in regiam vocatum, in abdito de iis quę euenerant sigillatim percunctatur. Deinde cum anxiis curis trepidaret, & quid consilij caperet prorsus nesciret, nihilo secius tamen audita dissimulans, ludorũ equestriũ spectaculis crebro dat operam, cum quadam simulatione, se conatus istorum res nouas molientium pro nihilo putare. Populum autem voce pręconum in circo monet, ne quid ipse ex temeraria militũ seditione turbetur. Qui igitur Venetæ factionis erant, ita ad verbum Imperatori accinebant. Deus, Imperator, cuius iussu imperas, omnes imperio tuo aduersantes tibi subiiciat. Quod si Romanus est, illi benefac, & improbum in potestatem tuã rediges citra sanguinẽ. Die quarto Tribunis (quos populi administratores vulgus nominare solitũ est)

σίλεια, τοὺς διοικητὰς τῶν δήμων εἴωθεν τὸ πλῆθος ἀποκαλεῖν (ὀνόματα δὲ τούτοις σέργιος, καὶ κοσμᾶς) ἐπυνθάνετο τῶν δημοτευόντων ἐπὶ λεπτοῦ τὸν ἀριθμόν. ὁ μὲν οὖν σέργιος ἐν χάρτῃ τὴν σύνταξιν τῶν ἐραστῶν τοῦ χλοάζοντος ἐνεχάραξε χρώματος, πεντακοσίους πρὸς τοῖς χιλίοις τυγχάνοντας. ὁ δὲ κοσμᾶς τοὺς τῆς ἀντιθέτου αἱρέσεως ἑκατοντάδας ἐννέα συντέταχεν. εἰς δύο γὰρ χρωμάτων ἐφέσεις τὰ τῶν Ῥωμαίων καταπέπλωκε πλήθη· ἐντεῦθεν μέγιστα κακὰ τῷ βίῳ εἰσήρρησε. κατὰ μικρὸν γὰρ τοῦ λυσσώδους ταύτης αὐξανομένης μανίας, τὰ Ῥωμαίων διώλοντο πράγματα.

est) ad se in palatium accitis, Sergio, inquam, & Cosma, popularium numerum subtiliter exquirit. Sergius in charta numerum Prasinorum exaratũ tradit, mille quingentos. Cosmas contrariæ factionis nongentos. Duorum quippe colorum, cærulei & viridis factionibus dedita erat populi multitudo, vnde mala grauissima in vitã importata sunt. Sensim enim aucta hac rabiosa insania, res Romanę pessum iuerunt.

CAPVT VIII.

Legatio Mauricij ad Phocam irrita. Mœnibus Theodosianis custodes apponit. Exercitus ad Theodosium Mauricij filium legatio, aut ipsum, aut eo cedente, Germanum Imperatorem postulantis. Comentiolo vrbis defensio creditur. Germanus Imperatori inuadendæ tyrannidis suspectus, frustra se tuetur. In ædem Deiparæ pro asylo confugit. Eius conditor Cyrus qualis fuerit. Stephanus pædagogus filiorum Imp. ad eum euocandum mittitur. In Sophiæ templum transit. Theodosius, vt ob secretum patefactum fustibus pulsatur.

Ὁ μὲν οὖν αὐτοκράτωρ ἥκειν ἀκούσας τὸν τύραννον, πρέσβεις ἐξέπεμψεν, ἀπομαραίνειν ὥσπερ τὰ τῆς συμφορᾶς ἐγχειρῶν. ὁ γε τύραννος ἐπὶ τούτοις ὑψαυχενίζεται, καὶ ἐπὶ τῷ νεωτερισμῷ καταμαίνεται, ἀπράκτους τε τοὺς πρέσβεις ἐξέπεμπεν. ὁ δὲ μαυρίκιος περιφρουρεῖν τοῖς δήμοις τὰ θεοδοσίου τείχη προσέταξε. ἃ δήμαδης λόγος πρεσβύτης ἐρεῖ τὸν ἀρκαδίου τοῦ αὐτοκράτορος θεοδόσιον παῖδα. πρὸ τούτων τοίνυν ἡμερῶν ὀλίγων γερμανὸς (κηδεστὴς

IMperator appropinquare tyrannum audiens, veluti calamitatem alleuaturus, Legatos mittit. Qua re tyrannus insolescit, & honoribus nouis insanit; Legatos sine responso dimittit. Mauricius mœnia Theodosiana à populo custodiri iubet; quæ quidem Theodosiũ Arcadij Imp. F. construxisse, vetus fama loquitur. Paucis ante diebus Germanus, Theodosij, filij Imperatoris

γὰρ οὗτος θεοδοσίου τοῦ παιδὸς τοῦ αὐτο-
κράτορος) ἱππάζεσθαί τε καὶ ξυνω-
ρικεύεσθαι τὸν μαυρικίου τοῦ καίσαρος
υἱὸν ἀναλαμβάνει ἐς καλλικράτειαν.
χῶρος γὰρ πρὸ τοῦ ἄστεος οὗτος
λίαν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὡραῖος. ὁ μὲν
οὖν μαυρίκιος παρασκευὴν βασι-
λικὴν θεοδοσίῳ δίδωσι τῷ παιδί. τοῦ
δὲ νέου κυνηγετοῦντος ἀπεριμερίμνως,
καὶ λίαν ἐπαγωγότερον, παραγίνεται
πρέσβυς ὡς αὐτὸν ὑπὸ τῆς Ῥωμαίων
μαχίμου δυνάμεως, ἐπιστολήν τε ἐγ-
γεγραμμένην ὑπὸ τοῦ ὁπλιτικοῦ πα-
ρέχων θεοδοσίῳ τῷ παιδὶ μαυρικίου
τοῦ αὐτοκράτορος. ἡ δὲ ἀξίωσις ἦν, ἢ
αὐτὸν θεοδόσιον τὴν ἡγεμονίαν τοῦ κρά-
τους ἀναλαβεῖν· ἢ γερμανῷ τὴν αὐτο-
κρατορικὴν ἐμπορπήσασθαι δύναμιν.
μηδὲ γὰρ ἔτι ἀνέχεσθαι ὑπὸ μαυρι-
κίου τοῦ αὐτοκράτορος Ῥωμαίων δυ-
νάμεις ἰθύνεσθαι. γίνεται τοίνυν ταῦτα
κατάδηλα μαυρικίῳ τῷ αὐτοκράτο-
ρι. ὁ μὲν οὖν βασιλεὺς, ἐπεὶ ταῦτα ἐ-
πέπυστο, μετάγει διὰ γραμμάτων ὡς
αὐτὸν παραυτίκα τὸν παῖδα. τῇ γὰρ
ὑστεραίᾳ περίλυπος ὢν, προστάττει ὁ
αὐτοκράτωρ κομεντιόλῳ ἐπιστατεῖν
τοῖς περιφρουροῦσι τὰ τοῦ ἄστεος τείχη.
τῇ τοίνυν ἐπαύριον ὑπὸ πρώτην ἕω,
εἰσαγώγιμον τὸν γερμανὸν ὁ μαυρί-
κιος ποιεῖται πρὸς τὰ βασίλεια. καὶ
περίδακρυς γεγονὼς, τούτων τῶν κακῶν
ἔφη τὸν γερμανὸν πεφυκέναι ὑπόθε-
σιν. ἦν δὲ τῆς ὑπονοίας ταύτης τεκμήριον, τὸ δι᾽ ἐπιστολέως τὰς δυνάμεις
τὸν γερμανὸν ἐθέλειν βασιλέα ποιήσασθαι. εἶτα τοῦ τυραννηκότος πλήθους

toris socer, generum suum Callicrateam (locus est ante vrbem, per quam, vt verbo complectar omnia, amœnus ac speciosus) equis & vehiculis in venatione se oblectaturum educit, Mauricio apparatum suppeditante. Dum iuuenis omni cura expeditus, multa cum voluptate venatum exercet, adest ab exercitu Legatus, atque ab eo scriptam epistolam ei porrigit: qua petebatur, vt aut ipse imperij principatum susciperet; aut Germano eundem cederet. Militem enim Romanum Mauricij imperia de cętero neutiquam passurum. Mauricius his compertis per literas ad se filium repente aduocat. Postero die incredibiliter mœstus, Comentiolo vrbis murorum custodiam commēdat. Die sequenti bene manè Germanum in palatium accersit, & multis cum lachrymis, ipsum horum malorum caput & caussam asserit. Huius suspicionis duo erant argumenta: quod exercitus eum per literas ad imperium capessendum inuitarat: & quod tyranni copiæ, cum, quidquid equorum ante vrbem pasceret, abegissent, eius duntaxat equis pepercerant. Cum pro se Germanus abundè respondisset, nec tamen Imp. dolorem lenire potuisset, ad extremum adiecisse

ἅπασαν τὴν ἵππον τὴν περὶ τοῦ ἄστεος νεμομένην καταπρονομεύσαντος, τὴν γερμανοῦ ἵππον μόνην ἀδιάσπαστον τηρηθῆναι. ἱκανῶς τοίνυν τοῦ γερμανοῦ ἀπολελογημένου τῷ αὐτοκράτορι, καὶ τὴν τοῦ βασιλέως λύπην μὴ κατευνάζοντος, ὡς ἐν τέλει λέγουσι τὸν μαυρίκιον φῆσαι. φείδου γερμανὲ τοῦ μηκύνειν τὸν λόγον. οὐδὲν ἥδιον τοῦ διὰ ξίφους τεθνάναι. ἐπὶ τούτοις ὁ αὐτοκράτωρ ἐπιτείνας τὸ βάδισμα, μεθίσταται τοῦ παρὰ Ρωμαίοις λεγομένου σεκρέτου. ἐπεὶ δὲ ὁ τοῦ αὐτοκράτορος παῖς θεοδόσιος παρειστήκει χαλεπαίνοντι τῷ αὐτοκράτορι, ᾤκτειρε τὸν κηδεστὴν κινδυνεύοντα, καὶ μικρὸν τῆς οἰκείας στάσεως διεξελθὼν, ἐξιόντι τῷ γερμανῷ ἐν ἀποκρύφοις κατεψιθύρισεν, ἀπόδρα τοῦτον, φήσας, ὦ ἄνθρωπε. θάνατος ἡ ζημία σοι γίνεται. ὁ μὲν οὖν γερμανὸς διὰ τῆς λεωφόρου (ἣν μέσην τὰ πλήθη κατονομάζουσιν) ἐς τὴν ἑαυτοῦ οἰκίαν ἐγένετο. τῷ δὲ δειλιναίῳ καιρῷ τοὺς ὑπασπιστὰς σὺν ἑαυτῷ συναθροισάμενος, τῷ ἱερῷ τεμένει τῆς θεομήτορος προσεπέλασεν, ὃ κῦρον, τὸν ἐπὶ θεοδοσίου τοῦ αὐτοκράτορος γεγονότα δείμασθαι λόγος καθέστηκεν ἀψευδής. οὗτος δὲ ἐς ὑπάτων ἀξίαν τὸ τηνικαῦτα ἀναβεβήκει καιροῦ. τοῦτον ἄνδρα ἀγαθὸν ἐς τὰ μάλιστα γεγονέναι φασὶ, καὶ περὶ τοὺς ἔρωτας τῶν λόγων σώφρονι μανίᾳ τινὶ ἐπεφύκει. ἡλίου δὲ κλίναντος, ἠκηκόει μαυρίκιος τῶν κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου κάτοχον τὸν γερμανὸν γεγονέναι. διὰ τοῦτο στέφανον τὸν παιδαγωγὸν τῶν ἑαυτοῦ παίδων (εὐνοῦχος δὲ οὗτος τῶν ἐπιφανῶν τοῦ βασιλέως, καὶ λίαν περίδοξος τοῖς ἀνακτόροις) πρὸς τὸν γερμανὸν ἀφικέσθαι προσέταξεν, ὅπως πεισθῇ ὑπεξα-

Mauricium aiunt, parce, Germane, plura loqui: nihil iucundius, quàm per gladium emori. Posthæc secreto (vt Romani appellant) egreditur. Quoniam autem Theodosius irato patri aderat, soceri in discrimen dati misericordia captus, paulum de loco secutus, exeunti in aurem insusurrat, fugeret hunc virum (Imperatorem) ni occidi vellet. Germanus via publica, quam plebs mediam nominat, domum suam concedit. Vesperi coactis satellitibus suis sacrum Deiparæ templum petit, quod à Cyro, Theodosij temporibus esse conditum, fama non falsa prædicat. Hic tum in consulatus gradum ascenderat: feruntque fuisse virum insigni probitate, liberaliumq; disciplinarum cum modesta quadam insania cupidissimum. Diei crepusculo cognoscit Mauricius Germanum cornua altaris apprehendisse. Quare Stephanum eunuchum, filiorum suorum pædagogum, hominem nobilem, & inter aulicos inprimis conspicuum, eum conuenire, & persuasum è sacris septis educere iubet. Comites Germa-

ni vi-

γάγοι τῶν ἱερῶν περιβόλων ἐκεῖνον. οἱ μὲν οὖν περὶ τὸν γερμανόν, ὡς εἶδον τὸν τοῦ βασιλέως εὐνοῦχον ὑπεξαγαγεῖν τοῦτον ἐθέλοντα τοῦ τῆς θεομήτορος ἱεροῦ, αὐτίκα συστάντες ἐξωθοῦσι τὸν στέφανον, αἰσχίστοις αὐτὸν περιβάλλοντες ὀνείδεσι. νυκτὸς δὲ γεγονυίας, ὑπεξέρχεται τοῦ τεμένους ὁ γερμανός, καὶ πρὸς τὸ μέγα τῆς πόλεως ἱερὸν μετεφοίτησε, τὸ ὑπὸ ἰουστινιανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος λίαν φιλοτίμως καὶ πολυτελῶς ἱδρυμένον. τοῦτο καλοῦσιν ἐκκλησίαν μεγάλην οἱ βυζάντιοι. ὁ μὲν οὖν μαυρίκιος ῥάβδῳ ἐμαστίγου τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν θεοδόσιον. ἔφασκε γὰρ τὸ ἀπόρρητον εἰς γερμανὸν ἐκεῖνον μεταγαγεῖν.

ni videntes quid eunuchus conaretur, reſiſtunt, ipſumq; conuitiis turpiſsimis opertum templo expellunt. Noctu Germanus ſe ſubducit, & in ampliſsimum vrbis templum, â Iuſtiniano Imperatore admodum ambitioſê ac ſumptuoſè exædificatũ (quam Byzantij Eccleſiam magnam vocitant) porrò tranſit. Mauricius Theodoſium fuſtibus accipit, quod ei arcana ſua aperuiſſet.

CAPVT IX.

Germanus denuo ad exeundum ſollicitatus. Andreæ pij viri hortatu eodem recurrit. Maledicentia populi in Imp. Muris deſertis, cuſtodes ſe ad tumultuantem populum applicant. Cuiuſdam Conſtantini, viri clariſsimi domus incenditur. Mauricius cum coniuge, & liberis in fugam ſe tradit. Populi in eum, & Patriarcham conuitia. Locus communis de leuitate, & ſtultitia populari. Podagra conflictatur. Filium ad Choſroën pro ope imploranda mittit. Germanus imperium ambit. Praſinis ſibi aduerſantibus, Phocam ſequitur.

Τούτων δὴ πραττομένων, οἱ Ῥωμαῖοι τῆς ὁδοιπορίας ἐχόμενοι, βυζάντιον τὰς ὁρμὰς ἐπιτείνουσιν. ὁ δὲ γερμανὸς ὁπλίταις συμπεφραγμένος, ἀπρὶξ εἴχετο τοῦ ἱεροῦ. ὁ δὲ αὐτοκράτωρ πλῆθος τῶν σωματοφυλάκων ἐξέπεμψεν, ὑπεξαγαγεῖν τοῦ ναοῦ τὸν γερμανὸν ὀρεγόμενος. ἐντεῦθεν θυμὸς μέγας τῇ πόλει ἐνέσκηψε. πείθεται τοίνυν ὁ γερμανὸς τοῦ τεμένους ὑπεξελθεῖν. τὸ τοίνυν πλῆθος τῆς πόλεως

His ad hunc modum procedentibus, Romani iter aggreſsi, cupiditatem Byzantium intendunt: Germanus armatis ſeptus, templo fixus adhęret. Imperator complures de excubitoribus ſuis ad eum educendum mittit: vnde ciuitatem ira peruadit. Flexus tamen Germanus, exire inſtituit. Tum plebs vrbana

ἀθροισθὲν, περὶ τὰ προαύλια γίνεται
τοῦ ἱεροῦ, καί τις ἀνὴρ (ἀνδρέας ὄνομα
αὐτῷ) τῶν περὶ τὰς ἱερὰς ἀπασχολου-
μένων λιτὰς, μεγίστῃ φωνῇ κέκραγε,
παλινδρόμει πρὸς τὸ ἱερὸν γερμανὲ·
τὴν σαυτοῦ σῶζε ψυχήν· θάνατόν σοι
τὸ ἐπαγόμενον. καὶ πείθει τὸν γερμανὸν
μεταφοιτῆσαι πάλιν πρὸς τὰ ἐνδό-
μυχα τοῦ ναοῦ. τὰ δὲ πλήθη συῤῥύ-
σαντα, ἐβλασφήμουν εἰς τὸν αὐτοκρά-
τορα, καὶ μεγίσταις ὕβρεσι τὸν μαυρί-
κιον ἔβαλλον, τῷ δὲ τῶν μαρκιανιστῶν
καταλόγῳ συνέταττον. αἵρεσις δὲ αὕτη
μετά τινος μωρᾶς εὐλαβείας, εὐή-
θης τε, καὶ καταγέλαστος. φλεγῶντος
τοιγαροῦν τοῦ ταράχου, οἱ τὰ τείχη δια-
φρουροῦντες δημόται τούτων ἀκηκοό-
τες, τῇ φρουρᾷ χαίρειν εἰπόντες, ἀνα-
μίγνυνται τῷ λαῷ τῷ στασιάζοντι. παν-
ταχοῦ τοιγαροῦν τῇ πόλει περικυμαίνον-
τος τοῦ κακοῦ, ἀλογίστῳ ὁρμῇ κατα-
μανῶς τὰ πλήθη τὴν οἰκίαν κωνσταν-
τίνου τοῦ λεγομένου λάρδυ, τῷ παμφά-
γῳ πυρὶ καταφλέγουσιν. ἀνὴρ δὲ οὗτος
ἐτύγχανεν ὢν τῶν ἐς συγκλήτου βουλὴν
ἐπιφανέστατος. τήν τε τῶν πατρικίων
ἀξίαν περιεβέβλητο οὗτος, καὶ τὴν ἡγε-
μονίαν τῶν φόρων τῆς ἑῴας πρό τινος
καιροῦ ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος ἀπει-
λήφει, ὃν ἔπαρχον πραιτωρίων εἰώ-
θασιν ὀνομάζειν Ῥωμαῖοι. τοῦτον ὁ μαυ-
ρίκιος ἐν τοῖς πρωτεύουσι τῶν ἀρχόντων ἐκέκλητο. τοιγαροῦν μεσούσης νυκτὸς,
τὴν βασίλειον στολὴν ἀποδυσάμενος, τήν τε ὑπηρέτιν ὁλκάδα παρασησά-
μενος (δρόμωνα δὲ ταύτην εἰώθασι τὰ πλήθη ἀποκαλεῖν) καὶ χρήματα ἐς
αὐτὴν ἐκβαλὼν ἅμα τῇ γυναικὶ, καὶ τοῖς παισὶν ἐπ' αὐτῆς ἐπιβαίνει, τόν τε

ædis vestibula concursat, & Andreas quidam, sacris precibus in ea vacare solitus, voce altissima exclamat: recurre in templum, Germane; conserua vitam tuam; exitium tibi suadetur. Quibus vocibus obsequens, in abditiora ædis gradum reuocat. Tum vulgus coitione facta, probris Imperatorem lacerat: exquisitisque contumeliis in eum debacchatur, & Marcionistis aggregat: quę est hęresis cum quadam fatua religione stolida, & deridicula. Feruente igitur tumultu, plebeij, qui muros custodiebant, his auditis, deserta custodia tumultuantibus sese immiscent. Itaque malis vrbem vndique instar fluctuum inundantibus, plebeia multitudo cæco impetu & furore incitata, Constantini Lardys ædes igne iniecto perdit. Erat hic vir è senatu Imp. illustrissimus, & patricia dignitate cohonestatus: & antea tributis orientalibus recipiendis (quem Præfectum prætorio Romani nominare solent) ab eodem præpositus: & inter primos principes habitus. In hoc rerũ statu Mauricius medio noctis vestem augustalem exuens, & priuatam induens, dromone, vt vocatur, conscenso, & grandi pecunia illata, vnà cum vxore li-

beris-

κωνσταντῖνον ἀναλαβὼν, πρὸς ἀπόδρασιν εἶδεν. τὰ δὲ πλήθη ἐπὶ τὴν τυραννίδα κατολισθήσαντα κατεπαννυχίζοντο τοῖς κακοῖς, καὶ ἐς τὸν μαυρίκιον ἐρραψῴδουν μεθ' ὕβρεως ᾄσματα. ἐπέσκωπτόν τι καὶ τὸν ἱεράρχην τὸν τηνικαῦτα καιροῦ, ὃν πατριάρχην σύνηθες Ῥωμαίοις ἀποκαλεῖν, κυριακὸς ὄνομα αὐτῷ. τῷ ὄντι γὰρ τὸ πλῆθος ἀπαίδευτον, καὶ πρὸς τὸ χεῖρον τῆς τροπῆς ἐμμανὲς, δυσνουθέτητόν τι, καὶ τοῦ συνοίσοντος λίαν ἀμύητον. λαίλαπος τοιγαροῦν γεγονυίας μεγίστης, ἐξαισίου τι νότου προσαναδιδόντος, μόλις ὁ μαυρίκιος διασώζεται ἐπὶ τὸν νεὼν αὐτονόμου τοῦ μάρτυρος, ὡς ἀπὸ σταδίων ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα τῆς πόλεως κωνσταντίνου τοῦ αὐτοκράτορος. ἐπιγίνονται δὲ αὐτῷ νόσοι ἀρθρήτιδες. ταύτης δὲ τῆς νόσου ἀσθένεια καθέστηκε δυστυχὴς τοῖς τὸ βασίλειον ἄστυ κατοικοῦσι διὰ παντός. τὰς δὲ αἰτίας οὐ δίειμι, ἵνα μὴ τὴν ἱστορίαν παραμορφώσωμαι. τότε μαυρίκιος ἐξαποστέλλει τὸν θεοδόσιον ὡς τὸν χοσρόην γενέσθαι, καὶ περὶ συμμαχίας καθικετεῦσαι τὸν βάρβαρον, ἀναμιμνήσκειν τε καὶ ὅσα περ αὐτῷ δυστυχήσαντι μαυρίκιος διελύσατο. ἀξιοῦν τε ἀμοιβαίαν τὴν χάριν ἀντιταλαντεύεσθαι, ὅλης ἐμοῦ τῆς οἰκίας ἐν μεγίστῳ καταπεπτωκυίας κινδύνῳ. ὑπεδείκνυε δὲ καὶ τὸν δακτύλιον ὁ μαυρίκιος, παρεγγυᾷ τε μυδαμῶς ποιήσασθαι τὴν ἀνάζευξιν, εἰ μή πού γε αὖθις θεάσοιτο τὸν δακτύλιον. οὕτω

berisque, & Constantino fugam iniuit: cui vulgus, vt tyranno, tota nocte maledicere non cessauit, cantilenis etiam in eum per cõtumeliam compositis. Scommatis item in Cyriacum hierarcham, siue Patriarcham (vt Romanis appellare mos est) insultabant. Sanè multitudo popularis imperita est, & rebus mutatis deteriora furiosè complectens, admonitiones respuit: & quid conducibile sit, prorsus non intelligit. Procella igitur Notis immanè fremẽtibus excitata, Mauricius ægre ad ædem martyris Autonomi viuus euadit: qui locus Constãtinopoli circiter centum & quinquaginta stadiis abest. Præterea articulorum doloribus corripitur: cuius morbi misera imbecillitas vrbem imperialem semper incolentibus infesta est. Caussas differere nolo, ne quid historiæ facies immutetur. Mittitur à Mauricio ad Chosroen Theodosius, qui & auxilium supplex roget: & regem commonefaciat, quantum durissimis temporibus suis præsidium ab eo, auxiliumque senserit: tantorumque beneficiorum remunerationem aliquã postulet, quandoquidem cum vniuersa domo in extremum præcipitatus sit discrimen. Ostendit porrò annulum, cohortando, ne vllo modo redeat, nisi eundem rursus con-

μὲν οὖν ὁ θεοδόσιος ἐπὶ τὴν νίκαιαν γίνεται. ἀλλὰ καὶ συνέκδημος γίνεται αὐτῷ κωνσταντῖνος, ὃν τὰ πλήθη λάρδυν κατωνόμαζον. κατὰ ταύτην τὴν νύκτα ἀνὴρ δημότης ἐπίσημος (ἑβδομίτης δὲ ἦν αὐτῷ τὸ ἐπώνυμον) καὶ ἕτεροι τοῦ χλοάζοντος χρώματος ἐρασταί, τὰς πύλας τοῦ τείχους ἀναπετάσαντες, πρὸς τὸν τύραννον παραγίνονται. ὁ δὲ γερμανὸς ἐς βασιλείας καταπεπτωκὼς ἔρωτα, καὶ θεόδωρον (σιλεντιαρίου δὲ οὗτος σχήματι ἐκεκόσμητο) πρὸς τὸν σέργιον ἔπεμπε (κατ' ἐκεῖνο δὲ καιροῦ οὗτος δὲ οὗτος ὁ σέργιος δήμαρχος ἐτύγχανεν ὢν τῆς πρασίνου πληθύος) καὶ ἠξίου ὑπὸ τοῦ δήμου τὸν βασιλικὸν ἀναδήσασθαι στέφανον, ἐπὶ συνθήκαις τισὶ, καὶ ὁμολογίαις ἐγγράφοις. Ὁ μὲν οὖν σέργιος ἐξ ἑωθινοῦ πρὸς τοὺς κορυφαιοτέρους τοῦ δήμου τοὺς λόγους τοῦ γερμανοῦ μετωχέτευσεν, δυσανασχετοῦσι τοίνυν οἱ λεγόμενοι πράσινοι, καὶ τὴν ἀξίωσιν ἀποπέμπονται. φάσκοντες, οὐκ ἂν μεταβολὴν τῆς αἱρέσεως ὁ γερμανὸς ποιήσηται πώποτε, οὔτε μεταθήσοι τὸ δόγμα, διὰ τὸ ἐς ἄγαν ἐμπαθῶς διακεῖσθαι περὶ τὴν τῶν λεγομένων βενέτων προσπάθειαν. οὕτω μὲν οὖν οἱ πράσινοι τοῦ γερμανοῦ τὰς ἐλπίδας ὠβέλισαν. ἐπεὶ δὲ ὁ γερμανὸς διητύχησε τοῦ βουλήματος, περὶ τὴν τοῦ τυράννου μετεχώρησεν εὔνοιαν, καὶ προσκυνεῖ πρὸς ὃν ἡ τύχη, ὡς ἔπος εἰπεῖν, μεταβέβηκεν.

ſpexerit. Sic Theodoſius Nicæam defertur, quem Conſtantinus Lardys comitatur. Eadem nocte vir plebeius, & egregius, cognomento Hebdomites, aliique Praſinæ factionis, mœnibus egreſsi, ad tyrannum ſe conferunt. Cæterùm Germanus regnandi deſiderio incẽſus, Theodorum Silentiarij honore ab exercitu donatum ad Sergium, qui per id tempus Praſinorum tribunum agebat, rogatum mittit, vt eius opera certis conditionibus & pactis (quæ ſimul ſcripta mittebat) liceret ſibi à populo diadema imperatorium conſequi. Sergius prima luce ad populi primores de Germani petitione refert. Praſini moleſtè ferunt, petitioneque reiecta, Germanum nunquam factionem permutaturum, neque à placito ſuo diſceſſurum autumant; quia Venetæ factioni modis omnibus ſit deditiſsim⁹. Sic Praſini ſpes Germani confoderunt. Qui, poſtquam res ſecus iuit quàm voluiſſet, ad tyranni amicitiam conuerſus, cui fortunam videbat propitiam, vt verbo dicam, eum adorauit.

CAPVT

CAPVT X.

Phocæ linguis animisq; fauetur. Populum cum Patriarcha, & ſenatu accerſit. Deteſtatio illius, vt hominis improbiſsimi. Eius ſimulatio in Germanum. Proclamatus Imper. coronatur. In vrbem magnificè inuehitur. Spargit aurum. Ludi fiunt equeſtres. Vxori Leontiæ corona imponitur. De loco ſtationis inter factiones contenditur. Alexander homo nefarius ad litem componendam mittitur. In Coſmam Tribunum eſt contumelioſus, ac violentus. Eum Veneti vlciſcuntur: quorum vox malè euenit.

Οἱ δὲ πράσινοι εἰς τὸ λεγόμενον ῥήγιον γίνονται, καὶ ταῖς εὐφημίαις τὸν τύραννον μεγαλύνουσι, καὶ πείθουσιν ἐν τῷ λεγομένῳ ἑβδόμῳ (τόπος δὲ οὗτος τοῦ ἄστεος ἀπὸ σημείων ἑπτὰ) τὸν Φωκᾶν ἀφικέσθαι. κατ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν ὁ τύραννος τὸν ἀσηκρήτοις Θεόδωρον, τῶν βασιλικῶν ταχυγράφων ἄνδρα ἐπίσημον, ἐν τῇ λεγομένῃ ἐκκλησίᾳ μεγάλῃ ἐκπέπομφεν, ὅπως οἱ Βυζάντιοι λαοὶ τὸν ἱεράρχην, τήν τε σύγκλητον ἀναλαβόμενοι, ὡς αὐτὸν παραγένωνται. ὁ μὲν οὖν Θεόδωρος ἀφικόμενος ἐπὶ τὸ μέγα τέμενος τῆς πόλεως, τὸ ὑπὸ Ἰουστινιανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος ἱδρυμένον, ἀνεὶς ἐπὶ τῶν βημάτων τῶν ὑψηλῶν (ἄμβωνα ταῦτα τὰ πλήθη ἀποκαλεῖ) τὸ τοῦ τυράννου πρόσταγμα τῷ λαῷ μεταδίδωσι. πάντων τοιγαροῦν γινομένων πρὸς τὸν Καλυδώνιον τύραννον, τὸν τῆς σώφρονος ἀλουργίδος ἀσελγέστατον κένταυρον (πρέπει γὰρ οὕτω τὸν Φωκᾶν ὀνομάζεσθαι) ἔδοξεν ὁ μιξοβάρβαρος τύραννος κατειρωνευόμενος Γερμανὸν ἀναγορεύειν ἐθέλειν. τῶν τοίνυν δήμων κατευφημούντων τὸν τύραννον, καὶ πάντων

PRASINI Rhegium venientes, tyrannum fauſtis acclamationibus beant, auctoresq; illi ſunt, vt in ſeptimum (locus ab vrbe ſeptem millibus abeſt) progrediatur. Eodem die tyrannus Theodorum à ſecretis, inter celeres ſcribas, ſeu actuarios Imperatoris virum clariſsimum, in magnam, vt dicitur, Eccleſiam, populum Byzantium, vnà cum hierarcha & ſenatu ad ſe vocatum mittit. Theodorus templum vrbis ampliſsimum, à Iuſtiniano Auguſto conſtructum ingreſſus, excelſos gradus, ſiue ambonem vulgò dictum, aſcendit: tyranni mandatum palam edictat. Vniuerſis igitur profectis ad tyrannum Calydonium, ad centaurum in modeſta purpura proteruiſsimum (his quippe nominibus Phocam par eſt afficere) viſus eſt ſemibarbarus, & ſimulauit ſe velle Germanum Imp. declarare. Sed enim populo illi ap-

τῆς μεταβολῆς γλιχομένων, ἀναγορεύεται τὸ κακὸν, καὶ κύριος τῶν σκήπτρων ὁ τύραννος προχειρίζεται, καὶ κρατεῖ τῆς εὐδαιμονίας ἡ συμφορὰ καὶ λαμβάνει τὴν ἔναρξιν τὰ μεγάλα καὶ ἐπίσημα τῶν Ῥωμαίων, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀτυχήματα. περιβάλλεται τοίνυν τὸν βασίλειον στέφανον ὁ παλαμναῖος ἐκεῖνος ἀνὴρ, ἐν τῷ νεῷ τοῦ προφήτου καὶ βαπτιστοῦ ἰωάννου. τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἐπιβαίνει τῆς πόλεως, ἐφιζάνων ἁρμαμάξης βασιλικῆς. οὕτω μὲν οὖν ἐπιφανῆ καὶ περίδοξον τὴν εἴσοδον ἐπὶ τὰ βασίλεια τεθρίππῳ λευκῇ ὁ τύραννος ἐποιήσατο, καὶ οἷα νεφέλην χρυσῆν ὑετίζουσαν, τῶν βασιλικῶν θησαυρῶν ἐκπομπὴν τοῖς ἐντυγχάνουσι κατεμβρείσατο. πολλοὶ δὲ παρὰ τῶν δήμων κρότοι, εὐχαί τε, καὶ εὐφημίαι τοῖς ὠσὶ τοῦ τυράννου περιεκέχυντο. ἐπεὶ δ' εἰσήρρησεν εἰς τὰ βασίλεια, πανηγυρίζει τὰ πλήθη, ἱππικοῖς ἀγῶσι τὴν δυστυχῆ ταύτην ἀναγόρευσιν ἑορτάζοντα. τῇ δ' ὑστεραίᾳ, ἐπιβατήρια τῶν σκήπτρων τοῖς στρατεύμασι δῶρα παρείχετο. ὑπῆν δὲ τῷ τυράννῳ καὶ γύναιον (λεοντία ὄνομα αὐτῷ) ταύτῃ στέφανον βασίλειον περιτίθησι. ἐπεὶ δὲ καὶ πομπαῖς εἴθισται τοῖς αὐτοκράτορσι τὰς ὁμοζύγους ἀναγορεύειν, ἐπιφανῶς τιμήσας τὸ ἔθος ὁ τύραννος, τὴν λεοντίαν βασιλίσσαν ἠξίου θριαμβεύειν. γίνεται τοίνυν κατὰ ταύτην ἡμέραν τοῖς δημοτικοῖς περὶ τῆς στάσεως ἅμιλλα. ἦν γὰρ αὐτοῖς ἡ περὶ τῶν τόπων θέσις ἐπίμαχος. τῶν πρασίνων γὰρ ἐθελόντων ἐν τῷ λεγομένῳ ἀμπελίῳ

plaudente, omnibusque res nouas exposcentibus, promulgatur pestis illa, & sceptri dominus tyrannus deligitur: obtinetque fœlicitatem calamitas: & ingentia atque insignia Romanorum detrimenta, vt summatim dicam, procedere incipiunt. Itaque corona in æde Ioannis Baptistæ, & Prophetæ homo consceleratus induitur: ac postridie imperatorio in curru, quadrigis albis, splendida & magnifica pompa vrbem, & palatium init: è thesauris imperatoriis, velut ex aurea nube passim imbrem spargens aureum. Multis tum populi plausibus, multis complurium votis, & gratulationibus eius aures circumsonuerunt. Fit concursus ad regiam; equestria certamina instituuntur: & infelicis huius creationis dies festus agitatur. Postridie propter initum imperium congiarium dat militibus. Habebat vxoré vocabulo Leontiam tyrannus; huius caput corona imperatoria cingit. Quia verò Imperatores coniuges suas publicè, & solenni cum apparatu Augustas pronũtiare consueuerant, consuetudinem eam tyrannus insigniter colens, Leontiæ pompam ac triumphum parandum iudicauit: quo die populares de loco stationis litigarunt. Nam cũ Prasini in Ampelio (quod

(προαύλιον δὲ τοῦτο τῆς βασιλέως οἰκίας) τὴν στάσιν ποιήσασθαι, καὶ τὴν βασιλίδα τοῖς εἰωθόσι κρότοις ὑμνεῖν, ὁ τῶν βενέτων δῆμος ἀντέλεγεν. ἔδοξε γὰρ αὐτοῖς ἀήθες τοῦτο πεφυκέναι καὶ ξένον. μεγίστου τοιγαροῦν γινομένου ταράχου, τὸν ἀλέξανδρον εἰσπέμπει ὁ τύραννος, καταδυνάστην τῶν ἀμφισβητουμένων τὴν ἔριν. ἦν δὲ οὗτος ὁ ἀλέξανδρος ἀνὴρ πονηρὸς, τῶν καταστασιασάντων μαυρικίου τοῦ αὐτοκράτορος λίαν ἐπίσημος. ὁ μὲν οὖν κοσμᾶς ὁ τὴν δημαρχικὴν περικείμενος ἐπιστασίαν, ἀλεξάνδρου τοῖς λόγοις ἀντέτεινεν. ὁ δὲ ἀλέξανδρος γαῦρον καὶ τυραννικὸν κεκτημένος τόλμην, ὕβρεσιν ἔβαλλε τὸν κοσμᾶν. εἶτα καὶ χεῖρα ἐπὶ τὸ στέρνον ἐπιβαλὼν, τοῦτον ἐξώθησεν. ὁ δὲ κοσμᾶς ὑπὸ τῆς ὠθήσεως ἀνατρέπεται. ἐπὶ τούτοις οἱ βένετοι χαλεπαίνοντες, κατὰ τοῦ ἀλεξάνδρου ἐξώθουν δημώδεις βοάς. ἀλλ' εἶπον ἐκεῖνα ταῦτά γε (καλὸν γὰρ καὶ τῆς ἰδιώτιδος φωνῆς μνήμην ποιήσασθαι) ὕπαγε, μάθε τὴν κατάστασιν. ὁ μαυρίκιος οὐκ ἀπέθανεν.

(quod eſt regiæ veſtibulum) ſtationem habere, ibique Auguſtam ſolitis plauſibus excipere vellent, repugnabat Venetorum populus, cui iſtuc inſuetum, & peregrinum videbatur. Tumultu igitur maximo exorto, tyrannus ad controuerſiam componendam Alexandrum mittit, hominem peruerſum, & inter ſeditioſos aduerſus Mauricium nobilem. Ei Coſmas Venetorum Tribunus ſe obiicit. Alexander ſuperbus, & tyrannica præditus audacia, Coſmam contumeliis laceſsit, manuque in pectus adacta eum propellit. Veneti iraſcẽtes, clamorem communiter tollere, in verba huiuſcemodi (placet enim & priuatæ vocis meminiſſe.) *Apage; cognoſce rerum ſtatum melius: adhuc viuit Mauricius.*

* * *

CAPVT XI.

Mauricij necem parturit Phocas. Reuocatur ex itinere à patre Theodosius. Mauricij filiorumq́; in portu Eutropij ad Chalcedonem interfectio. Eius ante mortem præclarissima vox, & Christiano dignissima. Nutricem ipsius infantem pro suo ad cædem supponere non fert. Eius pro pœna peccatis suis in hac vita irroganda cura anxia. Testamentum, quo imperium inter filios partitur. Domitianus Melitenensis Episcopus eorundem tutor, ab historico commendatur.

Ὁ δὲ τύραννος τούτων ἀκηκοὼς, ἀποπαύει τὰ πλήθη καθυλακτοῦντα περὶ τῶν καιρίων. τῇ δ' ἐπαύριον πρὸς τὸν φόνον τοῦ αὐτοκράτορος ἐκβακχεύεται. τοιγαροῦν ὁ μαυρίκιος τῷ μεταμέλῳ φιλοσοφήσας τὸν κίνδυνον, τὸν δακτύλιον πέμπει θεοδοσίῳ τῷ παιδὶ, ἐπιβεβηκότι νικαίας τῆς πόλεως, ἀνάζευξαί τε πρὸς αὐτὸν θᾶττον προσέταξεν. οὕτω μὲν οὖν θεοδόσιος γεγονὼς πειθήνιος τῷ πατρὶ, πρὸς τὰς συμφορὰς ηὐτομόλησε, καὶ φιλυπόστροφος γεγονὼς, πρὸς ἀποσφαγὴν παραγίνεται. τοίνυν ὁ τύραννος στρατιωτῶν ἐκπέμψας, ἐς τὸ ἀντιπέρας τῆς βασιλίδος τῶν πόλεων, ἐν ᾗ καὶ ἡ χαλκηδόνος πόλις καθίδρυται, ἀναιρεῖ τὸν μαυρίκιον εἰς τὸν λεγόμενον εὐτροπίου λιμένα. προαναιροῦνται ἐπ' ὄψεσι τοῦ βασιλέως οἱ παῖδες οἱ ἄρρενες, ἐντεῦθεν τῷ τῆς φύσεως ξίφει τῷ φόνῳ τῶν παίδων προκολάζοντες οἱ φονευταὶ τὸν μαυρίκιον. Ὁ μὲν οὖν μαυρίκιος φιλοσοφῶν τὸ δυσύχημα, τὸν ἐπὶ πάντων ἀνεκαλεῖτο θεὸν, καὶ πυκνό-

Tyrannus his cognitis populum de prærogatiua loci dissidentem, & mutuò allatrantem tranquillat; ac die postero ceu furore quodam bacchico stimulatus, cædem Mauricij parturit. Is actorum suorum pœnitens, & periculum supra caput sapienter considerans, Theodosio filio, qui iam Nicæam peruenerat, annulum transmittit, atque ad se celeriter reuerti iubet. Theodosius patris imperata faciens, ad calamitatem transfugit; libenterque reuersus, ad mactationem adest. Tyrannus emissis militibus, è regione principis vrbium, vbi Chalcedon condita visitur, in portu Eutropij Mauricio vitam eripit, prius, eo spectante, maribus eiusdem filiis iugulatis. In qua filiorum iugulatione prius eum naturæ gladio homicidæ illi cruciauerunt. Qui casum hunc infelicissimum, vt sapienti decorum est, perferens, rectorem omnium Deum clara

τερον ἀπεφθέγγετο, δίκαιος εἶ κύριε, καὶ δικαία ἡ κρίσις σου.

Γίνεται γοῦν καὐτὸς παρανάλωμα ξίφους, ἀποτομὴν τῆς κεφαλῆς ὑποστὰς, ἐπιτάφιον ὥσπερ τῶν τέκνων τὴν ἐς ὕστερον ἑαυτοῦ ἀναίρεσιν κληρωσάμενος, προεπιδειξάμενος τὴν ἀρετὴν ἐν τῷ μεγέθει τῆς συμφορᾶς. τῆς γὰρ τιθηνῆς ὑποκλεψάσης ἕν τι τῶν βασιλικῶν μειρακίων, καὶ πρὸς ἀποσφαγὴν τὸ ἑαυτῆς ὑπομάζιον παραδούσης, κηρύττει λόγος ἀληθὴς, Μαυρίκιον τὸ ἀπόρρητον ἐξειπεῖν τοῖς φονεῦσι, καταμηνῦσαί τε τὴν ἀποκρυφὴν τοῦ παιδὸς, καὶ μὴ δίκαιον εἶναι κατισχυρίζεσθαι, τὸν φόνον παρανοθεύεσθαι τῇ ὑποκλοπῇ τοῦ υἱοῦ. οὕτω μὲν οὖν ὁ βασιλεὺς καὶ νόμους φύσεως ὑψηλότερος γεγονὼς, ὑπαλλάττει τὸν βίον. λέγεται δὲ τὸν βασιλέα Μαυρίκιον πρό τινων τῆς ἀναιρέσεως χρόνων ἐν τοῖς σεβασμιωτέροις τῆς οἰκουμένης ναοῖς ἐν γράμμασι καθικετεῦσαι τὸν ἕνα τῆς ὑπερκοσμίου τριάδος χριστὸν ἰησοῦν τὰς ἀντιδόσεις τῶν βεβιωμένων, κατὰ τοῦτον δῆτα τὸν θνητὸν καὶ ἐπίκηρον κόσμον ἀπολαβεῖν. οὐ παρώσομεν δὲ καὶ τὰ περὶ τῆς λεγομένης αὐτοῦ διαθήκης τῇ ἱστορίαις συντάξασθαι. κατὰ γὰρ τὴν ἔναρξιν τῆς βασιλείας ἡρακλείου τοῦ αὐτοκράτορος, χάρτης σφραγῖσιν ἐνειλημένος εὑρέθη μαυρικίου τοῦ αὐτοκράτορος, ἐν ᾧ ἐτύγχανεν ὢν

clara voce, vt exaudiri posset, appellabat, & crebriꝰ alloquebatur, Iustus es Domine, & rectum iudicium tuū.

Deinde & ipse amputato capite consumitur, necem suam quæ consecuta est, velut epitaphium filiis condens; cuius virtus ante in summa calamitate enituit. Nam & cum nutrix vnum de puerulis imperatoriis suffurata, suum, adhuc lactentem pro eo iugulandum subiecisset, ferunt, quod res est, Mauricium percussoribus arcanum detexisse, occultationemque pueruli indicasse; & minimè iustum esse affirmasse, ista subtractione sui filij germanam cædem quasi adulterari atque corrumpi. Hunc in modum Imperator ipsis naturæ legibus superior factus, vitam hanc cum alia mutauit. Auditione accepimus insuper, eum aliquanto ante cædem, scriptis litteris per omnia augustiora orbis templa pias preces ad Christum Dominum, vnam è cœlesti Trinitate personam efflagitasse, vt eorum quæ deliquisset, in hac mortali, & caduca vita pœnas ab se reposceret. Non omittemus etiam illa huic historiæ adscribere, quæ de eius testamento dicuntur. Imperium ineunte Heraclio, tabellæ inuolutæ, & obsignatæ inuentæ sunt, in quibus conscripta patebant, quæ post suum

διαθέμενος, ἅπερ ἦν αὐτῷ μελετήματα μετὰ τὴν ἀποβίωσιν περιελθεῖν· νόσῳ γὰρ χαλεπῇ περιπεπτωκὼς ὁ Μαυρίκιος τῷ πεντεκαιδεκάτῳ ἐνιαυτῷ τῆς αὐτοκρατορικῆς ἐξουσίας, ἐν γράμμασι διετύπου τὸ κράτος. τὸν μὲν Θεοδόσιον τὸν πρεσβύτερον παῖδα τῆς Κωνσταντίνου πόλεως κύριον καταστήσας, τὰς ἑῴας φροντίδας αὐτῷ περιτίθησι. τὸν δὲ Τιβέριον τῆς πρεσβύτιδος Ῥώμης βασιλέα διέθετο· τήν τε Ἰταλίαν, καὶ τὰς περὶ τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος νήσους, τούτῳ ἀπέδοτο. τὰ δ' ἄλλα τῆς Ῥωμαίων πολιτείας τοῖς ἑτέροις παισὶ κατετεμαχίσατο, κηδεμόνα τῆς ἀώρου τῶν παίδων ἡλικίας, Δομετιανὸν προστησάμενος, ὃς πρὸς γένος τῷ Μαυρικίῳ συνῆπτο. οὗτος τῆς ἐπιφανοῦς τῶν Μελιτηνῶν ἐκκλησιῶν τὴν ἀρχιερατικὴν τιμὴν ἐπεφέρετο. ἀνὴρ δεξιὸς τὴν πρᾶξιν, δεξιώτερος τὴν προαίρεσιν. καὶ οὖν μεγαλονοίᾳ συνέσεως τῆς Ῥωμαίων πολιτείας τὰς ἐπισημοτέρας τῶν πράξεων ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος ἐπεπίστευτο. περὶ μὲν οὖν τῆς ἀρετῆς τοῦ ἀνδρὸς οὐ τοῦ παρόντος καιροῦ τελεώτερον τὸν λόγον τεκταίνεσθαι. ἵνα δὲ μὴ τὸν περὶ τούτου λόγον παχύνοντες, τοῖς καιριωτέροις τῶν ἀφηγημάτων ἀπρόσφορον τὴν ἀναβολὴν περιβάλωμεν, ἐπὶ τὰ προσεχῆ τῆς διηγήσεως, φέρε τὴν συγγραφὴν οἰακίσωμεν.

suum ex hac luce discessum fieri vellet. Nam cum imperij sui anno quintodecimo in morbum difficilem esset lapsus, de imperio constituit, & in litteras constituta redegit. Theodosium filiorum natu maximum Constãtinopolis dominum fecit, cum administratione orientis. Tiberio Romam veterem cum Italia, & insulis in mari Tyrrheno decreuit. Cæteras Romanæ ditionis prouincias inter reliquos filios distribuit, iisque ętate adhuc immaturis Domitianum cognatum suum, nobilis Ecclesiæ Melitenensis Antistitem, virum rebus agendis dexterum, consilio dexteriorem, tutorem designauit. Quamobrem Imperator majoris momenti negotia ei expedienda, ob eximiam prudétiam committebat. Sed de virtute huius viri nihil nunc quidem attinet agere pluribus. Ne igitur super eo orationem extendentes, quæ opportunius narrari possunt, inutiliter differamus, age, ad consequentia stylum dirigamus.

CAPVT

CAPVT XII.

Imperatorum corpora in mare abiiciuntur. Quas complorationes eorum mors publicè recitata effecerit. In eosdem Monodia historici. Capita ad Phocam perferuntur, & in campo militibus spectanda proponuntur. Quibus suppliciis interfectores, & exercitus rebellis, cædiumq; suffragator diuinitus interierint. Sub Heraclio duo tantùm reliqui. Imperium Romanum in diuturnis post necem Mauricij ærumnis volutatum.

ΤΑ` μὲν οὖν σώματα τῶν τεθνεώτων ἐπίδακρυ παίγνιον τοῖς τῆς θαλάσσης ἀκοντίζονται κύμασι. καὶ ἦν ἰδεῖν τὸ ῥεῖθρον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τὸ θαλάττιον ποτὲ τῇ χέρσῳ τὰ νεοσφαγῆ φιλοτιμούμενον σώματα, ποτὲ φιλυποστρόφοις αὖθις ἀντωθήμασι, πρὸς τὴν ὑποδεξαμένην ἐναγκαλιζόμενον θάλατταν. θεατρίζεται τοίνυν τοῖς ὄχλοις τὰ τῆς βασιλικῆς συμφορᾶς, εἰπεῖν δὲ μᾶλλον οἰκειότερον, τὰ περὶ τὴν οἰκουμένην συμπτώματα. οἵ τε τῆς Χαλκηδόνος αἰγιαλοὶ ἐπληροῦντο τῶν ὄχλων, καὶ τῆς ἑαυτοῦ ἀνοίας τὴν ἱστορίαν ἐλάμβανον, πίνακας δυστυχημάτων τινὰς τὰ τῆς θαλάττης ἀτενίζοντες κύματα, γυμνὰ τὰ τῶν βασιλέων σώματα θεατρίζοντα. τούτων δῆτα ὑπὸ τοῦ συγγραφέως ᾀδομένων ἐπὶ τοῦ βήματος τῆς τυραννίδος ληξάσης, πληροῦται δακρύων ὁ ξύλλογος. μονονουχὶ ἐπ' ὄψεσι πάντων εἶναι δοκούντων τῶν βασιλικῶν συμφορῶν. διά τοι τοῦτο ὁ τῆς ἱστορίας πατὴρ, τὸ ἀκροατήριον θεασάμενος ἅπαν ὑπὸ τῶν δακρύων περιρρεόμενον, διὰ

OCcisorum corpora, flebile ludibrium, fluctibus marinis obiecta sunt. Licebatq; videre recens neci data nunc ad littus quasi data opera appelli: nunc reciproco fluctu complexa, rursum in mare abripi. Casus igitur calamitatis imperatoriæ, seu, vt verius dicã, totius orbis, ceu in theatro spectandi argumentum populo præbuerunt. Complebantur Chalcedonis littora spectantium turbis; cognoscebantque ibi quid effecisset sua, hoc est, popularis amentia, fluctus marinos nuda Imperatorum corpora ostentantes, tanquam tabulas quasdam infortuniorum, miseriarumque contemplantes. Cum ista historicus de loco superiore sublato iam tyranno Phoca recitasset, concio se in lacrymas effudit, quasi oculis ipsis tantam Imperatorum calamitatem aspiceret. Quocirca cum totum cõuentum in fletus, & lamenta solutum cerneret, intercisa narratione, extempora-

τῶν θρήνων, ἐγκοπὴν τοῖς ἀφηγήμασιν ἐμβαλὼν, αὐτοσχεδίοις πισὶν ὀδυρμοῖς, τάδε τοῖς συνεληλυθόσι παρέθετο.

nea quadam lamentatione hæc ad auditores insuper est prolocutus.

Μονῳδία τοῦ συγγραφέως ἐπὶ τοῖς τῷ μαυρικίῳ συγκεκυρηκόσιν.

Monodia scriptoris super his, quæ Mauricio contigerunt.

„ Θέατρον, καὶ βῆμα, καὶ παῤῥησία, συμπενθείτω μοι σήμερον. πανηγυριζέτω δὲ τραγῳδία καὶ δάκρυον. ἐξαλλέσθω δὲ κατορχούμενος θρῆνος, τηλικαύτης κατηφείας ἑορτῇ θρησκευόμενος καὶ τιμώμενος. ἀποκοπτέσθωσαν οἱ λόγοι τῶν κρότων, τὴν εὐφημίαν αἱ μοῦσαι, τὸ λευκὸν ἀθῆναι τριβώνιον. χηρεύουσι γὰρ ἀρεταὶ, καὶ τὸν ἑαυτῶν ἀναζητοῦσιν ἡνίοχον, ῥαγδαίου φθόνου τινὸς, τὸν ἐκείνον διαῤῥήξαντος ἄξονα. ἄνδρες θεαταί. ἀλλ᾽ εἴθε μὴ τηλικούτων κακῶν γεγόνατε μάρτυρες. ἰλιὰς κακῶν ἡ ὑπόθεσις, ἐριννύες τῷ λόγῳ χορός. ἡ δὲ σκηνή μοι τοῦ δράματος τάφος ἐπίσημος.

THeatrum, suggestus, & licentia hodie mecum lugeant. Tragœdia, & lacrymæ diem festum agant. Lamentum, tantæ mœstitudinis festo cultum & honoratum exiliat ac tripudiet. Applausus præcidantur. Desinant prædicare Musæ. Album pallium deponant Athenæ. Viduæ ac desertæ sunt virtutes, suumque aurigam requirunt, cuius currum impetus quidam inuidiæ disrupit. Vtinam auditores ne tantorum malorum testes essetis. Iliade incommôdorũ laboramus. Erinnyes chori partes agunt. Illustris tumulus, est mihi scena dramatis.

Cætera huius monodiæ (vt auctor appellat) desiderantur.

Ὁ μὲν οὖν λίλιος (οὗτος γὰρ ὑπὸ τοῦ τυράννου τὸν τοῦ αὐτοκράτορος ἐπεπίστευτο φόνον) διαπορθμεύει τὰς τῶν ἀνῃρημένων πρὸς τὸν τύραννον κεφαλάς. εἶτα πρὸς τὸ πεδίον τὸ ἀνακείμενον ἐν τῷ λεγομένῳ ἑβδόμῳ, ὃν κάμπον Ῥωμαῖοι κατονομάζουσι, ταῖς τυραννοις στρατιαῖς τὴν τῶν βασιλέων

Lilius igitur trucidationi huic Imperatoris à tyranno præpositus, occisorũ capita ad eum apportat. Deinde in campo tyrannicis militibus Imperatorũ cædem, propositis ad spectaculum capitibus promulgat. Oportebat enim detestandi sceleris etiã spectando participem fieri crudelem

ταλιτείαι ἀναίρεσιν ἔδει γὰρ τοῦ μύσους καὶ διὰ τῆς θεωρίας μεταχεῖν, τὸ ἀφιλάνθρωπον στράτευμα, ἵνα καὶ πάντας τοὺς ἐπὶ τούτῳ καταμανέντας, ἡ μισοπόνηρος τοῦ θεοῦ, καὶ ἀδέκαστος κρίσις τοῖς τῆς ἀντιδόσεως σαγηνεύσῃ δικτύοις. ἅπαντες γὰρ οἱ τῶν παλαμναίων στρατοπέδων ἐκείνων μεγίστοις τε καὶ ποικίλοις περιπεπτωκότες κακοῖς τὸν τῆδε βίον κατέλυσαν. τοῦ περσικοῦ γὰρ λαβόντος παῤῥησίας πολέμου, θεηλάτοις ἴσην ἀπλαῖς τῶν κακῶν ἐπιχειρῶν ἐκείνων κατεκληροδοτήσαντο τὴν ἀντίδοσιν, ποτὲ μὲν πυρὶ οὐρανόθεν βαλλόμενοι κατὰ τὴν τῆς παρατάξεως ὥραν, ἄλλοτε λιμοῖς, καὶ πρὸνομῇ ἀναλισκόμενοι· οἱ δὲ πλεῖστοι στόματι ῥομφαίας, καὶ ξίφους παραδιδόμενοι, τὴν φιλάμαρτον ταύτην ζωὴν κατεστρέψαντο· καὶ οὐ πρότερον πέρσαις τὰ τῆς νίκης ἀπέλιπε, πρὶν αὖ εἰς τὸ παντελὲς διεφθάρη ἡ φιλοτύραννος ἐκείνη καὶ ἀνοσιωτάτη πληθύς. ἱκανὸν δὲ τῷ τεκμηριῶσαι τὸ λεχθησόμενον (διὰ γὰρ τοῦ λόγου τὴν πίστωσιν, τὴν συνέχειαν τῶν παρηκολουθηκότων μικρὸν ὑποκλέψομεν) ὁπηνίκα πρὸς τὸν ῥαζάτην τὸν πόλεμον ἐποιήσατο ὁ αὐτοκράτωρ ἡράκλειος, ἐξέτασιν τοῦ ὁπλιτικοῦ ἀνακρίνας, δύο καὶ μόνους στρατιώτας τοῦ φιλοτυράννου πλήθους ὑπολελειμμένους ἐξεῦρε. καί τοι μὴ πολλῶν μεσολαβησάντων τῶν χρόνων· ἐπεὶ δὲ νεόχμωσεν ἑτέρας ὁ χρόνος δυνάμεις, τό τε κακὸν καταναλωτο· τὰ τῆς εὐπραγίας μεταπίπτει τοῖς πέρσαις, καὶ ἀναιρεῖται

delem immanemque exercitum: vt ita omnes, qui in eo perpetrãdo insaniuissent, Dei iudicium, cui odio est improbitas omnis, quodq; nullis muneribus corrũpi potest, idem retributionis rete inuolueret. Omnes quippe de copiis illis sanguinariis, summis, & diuersis ærumnarum generibus impliciti disperierunt. Nam Persis denuò ad armorum sumẽdorum libertatem redeuntibus, Deo vindice, quæ malè ausi fuerant, eorum pœnas meritas persoluerunt; aliisq; in conflictu, aliis fulminum ignibus, aliis fame, & seruitute perditis, plurimi in ore gladij vitam hanc peccatis obnoxiam finiuerunt. Nec prius Persæ victorias referre desierunt, quam tyranni studiosus ille, sceleratissimusq; exercitus omnino ac funditus consumptus est. Cui rei satis argumenti conciliat, quod subiungemus: nam fidei gratia seriem consequentium paulùm interrumpemus. Quando Heraclius Imperator expeditione aduersus Raxatẽ suscepta exercitum recensuit, re inquisita duos dũtaxat milites ex illa multitudine quę tyranno fauerat superstites inuenit, tametsi anni nõ multi intercessissent. Verùm vbi tempore procedente nouas copias Romani sunt adepti, & exercitus ille improbus euanuit, Persarum fœlicitate cõmutata, Ba-

ὁ βαβυλώνιος δράκων, ὁ τοῦ ὁρμίσδου χοσρόης, καὶ ὁ περσικὸς καταπαύεται πόλεμος. ἀλλ' ἐπὶ τὰς τῆς τυραννίδος πράξεις τακτικῶς ἀναδράμωμεν, ἵνα μὴ διλογῶμεν ταῖς παρεκβάσεσιν. οὐ διέλιπε γὰρ ἐξ ἐκείνου καιροῦ μέχρι τῶν χρόνων τῶν καθ' ἡμᾶς τῇ Ρωμαίων ἀρχῇ ἀποτεύγματα ποικίλα τε καὶ ἐξαίσια, καὶ τῷ μεγέθει ἀνυπομόνητα.

bylonius ille draco, Chosroes Hormisdæ filius interfectus est, & bellum Persicum cōquieuit. Sed ne gemina digresſione vtamur, ad tyrāni facinora redeamus. Sanè ab occiſo Mauricio vſq; ad nostra tempora Romanorū imperio clades variæ, & ingentes, ipſaque magnitudine intolerandæ nunquam defuerunt.

CAPVT XIII.

Phocas Petrum Mauricij fratrem, Comentiolum, & alios interimit. Theodoſius, & Lardys ab Alexandro, tyranni iuſſu trucidantur. Narratio falſa de Theodoſio, quo pacto creditus ſit necem effugiſſe, & diuerſa loca peragraſſe. Statuæ Alexandriæ Mauricij cædem nuntiarunt. Die nono ſuper eadem nuntius in vrbem allatus. Egregia quædam Mauricij præconia.

Ὁ δὲ τύραννος (πρὸς γὰρ τὸν λόγον ἐπάνειμι) καταμεθυσθεὶς τοῖς ἀσεβήμασι, πρὸς ἑτέρους ἐκβακχεύεται φόνους, καὶ τὸν ἀδελφὸν τοῦ μαυρικίου τὸν ἑαυτοῦ στρατηγὸν ἀποτέμνει τῷ ξίφει. ἀναιρεῖταί τε καὶ κομεντίολος ἐκεῖνος, ὃν πολλάκις ὁ λόγος στρατηγὸν τῆς εὐρώπης ἀνέδειξε. ναὶ δὴ καὶ γεώργιος ὁ τοῦ φιλιππικοῦ ὑποστράτηγος. ἀλλὰ μὴν καὶ ὁ πραισεντῖνος, ὁ τὰς τοῦ πέτρου πεπιστευμένος φροντίδας, ὃν δομέστικον εἰώθασιν οἱ Ρωμαῖοι ἀποκαλεῖν. Ὁ μὲν οὖν θεοδόσιος ἀναζεύξας ὁ μαυρικίου παῖς τοῦ αὐτοκράτορος, εἰς τὸν ναὸν καταφεύγει αὐτονόμου τοῦ μάρτυρος. ἀκηκοὼς τοίνυν τοῦτο ὁ τύραννος, τὸν ἀλέξανδρον πέπομφεν ἀποσφάξαι τὸν παῖδα. τοιγαροῦν ὁ ἀλέξανδρος ἀναιρεῖ θεοδόσιον. τόν τε λεγόμενον παρὰ τῷ πλήθει λάρδυν

TYrannus (vt ad intermiſſa nos referamus) impietate ebrius, ad alias cædes perpetrandas furit. Inprimis Petro Mauricij germano, eiuſdemque duci ceruices præcidit. Tollitur è medio etiam Cométiolus, quem Europæ ducem fuiſſe, toties oſtendimus. Præterea Philippici hypoſtrategus Georgius. Item Præſentinus Petro à conſiliis, quem Romani Domeſticum vocant. Theodoſius Mauricij filius rediens, in ædem martyris Autonomi confugit. Quo audito, tyrannus Alexandrum ad adoleſcentem obtruncandum mittit. Obtruncatur. Inſuper Lardyn in locum διάδρομον per-

ducit,

εἰς τοὺς λεγομένους διαδρόμους μεταγαγὼν, διαφθείρει τῷ ξίφει. λόγος δὲ, ὑπό τινων τὸν Ἀλέξανδρον ὑπὸ Γερμανοῦ χρηματίσασθαι φειδοῖ τῶν κινδύνων. διά τοι τοῦτο ἀποσχέσθαι φασὶ τὸν Ἀλέξανδρον τῆς Θεοδοσίου φθορᾶς· ἕτερον δὲ προσεοικότα αὐτῷ ἀνελεῖν. καὶ τοῦτον αὐτὸν τὸν Θεοδόσιον τὸν παράδοξον τοῦτον κίνδυνον περιφευγότα, τῆς ἑῴας τόπους ἀμεῖψαι πολλούς. εἶτα ἐς ὕστερον πρὸς τῇ Κολχίδι γενέσθαι. μετὰ τοῦτο πρὸς τὰς ἐρήμους τῶν βαρβάρων μεταχωρήσαντος, μαλακισθέντα τὸ σῶμα, καταστρέψαι τὸν βίον. ὁ μὲν οὖν λόγος οὗτος ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην διήχησε· πλάσας δέ τις αὐτὸν βάρβαρος ἀπεκύησεν. ὡς γὰρ οἷόν τε ἦν, τὴν περὶ τούτου ταλαιπωρήσαντες ζήτησιν, μετεσχηκότα τῆς ἀναιρέσεως καὶ τὸν Θεοδόσιον εὕρομεν. ἐξιτήλῳ γὰρ τεκμηρίῳ νεανιεύονται, οἱ μὴ τεθνάναι τὸν παῖδα ἐπαγγελλόμενοι. λόγος γὰρ αὐτοῖς, μόνην ἀνεπίδεικτον τῶν ἀνῃρημένων τὴν κεφαλὴν γεγενῆσθαι Θεοδοσίου τοῦ αὐτοκράτορος. οὐκ αὖ δὲ περιοψόμεθα τὰ τῆς παραδόξου διηγήσεως ἄξια. κατὰ γὰρ τὴν ἡμέραν τῆς ἀναιρέσεως Μαυρικίου τοῦ αὐτοκράτορος, συμβαίνει κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἀξιαφηγητότατον ἔργον, πινάκων συγγραφῆς λίαν ἐπάξιον. ἐδέησε γὰρ ἄνδρά τινα τῶν ἐς κάλλος γραφόντων, ὃν ἐν συνηθείᾳ φωνῆς καλλιγράφον ὀνομάζει τὰ πλήθη, γνώριμον καὶ ἡμῖν καθεστῶτα, μέχρι τετάρτης φυλακῆς τῆς νυκτὸς εἰς οἰκίαν

ducit, ibiq; eum gladio mactat. Rumor autem à quibusdam disseminatus est, Alexandrum à Germano impendentis sibi periculi admonitum, Theodosio pepercisse, aliumque in eius locum, ei similem necauisse, eumque ipsum Theodosium hoc inopinato discrimine elapsum, varia orientis loca peragrasse: postea in Colchidem venisse: deinde in solitudines barbarorum transgressum, incommoda valetudine laborasse, ac decessisse. Hic rumor omnes imperij regiones peruagatus est: cuius auctor barbarus nescio quis fuit. Nos quidem quantum potuimus, in huius rei inquisitione laborantes, etiam illum occisum esse inuenimus. Friuolo sanè argumento ineptiunt, qui eum euasisse persuadere aliis volunt. Aiunt enim, ex interemptis tantummodo eius caput non apparuisse. Inopinatam porrò rem, & notitiæ meritò tradendam, exponere hoc loco non grauabimur. Quo die interfectus est Mauricius, eo ipso die Alexandriæ res narratu, & scriptu dignissima contigit. Virum quendam eleganter efformantem ductus literarum (quem vulgus voce iuncta Calligraphum nominat, quem & nos cognouimus) vsque ad quartam vigiliam noctis in cuiusdā mercatoris ędibus peruigilare oportebat:

ζινὸς καταπαννυχίζεσθαι. τούτῳ γὰρ δὴ τῷ ἐμπόρῳ πάννυχος ἦν ὁ πανήγυρις. ἑβδομαίαν γὰρ ἡμέραν ἦγε τὸ γύναιον, ἄρσεν παιδίον τῷ ἀνδρὶ λοχευσάμενον. συνήθες γοῦν τοῖς ἐγχωρίοις, ἐπὶ τοῖς λοχευομένοις παιδίοις ἑβδομαίαν ἄγουσι τὴν ἡμέραν, συμποσίων ἑορταῖς καταπαννυχίζεσθαι. ἐπεὶ τοίνυν τὰ τοῦ δείπνου τῷ ἐμπόρῳ κόρῳ καθυπεβάλλετο, διαλύεται ἡ ἑστίασις, καὶ τῆς τοῦ ἐμπόρου οἰκίας ὁ εἰς κάλλος γραφῶν ἀποφοιτᾷ. μεσούσης τοίνυν νυκτὸς, καὶ γινόμενος κατὰ τὸ λεγόμενον τῆς πόλεως τύχαιον (χῶρος δ᾽ οὗτος τῆς ἀλεξανδρείας ἐπίσημος) ὁρᾷ τοὺς ἐπισημοτέρους τῶν ἀνδριάντων ἐκ τῶν βωμῶν καθερπύσαντας, καὶ μεγίστην αὐτῷ ἀφιέντας φωνὴν ἐξ ὀνόματος κλῆσιν τὸν ἄνδρα προσαγορεύσαντας, διηγουμένους τι μεγάλη, καὶ συντόμῳ φωνῇ τὰ κατ᾽ ἐκείνην τὴν ἡμέραν παρηκολουθηκότα συμπτώματα μαυρικίῳ τῷ αὐτοκράτορι. ὁ μὲν οὖν ἀνὴρ τῷ παραδόξῳ τῆς θέας φόβῳ πολλῷ συσχεθεὶς, οἴκαδε γίνεται. ὄρθριός τε γινόμενος, τοῖς περὶ τὸν λεγόμενον αὐγουστάλιον, ταῦτα δὴ τὰ φοβερὰ διέξεισιν ἀφηγήματα. ἐπεὶ δ᾽ ἐπὶ τὸν τῆς αἰγύπτου ἔπαρχον τὸ ἄκουσμα γέγονε (πέτρος δὲ κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ τῆς αἰγυπτιακῆς ἡγεμονίας τὰς ἡνίας διεύθυνεν, ὃς καὶ συνήπτετο πρὸς γένος ἡμῖν) μετάκλητος γίνεται παραβύστῳ ὁ τῶν ἀνδριάντων γινόμενος ἀκουστής. ὁ δ᾽ ἡγεμὼν ἀνετάσας τοῦτο τὰ ῥήματα, καὶ θαυμάσας τὴν ἀφηγηθέντων τὴν ἔκθεσιν, τῷ εἰς κάλλος γράφοντι ἐπετίμησε, μὴ μεταθεῖναι, ἐφ᾽ ἕτερον τὰ μυστικὰ ταῦτα, καὶ ἀπόρρητα διηγήματα

tebat: nam ibidem tota nox festa agebatur, quod eius vxor septimum iam diem à partu pueri masculi agebat. Habent quippe morem indigenæ, vt natis maribus diem septimum solennem agentes, noctem quam longa est, luxu & conuiuio traducant. Cui vbi mercator finem fecit, & cætus cõuiuialis solutus est, Calligraphus ex ædibus abit. Nocte autem media cum in regionem vrbis celebrẽ venisset, Tychæum nomine, nobiliores statuas basibus suis dimotas cernit, seseque clarissimè nominatim appellantes audit, magnaque voce, & tribus verbis nuntiantes, quid illo die calamitatis Mauricio Imper. accidisset. Ille inexpectato viso pauefactus, domum venit, & manè Augustali terriculamentum istuc commemorat. Quod vbi ad aures Præfecti Aegypti perlatum est, (Petrus eo tempore prouinciam illam regebat, generis propinquitate nobiscum coniunctus) clam illũ qui statuas loquentes audiuerat, accersit. Quem vt diligenter percunctatus, & quæ narrabat admiratus est, vetuit cuiquam alteri hæc arcana, & silentio tegenda patefacere: notatoque die ille, euentum rei est præstolatus. Die

nono

τα. τὴν ἡμέραν τοίνυν ἀπογραψάμενος ἐκείνην ὁ τῆς αἰγύπτου ἡγεμὼν ἐκαραδόκει τὴν ἔκβασιν. ἐννάτῃ δὲ ἡμέρᾳ καὶ ἄγγελος εἰς τὴν ἀλεξάνδρειαν παραγίνεται, πομπεύων, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τὴν ἀναίρεσιν μαυρικίου τοῦ αὐτοκράτορος. τῶν τοίνυν προμεμηνυμένων διὰ τῶν ἀνδριάντων, ἢ δαιμόνων εἰπεῖν οἰκειότερον, ὡς διέγνω τὰς ἐκβάσεις ὁ πέτρος, ἐς τὸ φανερὸν τὴν προαγόρευσιν ἐθριάμβευσε. τόν τε εἰς κάλλος γράφοντα ἐς μέσον προὐβάλλετο, καὶ κύριον αὐτὸν τῆς ἱστορίας ἐδείκνυε. πολλὰ μὲν καὶ ἕτερα κατὰ τὴν Ρωμαίων πολιτείαν τῆς τῶν μελλόντων προαγορεύσεως θαύματα γίνεται, ἃ εἰ διεξοδικώτερον ἀναγράφειν διεγχειρήσομεν, ὁ πᾶς ἡμᾶς αἰὼν ἀπολείψειε. μὲν οὖν λέγεται τὸν μαυρίκιον φιλοτίμως ἔχειν περὶ τὴν τῶν λόγων μεγαλοπρέπειαν, τιμᾶν τε λίαν λαμπρῶς τοὺς ἐνηθληκότας περὶ τὰ κάλλιστα τῶν μαθημάτων. τοῦτον δείμασθαι καὶ τὸ ἐπὶ τῆς ταρσοῦ ἱερὸν παύλου τοῦ κίλικος τοῦ κατευαγγελισαμένου ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ σχεδὸν τὸ σωτήριόν τε καὶ παράδοξον κήρυγμα χριστοῦ ἰησοῦ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ θεοῦ. ἀναφέρεται δὲ καὶ τὴν τρίτην μοῖραν τῶν φόρων συγχωρῆσαι τοῖς ὑπηκόοις τὸν βασιλέα μαυρίκιον, τάλαντά τε τριάκοντα τοῖς βυζαντίοις φιλοτιμήσασθαι, ὅπως τὴν τῶν ὑδάτων ὁλκὸν νεουργήσοιντο.

nono venit Alexandriam, qui cędem Mauricij, vt paucis dicam, diuulgat. Petrus itaque vt eorum quæ per statuas, seu, vt conuenientius loquar, per dæmones pręnuntiata erant, exitum cognouit, prædictionem quoq; diuulgauit, Calligraphumque narrationis auctorem in medium produxit. Multa quidem & alia, eaq; mirabilia in futurum Romano imperio prædicta sunt, quæ si disertius explanare velimus, nullum tempus nobis suffecerit. Quin etiam prædicatur Mauricius eloquentiæ fuisse cupidissimus, quique in artibus liberalibus desudassent, eos honoribus insignibus cumulasse. Aedificasse item Tarsi templum Paulo Cilici, qui toto pœne orbe salutariter Euangelium Christi Iesu vnigeniti filij Dei disseminauit. Insuper tertiam partem vectigalium subditis remisisse, & Byzantiis ad aquæductus renouandos triginta talenta donauisse.

CAPVT

CAPVT XIV.

De corpore S. Euphemiæ martyris Chalcedone miraculum: sudor videlicet sanguineus in die anniuersario eius martyrij: qui spongiis collectus in vasculis populo dispertitur. Quo pacto Mauricius incredulus, fidem cum multis lachrymis habuerit, & summa in posterum veneratione martyrem prosecutus sit.

Μὴ παραδράμοι δὲ τοὺς φιλοΐστορας καὶ τὰ κατὰ τὴν εὐφημίαν τὴν μάρτυρα παραδόξως συμβεβηκότα καὶ ἐκεῖνο καιροῦ. ἀλλά τι μικρὸν παρεκτείνωμεν τὸν λόγον. τὰ γὰρ θείας ἐλλάμψεως διηγήματα τετευχότα, πολλὴν ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀκουόντων τὴν παρ' ἑαυτῶν φιλοτιμοῦνται ὠφέλειαν. χαλκηδὼν πόλις καθίδρυται ἐπὶ στόματος πόντου, ἐς τὸ ἀντιπέρας τοῦ τῶν βυζαντίων πολίσματος. ἐν ταύτῃ νεὼς ἵδρυται εὐφημίας τῆς μάρτυρος. ἔνθα πρεσβύτης λόγος καθέστηκε, τὸ πανίερον σῶμα ἐπὶ σηκῷ καθεστάναι τῆς μάρτυρος. γίνεται τοιγαροῦν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν κατὰ τὴν ἡμέραν τοῦ κατ' αὐτὴν μαρτυρίου σημεῖον παραδοξότατον, καὶ τοῖς μὴ τεθεαμένοις συλλήβδην εἰπεῖν ἀπιστότατον, διὰ τὴν ὑπεροχὴν τῆς θείας ἐνεργείας ἐκείνης. τετρακοσίοις γὰρ ἤδη που ἐνιαυτοῖς ἐν τῷ τάφῳ ἐγκειμένου τοῦ σώματος, κατὰ τὴν προαγορευθεῖσαν ἡμέραν ἐπ' ὄψεσι τῶν ὄχλων ὁ τῆς ἱερατικῆς τῶν αὐτόθι προεστὼς ἐκκλησίας, σπόγγοις ἀπὸ σώματος τεθνεῶτος πηγὰς αἱμάτων ἀρύεται. καὶ ἴδοις ἂν ὡς ἀπό τινος σώματος

NOn decet etiam historiarum cupidos præterire, quæ illo tempore circa martyrem Euphemiam præter hominum opinionem gesta sunt. Aliquantum igitur orationem producamus. Etenim narrationes, quæ mentes diuina quadam claritate illuminant, non mediocrem vtilitatem audientibus ingenerare consueuerunt. Chalcedon vrbs est ad ostium ponti sita, exaduerso Byzantij. In ea templum est sanctæ Euphemiæ martyris, vbi eiusdem sacratissimum corpus in arca asseruari, inde à maioribus ad nos fama peruenit. In annos porrò singulos, die quo martyrium obiit, res maximè admiranda editur: & vt breuiter dicam, iis qui non viderunt, minimè credibilis, propter diuini illius operis excellentiam. Nam cum eius corpus iam annis quadringentis in monumento iaceat, die tamen, de quo dicebamus, in conspectu omnium, loci Episcopus, spongiis à corpore mortuo plurimũ sanguinis colligit. Videas non secus quam è recens occiso corpore vulnerum

tabo

νεοσφαγοῦς ἰχῶρι τραυμάτων ἀναμεμιγμένα τὰ αἵματα, μύροις συγκεκραμένα αὐτοφυέσι λισί. καὶ τούτων τὰς διανομὰς ἐπὶ σκευῶν ἐξ ὑέλου πεποιημένων μικρῶν τοῖς ὄχλοις τὸν ἱερέα ποιούμενον. εἰσέρχεται τοίνυν εἰς τὸν βασιλέα Μαυρίκιον ἔννοιά τις τῷ δυοκαιδεκάτῳ χρόνῳ τῆς αὐτοκρατορικῆς ἐξουσίας καὶ ῥαθυμία περὶ τὰ θεῖα ψυχῆς, καὶ σμικρολογεῖται τὰ θαύματα, καὶ ἀποδοκιμάζεται παρ' αὐτοῦ τὸ παράδοξον, καὶ ῥᾳδιουργικῆς ἐπινοίας ἀνθρώπων ἀνατίθησι τὸ μυστήριον. ἀπογυμνοῦται τοιγαροῦν τὸν ἀργύρεον κόσμον ὁ τάφος, καὶ περιφρουρεῖται ταῖς σφραγῖσι τὸ μνῆμα. οὕτω γὰρ τὸ τῆς ἀπιστίας θράσος ἠβούλετο. ἐπεὶ δ' ἡ κυρία ἐπεδήμει ἡμέρα, βασανίζεται τὸ ἀπόρρητον, ἐξετάζεται τὸ μυστήριον, τὰ θαύματα δοκιμάζεται, καὶ γίνεται τῆς ἑαυτῆς δυνάμεως διὰ τῶν θαυμάτων ἀπείγραφος μάρτυς, καὶ πάλιν μεμυρισμένων αἱμάτων ἀπὸ τοῦ μνήματος πηγάζουσιν ὀφθαλμοί, καὶ βλύζει ταῖς ἐκπομπαῖς τὸ μυστήριον, καὶ πιαίνονται σπόγγοι εὐωδίας αἱμάτων, καὶ πολυπλασιάζει ἡ μάρτυς τὴν ἔκροιαν. οὐκ οἶδε γὰρ γνώσεως φθονῆσαι θεὸς ἀπιστούμενος. οὕτω μὲν οὖν ἡ μάρτυς ἐπαιδαγώγει τοῦ βασιλέως τὸ ἄπιστον. ὁ δ' αὐτοκράτωρ ἀντέπεμπε ταῖς τῶν αἱμάτων ἐκβλύσεσι τὴν τῶν δακρύων ἐπίχυσιν, καὶ ταῖς ἐκροίαις τῶν μύρων ἀντιδίδου τῶν ὀμμάτων

tabo commiſtam erumpere vim ſanguinum, vnguenta, nulla arte comparata redolentium, & per vaſcula vitrea ab eodem aduentantibus diſtribui. Mauricium igitur duodecimum iam annum imperantem, ſubit imbellis, & ignaua quædam circa res diuinas cogitatio, extenuatque & reiicit tam inſigne miraculum, & myſterium hoc fallacium hominum commentum eſſe aſſerit. Ornamentis igitur argenteis ſepulchrum nudat, & obſignat, id quod incredulitatis audacia poſtulabat. Vbi ſtatus dies affuit, arcanum exploratur: in myſterium inquiritur: miraculum probatur: fitque martyr ſuæ virtutis hoc admirando opere teſtis omni exceptione maior, iterumque ſanguine vnguentifero meatus corporis per monumentum, inſtar fontium fluit, & ſcaturit emiſsionibus myſterium, odoreque cruoris ſuauiter ſpirantis ſpongiæ imbuuntur. Eum fluxum tum martyr adauxit. Deus enim, quamuis illi non credatur, non tamen hominibus cognitionem ſuæ virtutis & bonitatis inuidet. Atque ita martyr incredulitatem Imperatoris ſapere docuit: qui ſanguinis emanationibus lachrymarum effuſiones remiſit: & flu-

τὸν ὄμβρον, θαυμαστὸς φάσκων ὁ θεὸς ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ. ἐπεὶ δὲ λίαν νουνεχόντως πρὸς τὴν παρέκβασιν εἴδομεν, ἀναμνησθῆναι καὶ τῆς ὑποθέσεως· γραφῆς ὁ καιρὸς, καὶ τὰ περὶ τὴν τυραννίδα γεγενημένα διεξοδικώτερον ἀναγράψασθαι.

entibus vnguentis imbres oculorum suorum rependit, *mirabilis*, inquiens, *Deus in sanctis suis*. Posteaquam igitur non imprudenter digressi sumus, tempus monet, vt descriptionis nostræ recordati, quę in tyrannide euenerunt, enucleatius persequamur.

CAPVT XV.

Constantinam Augustam cum tribus filiabus in priuatas ædes contrudit Phocas: Chosroen de sua creatione, additis muneribus certiorem facit. Apud Daram Legatus Lilius à Germano præsidij Præfecto splendidè excipitur, & quid ibi contigerit. Chosroes Mauricij vlciscendi, bellum Romanis infert. Lilius in Perside retentus, parum beneuolè tractatur. Rumor de Theodosio adhuc viuo tyrannum terret: vnde Alexandrum, vt imperata non exsecutum, sua manu obtruncat.

Κωνσταντίναν τοιγαροῦν τὴν παῖδα Τιβερίου τοῦ αὐτοκράτορος ἅμα τισὶ θυγατράσιν ἐν ἰδιωτικῇ οἰκίᾳ τινὶ κατάκλειστον ὁ τύραννος ἐποιήσατο. λέοντος δ' ὁ οἶκος προσηγόρευτο. μηνὶ δὲ πέμπτῳ καὶ γράμμασι τὴν ἑαυτοῦ ἀναγόρευσιν σημάνας ὁ τύραννος, πρὸς χοσρόην ἐξέπεμπεν, λίλιον ἄγγελον τῆς τυραννικῆς χειροτονίας προχειρισάμενος. τοῦτο γὰρ εἰώθασι Ῥωμαίοις τε, καὶ πέρσαις ποιεῖν, ὁπηνίκα τῆς βασιλείου ἐπιβῶσι δυνάμεως. ὁ μὲν λίλιος βασιλικὰ δῶρα ἐπιφερόμενος, ἐς τὸ δάρας παραγίνεται. τοῦτον ὁ γερμανὸς (ἀνὴρ δ' οὗτος τῇ τῶν ὑπάτων ἀξίᾳ κοσμούμενος, τήν τε τοῦ συντεταγμένου αὐτόθι στρατοπέδου

Constantinam itaque Tiberij Imperatoris filiam, vnâ cum tribus filiabus in priuatam domum, Leonis dictam, tyrannus includit. Mense quinto literis scriptis Chosroen de sua inauguratione, Lilio huius tyrannicæ creationis delecto nuntio monet. Sic enim & Romani, & Persæ solent, cum in regiæ dignitatis gradu collocantur. Lilius cum muneribus imperatoriis Daram venit: quêm Germanus consularis, & præsidij illic præfecturam sortitus, magnifico apparatu excipit. Paulo etiam ante occupatam

λαχῶν ἐπιμέλειαν) περιφανῶς Λίλιον εἰσεδέξατο. πρότινος γὰρ βραχέος τῆς τυραννίδος καιροῦ, Χοσρόου τοῦ Περσῶν βασιλέως ἀπεχθανομένου τῷ πολεμάρχῳ Ναρσῇ, ὁ αὐτοκράτωρ Μαυρίκιος ἀποπαύει τῆς περιφρουρᾶς τοῦ Δάρας τὸν ἡγεμόνα Ναρσῆν, καὶ Γερμανὸν ἀντικαθίστησιν, ἐντεῦθεν ὁ Μαυρίκιος ἐθέλων κατευνάσαι τὴν Βαβυλώνιον χαλεπότητα. ἱππαζομένων τοιγαροῦν, καὶ ξυνωρίδα πεποιημένων Γερμανοῦ καὶ Λιλίου, στρατιώτης ἀνὴρ πλήττει τῷ ξίφει ὑπὸ τρίτην ὥραν τὸν Γερμανὸν ἱππαζόμενον. ὁ μὲν οὖν Γερμανὸς ἀποβὰς τοῦ ἵππου, φοράδην οἴκαδε παραγίνεται. ἐπεὶ δ' οὐκ ἐν καιρίῳ τὰ περὶ τὴν καταφορὰν εὐδοκίμησεν, ὀλίγαις ἡμέραις ὁ Γερμανὸς ἀκέσατο τὴν πληγήν. ὑπὸ τοίνυν φαρμάκων βελτιωθεὶς, ἑστιάσας τὸν Λίλιον λίαν ἐπισήμως, πρὸς Χοσρόην παρέπεμψεν. ὁ μὲν οὖν Χοσρόης ὑπόθεσιν πολέμου τὴν τυραννίδα πραγματευσάμενος, τὴν κοσμοφθόρον ἐκείνην ἐστράτευσε σάλπιγγα, αὕτη γὰρ λυτήριος γέγονε τῆς Ῥωμαίων τε, καὶ Περσῶν εὐπραγίας. ἐδόκει γὰρ κατειρωνευόμενος ὁ Χοσρόης ἀντέχεσθαι τῆς ὁσίας Μαυρικίου τοῦ αὐτοκράτορος μνήμης. οὕτω μὲν οὖν ὁ Περσικὸς πόλεμος τὴν γένεσιν ἐκληρώσατο. Ὁ δὲ Λίλιος διετέλει παρὰ τοῖς Πέρσαις σκληραγωγούμενος. κατὰ ταύτας τοίνυν ἡμέρας εἰς τὴν οἰκουμένην πλάνη εἰσέρρησε, καὶ Θεοδόσιον οἱ Ῥωμαῖοι μὴ τεθνηκέναι ἐδόξαζον. καὶ γίνεται τοῦτο κεφάλαιον μεγίστων κακῶν, καὶ φόνων εὐθυνίαν ἡ ψευδὴς αὕτη

tam tyrannidem, cum Choſroes Narſi duci infenſus eſſet, Mauricius Narſem Præfectum præſidij Darenſis ordine mouit, Germanúmque ei ſubrogauit, cupiens iſto modo Babyloniam iracundiam mitigare. Germano & Lilio equis & bigis in oppidum inuectis, miles quidam die tertio Germanum in equo enſe ferit: quem deſcendentem, domum ſui deportant. Sed quoniam plaga lethalis non erat, paucis diebus ex ea auxiliis adhibitis conualuit. Tum Lilium lautiſsimè ſtructis epulis acceptũ, ad Choſroen dimittit. Choſroes belli cauſſam & inuitamentum ſibi Phocæ tyrannidem ſumens, illud orbi exitioſum claſsicum cecinit, quod Romanorum, Perſarúmque fortunas afflixit. Viſus eſt enim planè Choſroes tueri, & aſſerere velle ſanctam Mauricij memoriam. Atque hæc belli Perſici origo fuit. Lilius in Perſide manens, inhumanius tractabatur. Per eoſdem dies error per imperium increbuit, creditúmque à Romanis, non interiiſſe Theodoſium; quæ fabula mala maxima, cædesq́; plurimas progenuit. Et cum etiam ad regiam

ὑπόθεσις πραγματεύεται. τοῦ δὲ λόγου αὐξανομένου πρὸς τὰ βασίλεια, ταράττεται λίαν ὁ τύραννος, καὶ τὸν ἀλέξανδρον ξίφει διέφθειρεν. ἔδει γὰρ τοὺς συνεργάτας τῆς τυραννίδος τοῦ Φωκᾶ διαφθεῖραι, καὶ τοὺς ἐπὶ τῷ κακῷ συμμαχήσαντας ἐξαισίοις παραπέμψαι ὀλέθροις. οὐκ οἶδε γὰρ κοινοπραγία κακοῦ τὴν φιλίαν τῶν συμπεφρονηκότων βεβαίαν ἱδρύσασθαι.

vsque pertigiſſet, tyrannus nimiopere conterritus, Alexandrum neci dedit. Oportebat nimirum ipſum, Phocam adminiſtris ſuæ tyrannidis vitam auferre: quique ſibi ad ſcelus ſubſeruiiſſent, eos ad magnum exitium mittere. Nam in ſocietate maleficij firma ſtabiliſque amicitia non reperitur.

FINIS LIBRI OCTAVI.

IN HISTORIAM THEOPHYLACTI SIMOCATTÆ ANNOTATIONES.

IN DIALOGVM PHILOSOPHIAE, ET HISTORIAE.

TANQVAM filo quodam per labyrinthum] *Minotaurum monstrum biforme, ex Pasiphaë vxore prognatum, Minos Cretensium rex labyrintho, Dædali ingenio & opera fabricato inclusit. Ipsum labyrinthum Ouidius 8. lib. Metamorph. sic describit.*

Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis
Ponit opus, turbatq́ notas, & limina flexu
Ducit in errorem variarum ambage viarum.
Non secus ac liquidis Phrygius Mæandrus in vndis
Ludit, & ambiguo lapsu refluitq́ fluitq́,
Occurrensq́ sibi venturas aspicit vndas:
Et nunc ad fontes, nunc ad mare rursus apertum
Incertas exercet aquas: ita Dædalus implet
Innumeras errore vias: vixq́ ipse reuerti
Ad limen potuit, tanta est fallacia tecti.

Huic portento Athenienses quotannis septena nobilium corpora deuoranda mittere, à Minoë victore iussi erant: vt tradit etiam Virgilius principio lib. 6. Tertia sortitione Theseus missus, Minotauro interfecto, filo ad ingressum labyrinthi, consilio Ariadnes Minois filiæ alligato, quo vestigia regeret, ex illis ambagibus sese explicauit. Quod his versibus narrat Catullus poëmate venustißimo de nupt. Pelei, & Thetidis.

Inde

Inde pedem victor multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo,
Ne labyrintheis è flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobseruabilis error.

Res quæpiam plurimum impedita & intricata, labyrinthus vocari solet. Quod autem nos ex huiuscemodi rebus impeditis, intricatisq́; expedit, & extricat, potest item παρειμιακῶς *seu* Thesæum, seu Ariadnæum filum *nominari: idq́; ab istis paræmiarum vel architectis, vel collectoribus prætermissum esse miror.*

Nihil quippe incognitum ducend. pulch. mea, & Cyrenæi sent.] μηδὲν γὰρ ἄγνωστον ἔχοιμι καλὸν, ὡς ἐμοίγε, καὶ τῷ κυρηναίῳ δοκεῖ. *Hunc Cyrenæum puto esse Aristippum, à quo philosophia Cyrenaica, & Cyrenaici propagati. Inter alias eiusdem* γνώμας *à Laërtio hæc non refertur. Est autem verissima, nec recondita. Sensus pulchritudinis non est sine iudicio: iudicium præcedit cognitio, siue vtrumque horum postea verum, siue vtrumque falsum sit. Nam amantibus pulchra videri, quæ pulchra non sint, affirmat Theocritus.* ἄγνωστα *igitur*, non cognita, *qui tandem possunt haberi pulchra? Vulgò etiam dicitur*, ignoti nulla cupido. *Quia scilicet ignota non æstimantur pulchra & præclara. Quæ talia non æstimantur, nec appetuntur. Vocem* ἔχοιμι *arbitror sine sensus detrimento deleri posse, quem impedit potius, quàm adiuuat.*

Tyrannus Calydonius] *Phocam in palatium imperatorium, atq́; adeò in imperium nullo iure, & furenter inuadentem, apro Calydoniæ agros fœdum in modum deuastanti bellè comparat. Eum aprum Diana, in primitiarum sacrificio ab Oeneo rege Aetoliæ studio prætерita immisit. Metamorph. lib. 8. Eundem importunissimum, immanissimumq́; tyrannum mox non minus aptè* de genere cyclopum, *&* centaurum petulantissimum *vocat, iisdem epithetis eundem lib. 8. cap. 10. exornat. Feritatem cyclopum nec legibus parentem, nec deos metuentem Homerus, & Euripides describunt. Vide adagia*, Cyclopica vita, *&*, Cyclopum more. *A moribus item centaurorum, qui legum & iuris contemptores, viribus, & vi agebant omnia, prouerbium est* κενταυρικῶς*, de iis, quæ inciuiliter, ferociter,*

rociter, & crudeliter committuntur. De Phocæ ignauia, ebriositate, sæuitia, libidine, odio in eum multitudinis, dignissimo flagitiis suis exitu, Nicephorus Callistus lib. 18. cap. 43. 55. 56. & alij.

E porticu imperatoria] *Ad στοὰν alludit, in qua Zeno docuit: cuius discipuli primum quidem à magistro Zenonij, postmodum ab illa porticu, tanquam schola sua, Stoici sunt cognominati. Facit autem Simocatta Mauricium philosophum: ideo eius palatium quasi στοὰν fuisse videri cupit. Et in ipso etiam vocabulo magnum illi honorem habet, propter disciplinæ illius rigorem, ac sanctimoniam. Vnde Zeno cum Theophrastum à multitudine discipulorum audiret commendari: illius chorus, inquit, est maior: meus autem melius cantat. Soli enim Stoici vim virtutis tenere: ad Christianos quidem propius illa dogmatum seueritate accedere visi sunt. Honorificè quoque suum Socratem appellat. Socrates autem omnium sapientissimus ab Apolline pronuntiatus est.*

Heraclidæ me seruarunt] *Propter Heraclium vnum ex tribus interfectoribus Phocæ, & eius in imperio successorem hoc dicit: quo imperante historiam hanc Simocatta composuit: quasi ille è posteris Herculis fuisset, tyrannoq́; tollendo simile quiddam auo suo in monstris occidendis præstitisset, qui vt illa hominibus, sic ipse virtuti & bonis artibus exitium machinatus esset. Ex cognatione nominis captatus est lepos.*

Attica modulor cantica] *Mihi, & artibus liberalibus locus est: hoc enim volunt ista verba. Nam Athenæ omnium doctrinarum inuentrices. Quis præterea nescit illa,* Attica facundia, Atticus lepos, Attica Musa, Attica eloquentia? *Philo, lib.* Quod omnis probus liber. *Quod enim in oculo pupilla, in animo ratio, hoc Athenæ in Græcia.*

Vt Alcestin aliquam viribus Hercul. resuscitauit] *Ex argumento tragœdiæ huius nominis apud Euripidem locus hic illustrabitur. Est autem ferme istiusmodi. Admeto rege Thessaliæ iam morituro, Apollo, qui (propter cyclopas videlicet interfectos) Iouis coactu eius armenta pauerat, à Parcis obtinuit, vt alterum tantum viueret, si quis morti pro ipso se offerret. Quod cùm ex amicis, ac propin-*

quis nemo, nec vel pater, vel mater (quanquam senes, & capulares) facere vellent, Alcestis coniux sese obtulit. Hercules interueniens, vbi didicit quod acciderat, ad sepulchrum accessit, mortem discedere coëgit, ipsamq; Alcestin lepidè viro suo viuam restituit.

Malorum depulsoris] ἀλεξίκακος *quamobrem appellatus sit Hercules, ex tot eius laboribus cognosci facilè potest: quos quidem nos ex variis poëtis vnum in locum, ad Symbolas nostras lib. 8. Aeneidos collegimus. Sed plures etiam à mythologis afferuntur. Natalem Comitem præ aliis lege, si placet.* ἀποπομπαῖοι, ἀποτρόπαιοι, ἀλεξίκακοι θεοὶ. *Dij depulsores, auersores malorum, pestiumq; & calamitatum defensores. Vide Bud. Comment.*

Et hunc crobylum, siue plexum capillorum] *Verba ista,* siue plexum capillorum in vertice, *interpretandi caussa adiecimus. Est porrò* κρώβυλος *Hesychio,* ὁ κόρυμβος τῆς ἐμπλοκῆς, ἥ ἐστιν ἀνεζευγμένη ἀπὸ μέσου τοῦ μετώπου ἐπὶ τὴν κορυφήν. nodus, seu nexus capillorum, à fronte media in verticem reductorum, seu reuinctorum. *Athenienses cirris, siue plexibus huiuscemodi capillorum cicadas aureas implicabant, seu innodabant, quo se per illud insectum indigenas esse testarentur. Cicada enim ibi viuit, vbi nascitur. Vnde* τεττιγοφόροι *dicti. De hac Atheniensium consuetudine, item de crobylo multa eruditè Hadrianus Iunius lib. de Coma.*

Nec enim vel terrenum ornatum inornatũ manere vult] *Græcè sic est.* οὐκ ἐθέλει γὰρ οὔτε τὸν περίγειον κόσμον μένειν ἀκόσμητον. *Arbitror loci totius hanc sententiam esse. Artes ingenuas, quæ sunt ornamenta quædam terrena, non cœlestia, etiam ipsas adhuc ornari, & excoli desiderat. Et vita illi est, hoc est, summa voluptati est, in sapientia ista terrena excolenda alios operam ac studium suum ponere. Ornant homines scientiæ, & ab iisdem vicissim ornantur.*

Quæ corpus non habet, in terris philosophatur] *Nos hanc sententiam hinc probabiliter elicimus. Ego philosophia, quæ corpore careo, per hunc Antistitem Sergium in terra sum, & philosophor. Et rursus per ipsum (qui est quasi viua, & corporata philosophia) tanquam homo cum hominibus versor. Occurrunt interdum quædam istius*

ſtius generis per hanc hiſtoriam, ad quæ intelligenda attentione, & agitatione quadam mentis opus ſit. Græcas voces accipe, & verius aliquid inde prome. ἡ σώματος ἐκτὸς, φιλοσοφεῖ ἐπὶ γῆς, ἡ θεωρίαν σωματωθεῖσα, μετὰ τῶν ἀνθρώπων ὡς ἄνθρωπος ἀναστρέφεται.

Non velut Ithacens. Vlyſſes obturatis auribus] *Ne cum ſua ſuorumq́; pernicie Sirenum cantibus detineretur Vlyſſes, ſociorum aures cera obturari iuſſit, ſeq́; vinculis arctiſſimis malo alligari, nec, quamuis rogantem, ſolui, donec illa loca prӕternauigaſſet. Homerus Odyſſ. μ.* μυθολογικῶς *ſuauitas illa cantus voluptatum blandimenta ſignificat, aduerſus quæ aures obturandæ, & à quibus longius ſemper refugiendum eſt, quandoquidem perniciem afferunt: ſicut Sirenes ſibi operam dantibus afferebant. Lege Natal. Comitem lib. 7. cap. 13. Prouerbium,* Sirenas prӕternauigare, *de fugiendis voluptatum illecebris, aut declinandis vitiorum occaſionibus. Specie item prouerbij ponitur* Siren *pro illecebra, & vi dicendi. Nôrunt docti, Iſocratem Atticam Sirenem appellatum. A Pauſania in Atticis* νέα Σειρὴν *dicitur Sophocles: cauſſa additur.* εἰώθασι δὲ καὶ νῦν ἔτι ποιημάτων, καὶ λόγων τὸ ἐπάγωγον Σειρῆνι εἰκάζειν. Conſueuerunt etiamnum illecebras poëmatum, ac verborum pellacias ſirenibus aſſimilare.

Τοῦτε ἄγνου τὸ ὕψος] *Vox* ἄγνου *de eodem videtur accipienda, de quo* δένδρον, *quæ præcedit. Sicut ergo arborem ante latam, ita nunc excelſam eſſe dicit, platanum videlicet. Et tamen* ἄγνος *potius frutex eſt, in arborem aſſurgens, latinè vitex. Vide lexicographos. Simocatta quanquam hiſtoricus, eſt tamen, vt comperies, verborum licentia ipſe quoque liberior, & magnum habet cum poëtis commercium.*

Velut inſula quam immenſus, vt eſt apud poëtam, pontus circund.] Vt eſt apud poëtam, *hæc de meo adieci: licet enim hoc interpreti, perſpicuitatis cauſſa videlicet. Carmen extat Odyſſ. κ. Homero teſte etiam per hiſtoriam non ſemel vtitur: vel potius, Homericis condimentis ſua non ſemel aſpergit.*

* * *

In procemium, de excellentia & vtilitate Historiæ.

Ratio multa nobis ornamenta comparauit] *Lege 1. Off. M. Tullij, ab illis verbis.* Homo autem qui rationis est particeps, consequentia cernit, &c. *Admiratur idem præstantiam, & diuinitatem animi ex effectis eius 1. Tuscul. Vnde, quæ maximè ad hunc locum pertinent, transscribemus. Quid, illa vis quæ tandem est, quæ inuestigat occulta, quæ inuentio atque excogitatio dicitur? ex hac ne tibi terrena mortalique natura & caduca concreta ea videtur? aut qui primus (quod summæ sapientiæ Pythagoræ visum est) omnibus rebus imposuit nomina? aut qui dißipatos homines congregauit, & ad societatem vitæ conuocauit? aut qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminauit? aut qui errantium stellarum motus, progreßiones, institiones notauit? omnes magni: etiam superiores, qui fruges, qui vestitum, qui tecta, qui cultum vitæ, qui præsidia contra feras inuenerunt: à quibus mansuefacti, & exculti, à necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. Nam & auribus oblectatio magna ex parte est inuenta & temperata varietate & natura sonorum, & astra suspeximus, &c.*

In regiam Alcinoi regis Vlysses] *Quæ hic de Vlyßis hospitio apud Alcinoum Phæacum regem, & de narrationibus eius tanguntur, quibus tantopere proceres conuiuas recreauit, ab Homero in Odyssea libris 8. 9. 10. 11. epoiosè exponuntur. Quem AEneas lib. 2. & 3. AEneidos apud Maronem imitatur, dum ipse quoque suos, suorumque casus festiuißimè super cœna, rogatu Didonis hospitæ suæ commemorat.*

Aures cum serm. quop. de reb. nouis & admir. tanquam epulis accipiuntur] Λίχνον γὰρ ἀκοὴ καὶ ἀκόρεστον, ἐπιωμένη λόγον παράδοξον. *Eleganti, & suaui tralatione vsus est, à conuiuio ad auiditatem res nouas, & admirabiles audiendi, à gustatu ad auditionem. Sic Cicero in Topicis. Sed quoniam auidum hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, vt reliquiarum potius sit aliquid*

aliquid, quam te hinc patiar non satiatum discedere. Sic Plato (cuius orationis cultum imitari Cicero consueuit) in Phædro. Τίς οὖν δὴ ἦν ἡ διατριβή; ἢ δῆλον ὅτι τῶν λόγων ὑμᾶς λυσίας εἱστία; Quæ erat igitur disputatio? an certum, vos epulis sermonum à Lysia acceptos? *Plures locos ex Platone, & aliis, quibus* ἑστιᾶν, & ἑστίασις *etiam ad animi cogitationes, & velut pabulum transferuntur, notarunt Budæus in Comment. & Victorius Variar. lect. lib. 2. cap. 14. rursumq; lib. 28. cap. 23.*

Quam ob caussam poëtas erudit. Principes] *Quæ deinceps de præcipuis poëtis afferuntur, qui fabulis suis scitè ornateq; scriptis, mirabiliter hominum animos occuparint, Theologi habiti, & deorum familiares crediti fuerint, potißimùm de Homero, & Hesiodo intelligenda opinor. Quorum ille dicitur à Suida* τρισμέγιστος κοίρανος ὕμνων, ἴσα μούσαις φθεγξαμένη κεφαλή, ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτωρ, δῖος ὅμηρος ἀτρεκέα πάνσοφος, χρυσόγλωττος, θάλασσα νέκταρος, μέγας ὑπὲρ πάντας. *Alterius tanta fuit veneratio, vt pueri versus ipsius non secus quàm apud nos Catechismum cogerentur ediscere. Qui, dum puer armenta pasceret, fertur amatus à Musis, quæ illi laurum gustandam dedere, vnde vates euaserit. Pindarus Apollini gratus fuisse perhibetur, adeò, vt eorum munerum, quæ in ipsius Dei templo offerebantur, partem à Deo sibi aßignatam acciperet, indiesq; à sacerdote ad cœnam vocaretur. Plinius lib. 7. cap. 29. Obsidentibus, ait, Lacedæmoniis Athenarum vrbem, Liber pater iußit Sophoclem tragici cothurni principem sepeliri, Lysandro rege in quiete sæpius admonito, vt pateretur humari delicias suas.*

Vt cestis, seu cingulis ad delectat. appositis] *Sine dubio ad* κυπρίδος κεστὸν, *ad* Veneris cingulum *respicit, cuius, ea vis & efficientia fuisse perhibetur, vt quemlibet in sui amorem pelliceret. Vide adagium,* cestum habent Veneris. *Verba græca auctoris sunt,* οἷα κεστοῖς θελκτηρίοις τισὶ τὸ τερπνὸν καλλωπίζουσι.

Historiam commun. gen. hum. magistram, &c.] *Sequitur breuis illa quidem, sed eximia historiæ laudatio: cuius singulæ partes*

ex tot encomiasticis orationibus de ea scriptis, & recitatis facilè illustrari possent, si res postularet. ἠθικὸς ἐπίλογος subtexitur, quo historicus magnoperè extenuata facultate sua, lectorum beneuolentiam colligit, quemadmodumque historia bene scribatur, latenter monet.

IN LIBRVM PRIMVM

AD CAPVT I.

IVXTA domum, in qua. multi ex herbis] πολυστιβάδα οἰκίαν *græcè nominant.* στιβὰς *est culcita, quam à calcando dictam Varro putat, quod in ea sagum, aut tomentum, aut aliud calcabant. Stibades erant vt plurimum stramẽta è frondibus teneris, calamis, culmis, arundinibus, iuncis, aliis demùm herbis, qualis castrensis segestra, non ita dissimile quiddam toro Latinorum. Vt enim Nonius habet ex Varrone, torus appellatus est stratum ex herba torta, & toral quod iniiceretur. De iuuenibus Spartanis Plutarchus lib. de institutis Laconicis,* ἐκάθευδον οἱ νέοι ὁμοῦ ἐπὶ στιβάδων, ἃς αὐτὸν συνεφόρουν τοῦ παρὰ τῷ εὐρώτα πεφυκότας καλάμου. Somnum capiebant iuuenes simul super toris, quos ipsimet ex iuncis, siue arundinibus iuxta Eurotam natis extruebant. *Xenophon.* ἑλληνικῶν *lib. 7.* στιβάδας ποιουμένους, *id est, toros & stramenta sibi aceruantes, in quibus cubarent. Quamobrem* στιβάδες *erunt tori (seu lectisternia, aut stramenta) in quibus humi stratis vel discumberent cœnaturi, vel cubarent dormituri. Stibadia vocat Martialis, habebantque formam Græci sigma, hoc modo, C. & erant mensis rotundis accommodati lectuli accubitorij. Ego verbum obscurius, & minus plerisque notum, pluribus exprimendum censui. Hesychius quoque scribit fuisse* χαμευνὴν *seu* στρῶσιν ἀπὸ ῥάβδων, καὶ χλωρῶν χόρτων, καὶ φύλλων, stratum humi cubile è virgis, aut herbis viridibus, aut frondibus. *Satis iam, quid sit* οἰκία πολυστιβὰς, *liquere opinor.*

Aliæ

Aliæ me stimul. vt à quibus, &c. aliæ ipso transitu, &c.] *Trifariam angitur Tiberius. Vt bonus & reipub. amantiss. Imp. quem conuenit sollicitum esse, cui moriturus eam veluti filiam suam despondeat, & quem sibi tanquam generum asciscat, & relinquat. Vt probus Christianus, cui cum omni tempore, tum verò in exitu vitæ* τὰ βεβιωμένα, *acta omnia præteritorum annorum, & iudicis illius sententia de se cum dolore ac timore cogitanda sunt. Non enim respicit personam: sed iustum iudicium iudicat, & cuique mercedem reddit* prout gessit in corpore suo, siue bonum siue malum. *Vt humanissimus demum parens ac maritus super vxore, & liberis. Potiores tamen sibi esse primi, quam tertij generis curas affirmat, & publica priuatis anteponit. Nam in illis hæc quoque, non autem in his illa inclusa sunt. Quis enim saluus esse potest perdita repub?*

Qui ampla potest præd. eos plura etiam vitia.] *Plerumque quò magistratus, potestas, dignitas, principatus est amplior, hoc homines maiorem sibi licentiam improbè agendi concessam existimant: & quò minus vltionem humanam coguntur metuere, eò audacius cœlestem despiciunt. Quæris quæ sint ista plura vitia? superbia, fastus, luxus, studium ventris & somni, diuini cultus neglectio, otium iners, libidines, iræ & furores, maledicentia, tenuiorum oppreßio, & alia insuper. Sæpe item, (quod mirere) auaritia, quæ nec copia nec inopia minuitur, vt ait Sallustius. Optimè vnamquamque ciuitatem rectum iri dixit Solon, si principes & rectores secundùm leges vixerint. Quia verò contra leges viuunt multi, ideo necesse est eas malè administrari. Isocrates ad Nicoclem.* δέδεικται γὰρ, ὅτι τοιαύτας ἕξουσι τὰς βασιλείας, οἵασπερ ἂν τὰς αὑτῶν γνώμας παρασκευάσωσιν. Certum est enim, quemadmodum ipsi suos animos excoluerint, ita etiam eorum regna esse habitura.

Hominem rei Rom. opportuniss.] *Genus & nomen Mauricium traxisse ab antiqua Roma, ob parentes, ex quibus proximè oriundus, Arabissum vrbem Cappadociæ patriam agnouisse scribit Euagrius lib. 5. cap. 19. in quo item virtutes eius disertè commemorat. De signis, quæ ipsum Imperatorem fore indicarunt, item capite 21.*

Imperium tuum mihi epitaphium] *In epitaphiis, epicediis, funebribus orationibus quò dicatur magnificẽtius, sæpe supra verum, & ad solatium atque gratiam viuorum dicitur. Tiberius bonum Imperatorem defunctum ex bono successore, quem delegerit, magis, quàm vllis epitaphiis ornari, commendaríque censet. Nam sicut filius sapiens patri suo, ita hic decessori suo gloriæ & ornamento est: omnesque in deligendo summam prudentiam, & præclaram bene de repub. post obitum quoque merendi voluntatem prædicare nunquam desinunt. Huc faciunt posita ab Euagrio lib. 5. cap. 22. Tiberius, tametsi ad exiguum tempus in administrando imperio ætatem propagauit, tamẽ pro rebus præclarè à se gestis tum immortalem nominis sui memoriam, tum optimam reipub. hæreditatem, Mauricium nempe, quem Imp. declarauerat, reliquit, ac suum etiam nomen illi impertiuit, siquidem Mauricium Tiberium appellauit.*

In potestat. mag. superbiam cohibe] *Oratio ista Tiberij ad Mauricium, & illa item Iustini iunioris ad Tiberium lib. 3. cap. 11. optimorum præceptorum plenæ sunt, dicique possunt παραινετικαὶ βασιλικαὶ, qualẽ Isocrates ad Nicoclem regem Salaminæ Cypri, Euagoræ filium conscripsit. Comprimere spiritus vel in mediocri potestate difficile est: quanto difficilius in magna, in maxima, vt regali & imperatoria? Non compreßit Diocletianus. Eo vsque enim in prospero fortunæ obsequio elatus insolentia prodiit, vt se pro Deo adorari voluerit. Homines se humi proiicere, pedibus osculum figere passus est: vestes & calceos gemmis insertis gestauit. Idem ante eum post Persicam victoriam Alexander fecit. Curtius lib. 5. Iustinus lib. 12. Compreßit tandem Sesostris Aegypti rex, de quo audiemus lib. 6. cap. vlt. Compreßit etiam Cyrus, verbis Crœsi, quem rogo iam iam crematurus erat, emendatus. Herodotus lib. 1. Non immerito itaque M. Tullius in Iulio Cæsare non solum tantam mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamque clementiam, tam incredibilem sapientiam, sed etiam tantum in summa potestate rerum omnium modum admiratur.*

Principatus tui nauim dirige] *Idonea collatio nauis cum repub. siue imperio, & principis cum gubernatore, & curarum, turbarum negotiorumque cum marinis fluctibus ac tempestatibus. Sic Cic. epist.*

epist. ad Q. Cornif. lib.12. nauis nomine aut ipsam rempub. aut partem eius significauit. Quam ob rem mi Quincte, conscende nobiscum, & quidem ad puppim. Vna nauis est iam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, vt rectam teneamus: vtinam prospero cursu. Sed quicunque venti erunt, ars nostra certè non deerit. Idem in Sextiana. Nauis reipub. fluitans in alto, tempestatibus seditionum & discordiarum. Et in Pisonem. Qui maximis turbinibus ac fluctibus reipub. nauim gubernassem.

Conare à ciuib. & subdit. diligi potius quam timeri] *Praeclarè 1. Philipp. M. Tullius. Carum esse ciuibus, bene de repub. mereri, laudari, coli, diligi gloriosum est. Metui verò, & in odio esse, inuidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod videmus etiam in fabulis ipsi illi, qui,* oderint dum metuant, *dixerit, periculosum fuisse. Agapetus Diaconus libello aureolo ad Iustinianum Augustum, quo Imperatoris officium persequitur,* νόμιζε τότε βασιλεύειν ἀσφαλῶς, ὅταν ἑκόντων ἀνάσσης τῶν ἀνθρώπων. τὸ γὰρ ἀκουσίως ὑποταττόμενον, στασιάζει καιροῦ λαβόμενον. τὸ δὲ τοῖς δεσμοῖς τῆς εὐνοίας κρατούμενον, βεβαίαν ἔχει πρὸς τὸ κρατοῦν τὴν εὐπείθειαν. Existima tum demum te tutò regnare, cum volentibus hominibus imperas. Qui enim inuito animo subiiciuntur, capta occasione seditionibus fluctuant. Qui verò vinculis beneuolentiæ astricti reguntur, erga rectorem obedientiam stabilem conseruant. *Extat insigne elogium Traiani apud Xiphilinum. Amari à ciuibus cupiebat magis, quàm honore affici. Cum populo humaniter, cum senatu honorificè versabatur. Charus ciuibus, hosti formidolosus erat.*

Insignem, splendidamque seruit. imp. sceptrum profit.] *Videntur fœlices ac beati, qui honores & magistratus gerunt: vtpote quibus assurgitur, ad nutum obeditur, priores vbique conceduntur, plura licent, nihil exhibetur molestiarum, adsunt perpetuò ministri, dominorum nutus etiam obseruantes, adsunt multa commoda, &c. sed si quis rem virtute metiatur, potius miseri sunt, quàm fœlices, & magis ipsi aliis seruiunt, quam seruiatur ipsis, propter innumeras curas, sollicitudines, labores, negotia, quæ subditorum caussa sustinent, & quæ ipsos ne noctu quidem satis quiescere patiuntur, aliumq; remissius, alium vehementius, pro modo prouinciæ exercent. Vt odia multorum*

torum in illos, & vitæ pericula omittam. Vide Hieronem Xenophontis. Inducitur apud Homerum 2. Iliad. Somnus Agamemnonem ita reprehendens.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.
Haud fas per totam Rectorem stertere noctem,
Cui populi, cui sunt commissa negotia tanta.

Apud Persas, ni fallor, erat qui regem quotidie his verbis expergefaceret. ἀνάστα βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε τῶν πραγμάτων. Surge rex, & procura rempub. *Huc pertinent etiam versus Horatiani ad Augustum, exord. epist. 1. lib. 2.*

Cum tot sustineas, & tanta negotia solus:
Res Italas armis tuteris, moribus ornes:
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.

Sensit, credo, magnoperè onus regium Magnus ille rex Asiæ Antiochus. Qui à Scipione deuictus, & Tauro tenus regnare iussus, amissa omni Asia, quæ tum Romana prouincia erat facta, dicere est solitus, benignè sibi à pop. Rom. factum, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis vteretur. Cic. Pro Deiotaro. De Seleuco rege Plutarchus lib. num seni gerenda sit respub. dicere solitum, si nouissent multi, quam sit operosum ac molestum, tot duntaxat literas scribere legereq́ue, diadema etiam abiectum ante pedes non sublaturos.

AD CAPVT II.

Tempora impia, & tyrannica] *Tempora Phocæ, qui circiter octo annos imperauit sceleratissimè. A tribus conspiratis Heracleone, Heraclio, (qui postea successit in imperio) & Prisco interfectus est. Tyrannum Calydonium in dialogo, & in octauo sæpius tyrannum, & proteruissimum centaurum, & semibarbarum nominat. Interpretationis & perspicuitatis caussa* κατὰ παρένθεσιν *illa verba adiecimus* (imperium te viuo tyranni non inuadent.) *Mauricij enim temporibus inuasit illud Phocas. Quasi dicat.* Tu in pace colligeris ad patres tuos: nec videbunt oculi tui mala, quæ huic loco factu-

rus

rus sum, *vt Scriptura sancta loquitur. Quod autem hæc verba angeli*, tyranni imperij tui temporibus non extabunt: *seu, vt nos vertimus*, tempora impia, & tyrannica te imp. non venient, *quidam eruditiß. vir hunc sensum continere putat, Tiberium post obitum consecuturum imperium pacificum ac perenne, vbi nullus erit timendus, qui illud auferat, tyrannus, cœli videlicet principatum, in quo cum Christo regnant omnes sancti eius, vereor vt ea explanatio stare poßit.*

Quantumuis Imp. legi naturæ communi obsecutus, &c.] *Pulsat enim pallida mors æquè regum turres, vt pauperum tabernas, vt Horat. ait, Ode 4. lib. 1. Socrates, siue Anaxagoras cuidam dicenti, Athenienses te morti adiudicarunt, respondit, & illos natura. Hoc volebat, neminem semper victurum, quamuis ei vita per cruciatum non extorqueatur. Obseruet lector, quam multis, & quam venustè mortem, siue discessum è vita optimi Imp. circumloquatur Simocatta. Etenim non contentus dixisse, eum legi naturæ communi obsecutum esse, quod satis quid esset intelligebatur: addit nihilominus*, & hac onerosa, terrenaque tunicula exutus, & tanquam è tabernaculo suo liber egressus, esse inter homines desinit. *Sunt enim modi, quibus res alioqui formidabilis, & tristis, mors videlicet, extenuetur, & mitigetur. Ex Cicerone occurrunt; vinculis corporis laxari: è corporis custodia euolare: ex hac turba, & colluuione discedere: ex his tenebris in lucem illam excedere: ad illud diuinum animorum concilium, cœtumq́ue proficisci. Sacræ Scripturæ sunt; apponi ad patres suos, ad populum suum: dormire cum patribus suis, obdormire in domino. Corpus humanum vocant tabernaculum Paulus 2. Corinth. 5. Et Petrus epist. 2. cap. 1. Tunicam videtur quoque Paulus nominasse, dum ait, 2. Corinth. 5.* eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. *Ibidem verbis antecedentibus terrestrem domum nominat. Regnauit autem Tiberius per se solum annos quatuor: cum Iustino autem annos tres, & menses vndecim.*

Incisis lachrymar. venis ex ocul. flum. prorup.] *Vberrimum fletum duabus metaphoris significantißimis expreßit.* Largoque humectat flumine vultum, *inquit Virgil. 1. Æneid. & 2.* largo-

que effundere fletus. *Effundere vim lachrymarum, Cicero. Quò magis mirandum, venas istas, & hæc flumina tam citò manare desiisse. Eo ipso siquidem die desierunt. Sed enim nihil lachryma citius arescit; præsertim in alienis malis, vt aiunt Rhetores. Soluebant ergo Constantinopolitani quoq; bono principi suo stipẽdiarias lachrymas. Omnes non tanquam Imperatorem sibi, sed tanquam parentem publicum obiisse, domestico fletu doloris illachrymabant, suáque omnes funera dolebant, vt scriptum est à D. Ambrosio, concione de obitu Valentiniani. Cur à populo diligeretur tantoperè Tiberius, poteris cognoscere ex Euagrio lib. 5. cap. 13. Laudat eundem præclarè historicus noster lib. 3. cap. 16.*

AD CAPVT III.

Princeps Chaganus, vt Hunnis appellabatur] *Vocabulũ istuc* Chaganus *appellatiuum est, quo Principes suos Hunni afficiebant: Etiam Persæ ducem militum Cardarigan nominabant, vt toties in hac historia videre licet. Similiter aliæ gentes, & olim, & hodie reges ac principes suos certis nominibus & honorabant, & honorant. Quis non legit Aegyptiorum Pharaones, Ptolemæos, Sultanos, Persarum Sophi, Turcarum item Sultanos, Tartarorum Chamos, Valachorum Vaiuodas, Romanorum Augustos? Animaduertenda huius barbari curiositas, superbia, auaritia, Romanorumq; (seu Græcorum) misera seruitus, quos ad libidinem belluæ huius tributa pendere, & quæ mandaret facere citra detrectationem oportuit. Quam rem historicus non iniuria deplorat. Nobis Germanis (imperio Romano, inquam) an non idem pæne multis annis euenit, quibus Othmanico tyrannico grandem pecuniæ summam, & lectos aureos, hoc est, pretiosa ex auro & argento munera mittere ad pacem redimendam compulsi sumus?*

Vtrum quia admirab. & nouit. animal. perceller. an. q, contem.] *Haud est verisimile, contempsisse elephantum, & quidem omnium quos Mauricius habebat præstantissimum. Credibilius est, vastitate & mole illius inopinata obstupuisse, ac perculsum esse. Vulpes apud Aesopum cum incidisset in camelum, quem nunquam antea viderat, ita eius proceritate corporis cohorruit ac timuit, vt pæne moreretur. Iterum postea cùm videret, timuit quidem, at nõ tantum.*

Tertio

Tertio aspectu adeo non timuit, vt & accedere, & confabulari auderet. Docet fabella, terrifica quæ sunt, consuetudine familiaria fieri. Sic Chaganus, si elephantum vidisset sæpius, minus minusq; obstupuisset: quin & tergum eius conscendere, & ex eo pugnare non dubitasset.

Molest. exhibuit de lecto aureo] κλίνην χρυσῆν *apud Cedrenum hac eadem de re loquentem, vertit interpres,* culcitram auream. *Plus fuisse puto, & intelligendum talem lectum, seu lectulum, seu grabbatulum, quales Germanis* Raſtbetlin *dicuntur. De lecto discubitorio nolim accipere: sed de eo, in quo meridiari solemus, & quem germanico vocabulo iam expreßi.*

AD CAPVT IV.

Negligit custodiam pax, nec in fut. prospicit] *Cum ex pace bellum, & ex bello pax nascatur: sicut tempore belli de pace cogitandum (siquidem finis, & scopus belli est) ita temporibus pacificis bellum timendum, & idcirco adhibenda custodia, nec exspectandum donec hostis ante portas sit, aut aries murum percusserit. Serò enim sapient Phryges. Etiam securißimis temporibus hostes metuendos esse multi suo exemplo docuerunt. Iphicrates Atheniensium dux etiam in amicorum regione castra communiebat.*

Cadmea, vt dicitur, reportata victoria] *Plutarchus libro* περὶ φιλαδελφίας *priscis Cadmeam victoriam scribit appellatam, quæ fuit fratrum (Etheoclis, & Polynicis) apud Thebas, à Cadmo conditas, vt turpißimam atque miserrimam. Idem libello de educatione liberorum ostendit Cadmeam dici victoriam, quoties præstat vinci, quam vincere.*

Latini scribonem dicunt] *E custodibus, seu stipatoribus imperatoriis primarium facit Scribonem Simocatta, & ita intelligit Suidas, cuius sunt hæc verba,* Σκρίβων κατὰ λατίνους ὁ τῶν σωματοφυλάκων ὑπερφερόμενος. *Quæ quidem gemina pœne sunt Simocatticis: sic enim ille, paulò pluribus licet.* καὶ κομεντίολον, ἄνδρα τῶν σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως ὑπερφερόμενον, ὃν σκρίβωνα τῇ λατινίδι φωνῇ Ῥωμαῖοι κατονομάζουσιν. *Agathias lib. hist. 3. paulo aliter vsurpat, pro custode seu excubitore palatij, inquit enim* εἷς δέ γε ἦν οὗτος τῶν ἀμφὶ τὰ βασίλεια δορυφόρων, οὓς δὴ σκρίβωνας ὀνομάζουσιν. *At Leo Imp.*

constit.3. eosdem esse dicit qui aliquando Δεποτάτοι. *Subiiciam verba:* Δεποτάτοι δὲ προσηγορεύοντο πάλαι, καὶ νῦν λεγόμενοι σκρίβωνες, οἵτινες παρακολουθοῦντες τῇ παρατάξει, τοὺς ἐν τῇ μάχῃ τραυματίας γινομένους ἀναλαμβάνονται ὡς ἰατροὶ, καὶ περιποιοῦνται. Qui olim Deputati, nunc Scribones, sequuntur exercitum, & in prælio vulneratos reficiunt vt vulnerarij, & seruant. *Deputati erant, hoc est selecti, minus locupletes qui saucios in prælio obligabant, aut collapsos ab equis erigebant, aut laborantes è certamine asportabant. Pro singulis militibus seruatis singulos nummos accipiebant. Hæc propemodum Rigaltius in Glossario* Τακτικῷ.

Longum murum deiecturum] *De hoc ponam ad verbum, quæ sunt apud Petrum Gyllium in Topographia Constantinopolis lib.1. cap.21. Suburbana prædia Constantinopoleos muris longis claudebantur, iter duorum dierum, quos à Ponto Euxino ad Selybriam, sitam in littore Propontidis, distantes ab vrbe quadraginta millia passuum, latos viginti pedes Romanos, Anastasius Imperator condidit contra impetum Bulgarorum, & Scytharum. Eos muros à barbaris sæpe captos, & multis locis euersos. Iustinianus restituit. Et vt facilius milites præsidiarij muros tueri possent, exitus turrium patentes in alias turres obstruxit, singulisque ascensum à solo reliquit patentem vnicum, quem solum singularum turrium milites contra hostes etiam intra muros versantes tueri possent. Euagrius murum longum nuncupatum tradit excitasse Anastasium, qui distaret à Constantinopoli ducenta & octoginta stadia, vtrumque mare attingens, longus quadraginta & viginti stadia, velut fretum quoddam efficiens, & Constantinopolim paruam insulam pro peninsula reddens, volentes transire ex ponto in propontidem tutos præstans, & prohibens excurrentes barbaros ex ponto Euxino, & Colchis & Mæotide, & Caucaso effusos in Europam. Vide Zonaram in Mauricio, & Nicephorum lib.16. cap.39.*

AD CAPVT V.

Oculus iust. cæcus est, pedes prouidentiæ claudicant] *Cur hoc dicat, & de quo dicat, sequentibus verbis statim demonstrat: quia nimirum periurij pœnas Deus ab eo non exposcat. Videtur Deus non*

videre

videre hominum scelera, nec iustus esse, cùm ea non punit: & claudicare quodammodo, cùm tardius punit. Sed altissimus est patiens redditor, & benignitas Dei homines ad pœnitentiam exspectat. *Lento pede, inquit Cæsar, diuina vltio procedit, tarditatemq́ supplicij grauitate compensat. Prouerbium, dij laneos habent pedes, indicat diuinum numen etsi lentè ad pœnas sumendas procedat, nonnunquam tamen inopinatò supplicium infligere. Omnino verum est, quod ait Horat. Ode 2. lib. 3.* Raro antecedentem scelestum Deseruit pede pœna claudo. *Tibullus eleg. 4.*

Ah miser: & si quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Dicitur item adagio, δίκης ὀφθαλμὸς, iustitiæ oculus, *de iudice, aut ipso iudicio sinceris & incorruptis. Sed nihil impedit, quin de Deo accipiatur, qui & iustus, & totus oculus est; videt enim omnia. Et de ipso loquitur Senarius hic.*

ἔστι δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάνθ᾽ ὁρᾷ.
Est oculus æquitatis omnia intuens.

Censeo præterea allusum ad illud Homeri, in Βατραχομ. ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, habet Deus vindicem oculum.

Gentem bellicosissimam] *Sallustius in Catilinario de veteribus illis Romanis. At Romani domi militiæq́ intenti, festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obuiam ire, libertatem, patriam, parentesq́ armis tegere. Post, vbi pericula virtute propulerant, sociis atq́ amicis auxilia portabant. Infrà. Iam primum iuuentus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem vsu militiam discebat: magisq́ in decoris armis, & militaribus equis, quam in scortis atq́ conuiuiis libidinem habebat. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus vllus asper, aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus. Et rursum. Memorare possem quibus in locis maximas hostium copias Pop. Rom. parua manu fuderit, quas vrbes natura munitas pugnando cœperit. Cic. 1. Tusc. eos cum virtute, tum disciplina in re militari multum valuisse testatur.*

Imperium omnium linguis celebratum] *Quis tandem scriptorum hoc imperium, hanc rempub. non aliquando laudauit? quis potentiam & magnitudinem, leges, instituta, & mores non prædicauit?*

uit? Paucos, eosq́ primæ claßis adducam, & in primis vatem maximum, cuius illa sunt 1. Aeneid.

His ego nec metas rerum nec tempora pono.
Imperium sine fine dedi, &c.

Lib. 6.

Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, paciq́ imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Cicer. Philip. 3. nos principes terrarum, omniumq́ gentium. Et 1. Tusc. Iam illa quæ natura, non litteris assecuti sunt, neq; cum Græcis, neq; vlla cum genere sunt conferenda. Quæ enim tanta grauitas, quæ tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere virtus in vllis fuit, vt sit cum maioribus nostris comparanda? Halicarnasseus procœmio Antiquit. Romanos omnibus ciuitatibus, & gētibus rerum gestarum, & imperij magnitudine ac diuturnitate antecelluisse confirmat. Possem esse in hoc argumento longior: Sed hic non est locus. Vide laudationem Romæ apud Aristidem Sophistam, & admiranda Lipsij.

Quorum est veneranda efficacitas.] *Quomodo non veneranda, si, vt Ouid. habet,*

Munera crede mihi placant hominesq́ deosq́,
Placatur donis Iupiter ipse datis?

Excæcant *præterea* oculos sapientum, & peruertunt verba iustorum, *ait diuina scriptura: quæ si non veneranda, certè magna efficacitas est. Aduersus ea nihil valet vlla eloquentia. Hæc magna profectò potentia, & efficiendi vis est.*

Χρυσοῦ λαλοῦντος, πᾶς ἀπρακτείτω λόγος,
Πειθὼ γὰρ οἶδε καὶ πέφυκε μὴ λέγων.

Auro loquente, ratio quæuis irrita est,
Suadere quoniam nouit & loquens nihil.

Arbori robustæ, excelsæ, frondosæ, &c.] *Similiter de æsculo Virgilius locutus est Georg. 2.*

Aesculus imprimis, quæ quantum vertice ad auras
Aethereas, tantum radice in tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neq; imbres

Con-

Conuellunt: immota manet, multosq́ per annos
Multa virum voluens durando sæcula vincit.
Tum fortes latè ramos, & brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet vmbram.

Imperium Romanum ad eius firmitatem stabilitatemq́ significādam Simocatta arbori altißimis radicibus hærenti, robustæ, sublimi, frondosæ, &c. ποιητικώτερον comparat. Sic certè idem Virgilius Troianam vrbem cum orno. Sed illam ornum Græci velut agricolæ certatim bipennibus instantes exciderunt. Ac veluti summis antiquam in montibus ornum, &c. *In 4. item inexpugnabilem Aeneæ constantiam aduersus blandimenta muliebria per quercum annosam declarat, quam Alpini Boreæ*

----- nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant: it stridor, & altè
Consternunt terram, concusso stipite, frondes.
Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in tartara tendit.

AD CAPVT VI.

Chagano sanguis efferuescere] *Egregia hominis insanè irascentis descriptio. Qualis est etiā apud Virgil. lib. 12. Aeneid. in Turno.*

His agitur furiis, totoq́ ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Huc mihi videtur facere locus M. Tullij 1. Off. Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, statusq́ mutantur. Ouid. 3. Artis.

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.

Cum autem homines immodestius, & effrænatius irascentes leonibus, tauris, aliisq́ bestiis immanioribus conferri soleant, sciendum, D. Gregor. Nyssenum tales cum energumenis, seu dæmoniacis & obseßis cōparauisse lib. de 8. beatitudinib⁹, qui locus à me adductus est in Symbolis, ad illa verba in principio libri. Attollitq; animos, Pœnorū qualis in aruis Tum demum mouet arma leo, &c.

Spreta

Spreta legatorum reuerentia barbar. illum in carcerem] *Ius legationis sanctum, & legationes maximæ dignationis, & legati sacrosancti, & inuiolabiles apud omnes gentes semper fuerunt. Cicero Orat. de harusp. responsis, ius legationum humano diuinoq; vallatum præsidio dicit. Idem Verrin. 3. nomen legati eiusmodi esse debere, quod non modò inter sociorũ iura, sed etiam inter hostiũ tela incolume versetur. Eustathius in 7. Iliad. memorat caduceatores medium quoddam genus inter deos & homines: id est, pænè diuinos, & hominibus augustiores existimatos: nec nisi à Lestrygonibus, Cyclopibus, aliisq; qui fas non nôrunt, de iisdem aliter cogitatum. Quare inter Lestrygonas, & Cyclopas hunc Chaganum barbarissimum numerare par est. Homero nuntij Iouis atq; hominum dicuntur.*

AD CAPVT VII.

Quam Rom. Præsentij nom. is est hon. ducum milit.] *Lib. 8. cap. 13. dicitur idem esse qui Domesticus, quod tamen non est nomen honoris ducum militarium: & de eo in Cantacuzeni historiam ante initium disseruimus, vt etiam de aliis multis palatij Constantinopolitani officiis. Quanquam lib. 8. non Præsentius, sed Præsentinus scriptum est, & dicitur Petro fuisse à consiliis.*

AD CAPVT VIII.

Relegat. in Chalcitid. insulam] *Hanc Stephanus vocat Demonesum. Describitur à Gyllio in Bosporo Thracio, lib. 3. cap. 14.*

AD CAPVT X.

Patrem suum Paulum, qui nuper Constantinop.] *Ad nuptias suas Mauriciũ vtrumq; parentẽ, canitie decoros, & rugis planè venerandos, fratres item pulchritudine & forma eximios aduocauit. Euagr. lib. 6. c. 1. in quo earundem nuptiarum celebritatẽ & magnificentiam describit. Ex eius historia ecclesiastica nonnunquam hancce nostram de Mauricio illustrabimus; etsi non nisi ad annum imperij eius duodecimum peruenit: cuius parentes nouit, & cum iis collocutus est. Nec quenquam Euagrio priorem res Mauricij attigisse opinor.*

In circuitu primor. & mag. Impp simulacra.] *Veteres in larariis, & aliis locis clarorum virorum imagines, & statuas collocabant, non admirationis & honoris caussa tantùm: sed vt earum aspectu ad imitationem illorum sese excitarent. Hoc laudabile est, & insigne domus ornamentum. Meritò autem in cubiculo imperatorio Imperatorum statuæ visebantur. Quid ego hic de illis Christianis dicam, quos icones & simulacra non inepta tantùm, sed etiam fœda & inhonesta, non in conclauibus modò, sed in ipsis cubiculis delectant? Clemens Alexandrinus Adhortat. ad gentes, postquam egit de impudicis imaginibus quas quidam etiam in cubiculis ponebant, & publicè Græci habebant, harum non solùm vsus, inquit, sed etiam aspectus & auditus deponendam esse memoriam, vobis nuntiàmus. Scortatæ sunt aures vestræ, fornicati sunt oculi: & quod est magis nouum, ante complexum vestri adulterium admiserunt aspectus.*

Sponsis pateram meri plenam porrigit] *De hoc vide, si placet, Euchologium Græcorum; item, quod sequitur, de sertis à sacerdote sponso & sponsæ imponi solitis; & de annulis aureo & argenteo, quæ cærimoniæ & precationes adhiberentur. Octauo autem die serta illa nuptialia manu sacerdotis, cum sollenni precatiuncula deponebantur. Quoniam verò priuati non erant Mauricius & Constantina, sertorum loco Patriarcha illis coronas imperatorias imposuit, quæ* ἀκολουθία στεφανώματος officium sertorum impositionis *ibidem vocatur.*

AD CAPVT XI.

Antistiti Heracleæ, quæ olim Perinthus] *Postquam Constantinus ex Byzantio fecit Constantinopolim, Perinthus antea vicus, dicta est Heraclea, cuius Metropolita ab antiquo ius habet Patriarchæ eligendi. Veterum quippe Imperatorum priuilegia abolere noluit (nam Seuerus Imp. Byzantium à Pescennio Nigro occupatum, illo occiso diruerat, & vrbe in vici formam redacta, agrum Perintho subiecerat.) Quare etiam in subscriptionibus litterarum Patriarcham proximè Heracliensis sequitur. In Turcogræcia talis profertur eius subscriptio.* ὁ ταπεινὸς μητροπολίτης ἡρακλείας, πρόε-

δρος τῶν ὑπερτίμων, καὶ ἔξαρχος πάσης θρᾴκης, καὶ μακεδονίας. Humilis Metropolita Heracleæ, præſes Prælatorum, & exarchus totius Thraciæ, & Macedoniæ. *ὑπέρτιμος enim titulus fuit Metropolitarum, & Heracleenſis πρόεδρος τῶν ὑπερτίμων, vt Cæſareæ Cappadociæ ὑπέρτιμος τῶν ὑπερτίμων. Exarchus porrò eſt veluti vicarius, aut Legatus Patriarchæ, vti apud nos Legatus ſedis Apoſtolicæ dicitur. Perinthus, vt TzetZas narrat, etiam Mygdonia ab Hercule vocata eſt.*

S. Glyceriæ martyris] *Sub Antonino Imp. & Sabino Præſide Traianopoli martyrio functa eſt. In Menais 3. Id. Maÿ certamen eius deſcribitur.*

Quod purum eſt, non debet impurum contingere] τῷ ὄντι γὰρ, τὸ καθαρὸν, τοῦ μὴ καθαροῦ οὐ θέμις ἐφάψασθαι. *Sententiam hanc profani alicuius ſcriptoris eſſe, ipſe hiſtoricus fatetur. Cuius autem ſit, alius me in bonis auctoribus magis verſatus coniiciat.*

Mauricius ad ſontes cap. pun. languidior.] *Iſte Imp. præter cæteros omnes, inquit Euagrius lib. 6. cap. 2. operam dabat, vt nullius ſanguis, qui læſæ maieſtatis reus eſſet, omnino funderetur. Id prolatis aliquot exemplis probat. Plutarchus alicubi. Muſicus chordas diſſonantes non ſtatim abiicit & incidit: ſed ſenſim intendens aut remittens, ad concentum adducit. Ita Princeps leniter emendabit peccantes, non protinus tollet. Veruntamen ſceleris atrocitas hanc lenitatem interdum excludit: & ne malum ſerpat, ſeuerioribus exemplis ſtatuendis prouidendum eſt. Sic faciebat M. Antoninus cognomento Philoſophus. Mos eius, inquit Capitolinus, vt omnia crimina minore ſupplicio, quàm legibus plecti ſolent, puniret: quamuis nonnunquam contra manifeſtos, & grauium criminum reos inexorabilis permaneret.*

AD CAPVT XII.

Encæniorum, ſeu dedicatæ vrb. anniuerſ. die] *Conſtantinus Magnus ordinata repub. vrbem nouam iam ad egregiam ædificiorum ſpeciem perductam, ſollenni cærimonia, aduocatis Orientis Epi-*

Episcopis consecrandam, ac Deo & B.Virgini dedicandam curauit, eamq́ nouam Romam, & Constantinopolim appellauit, atq́ ad dignitatem vrbi addendam, Ecclesiam eius ad honorem patriarchatus euexit. Dedicata est V.Id.Maias, & eum diem γενέθλια τῆς κωνςαντινουπόλεως Græci vocant in Menais, diem natalem Constantinopolis.

Impendentis formid. exitij, templa vniuersi concursab.] *In ethnicis, & Christianis litteris multa huius rei exempla leguntur. Est enim sollenne mortalibus, in magnis malis & calamitatibus ad Deum cœlestesq́ auxilij caussa confugere: in bonis autem, & rerum prosperitate eorum vix recordari.* Multiplicatæ sunt, *inquit David,* infirmitates eorũ, postea accelerauerunt. *Et rursum.* Cum occideret eos, reuertebantur ad eum. *Qua de re pulchrè disertissimus Lactantius lib.2.ca.1.in hunc modum. Nam tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis eius fruentes, honorem dare diuinæ indulgentiæ deberent. At verò si qua necessitas grauis presserit, tum demum recordantur: si belli terror infremuit: si morborum pestifera vis incubuit; si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit; si sæua tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugitur; à Deo petitur auxilium; Deus, vt subueniat, oratur. Si quis in mari vento sæuiente iactatur, hunc inuocat: si quis aliqua vi affligitur, hunc protinus implorat: si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per eius diuinum atque amicum numen hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. In libro Iudith, audito infesto Holofernis aduentu, sic legimus de Bethuliensibus.* Et clamauit omnis populus ad dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus, ipsi & mulieres eorum. Et induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerunt contra faciem templi domini, & altare domini operuerunt cilicio, & clamauerunt ad dominum Deum Israël vnanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & vxores eorum in diuisionem, & ciuitates eorum in exterminium, & sancta eorum in pollutionem, & fierent opprobrium gentibus.

bus. *Salluſtius. in Coniurat. Catilinæ. Ad hoc mulieres, quibus pro magnitudine belli timor inſolitus inceſſerat, afflictare ſeſe, manus ſupplices ad cælum tendere: miſerari paruos liberos, rogitare, omnia pauere, ſuperbia atq; deliciis omiſsis, ſibi patriæq; diffidere. & 1. Aeneid.*

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades paſsis, peplumq; ferebant,
Suppliciter triſtes, & tunſa pectora palmis.

Et lib. II.

Nec non ad templum, ſummásq; ad Palladis arces
Subuehitur magna matrum regina caterua,
Dona ferens: iuxtáq; comes Lauinia virgo
Cauſſa mali tanti, &c.

Non equi, non muli, ſed homines traheb.] *Honoris ampliſsimi cauſſa videlicet, quod per ſe patet. Itaque non ſolùm mulis & equis, ſed etiam leonibus (à quibus quorundam currus tractos eſſe legimus) nobiliores iſti, vt ita dicam, tractores ſunt. Seſoſtris autem Aegyptij regis currus, vt poſtea videbis, lib. 6. cap. 11. à quatuor barbaris regibus trahebatur. Tantus erat hominis faſtus.*

AD CAPVT XIV.

Artes bellicas ex vet. ſcript. monument.] *Venit in mentem Luculli, de quo Cicero in Academicis. Sed incredibilis quædam ingenij magnitudo non deſiderauit indocilem vſus diſciplinam. Itaq; cùm totum iter, & nauigationem conſumpſiſſet partim in percunctando à peritis, partim in rebus geſtis legendis, in Aſiam factus Imperator venit, cum eſſet Roma profectus rei militaris rudis. Philippicus igitur qui artes bellicas ex veterum ſcriptorum monumentis hauſit, hunc potiſsimùm imitatus videtur. Alphonſus rex Neapolitanus in expeditionibus ſemper habuiſſe apud ſe, & lectitaſſe Liuium ſcribitur.*

P. Scipionis belli ducis omnium præſtantiſſ.] *Exiſtimo poſteriorem Scip. Africanum accipiendum, qui aliâs Aemilianus, & Numātinus. De eo, & eius auo (à cuius ſcilicet filio adoptatus eſt) Virg. 2. Georg.*

Georg. in laudibus Italiæ. Scipiadas duros bello. *Eosdem* duo fulmina belli, cladem Libyæ *in sexto appellat. Manil.* Scipiadæque duces, fatum Carthaginis vnum.

In vita sanctè agunda philosophantium.] *Frequentißimè Græci scriptores sacri institutum vitæ monasticum* φιλοσοφίαν *nominant, & monachos aiunt* φιλοσοφεῖν. *Nam cùm Philosophia sit amor siue studium sapientiæ, & Philosophi sapientiæ studiosi,* & sapientia, *quæ desursum est, sit multo verior sapientia, quam ab humanis ingeniis profecta* (sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum) *multò verius boni monachi & religiosi, quam Platones, & Aristoteles philosophi, & philosophari dici possunt. In verbis paucis apud Simocattam sequentibus, egregiam monachismi commendationem nota. Insaniunt illi quidem, ad meliora, id est, ad cœlestia enitentes: sed illa est sapiens & sobria insania. Simile quiddam S. Ambrosius hymno quodam.* Læti bibamus sobriam Ebrietatem spiritus. *De voce* φροντιστήριον *multa à me dicta sunt annotat. in dialog. 3. voluminis primi dialogorum. Cum sit propriè schola, tamen teste Suida etiam pro monasterio ponitur.*

AD CAPVT XV.

Regia res est pacis studium] *Magis pacis fruendæ quàm belli gerendi caussa ab initio reges creati sunt: siquidem non nisi propter pacem bellum. Et paci, quæ nihil habitura sit insidiarum, modis omnibus consulendum est. Præclarè scriptum erat à M. Tullio 1. Off. Nam cum sint duo genera decertandi: vnum per disceptationem, alterum per vim: cumqúe illud proprium sit hominum, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si vti non licet superiore. Quare suscipienda quidem bella sunt ob eam caussam, vt sine iniuria in pace viuatur: parta autem victoria conseruandi sunt ij, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt.*

Humanarumq; miseriarum auctorem] *Non inscitè bellum vituperatur hoc capite. Tibullus etiam festiuè lib. 1. eleg. 10.*

Quis fuit, horrendos primùm qui protulit enses?
Quam ferus, & vere ferreus ille fuit?

Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc breuior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser nocuit: nos ad mala nostra
Vertimus in ſæuas quod dedit ille feras, &c.

IN LIBRVM SECVNDVM.

AD CAPVT II.

NEmpe propter diei Dominici venerat.] *Laudat hũc diem hebdomadis S. Ignatius epistola 3 quæ est ad Magneſianos, in hunc modum.* καὶ μετὰ τὸ σαββατίσαι ἑορταζέτω πᾶς φιλόχριστος τὴν κυριακήν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὕπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν. ἣν περιμένων ὁ προφήτης ἔλεγεν, εἰς τὸ τέλος ὑπὲρ τῆς ὀγδόης. ἐν ᾗ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλεν, καὶ τοῦ θανάτου γέγονε νίκη ἐν χριστῷ, *&c.* At poſt ſabbatum omnis Christi amator dominicam celebret diem, diem reſurrectioni conſecratam dominicæ, reginam & principem omnium dierum; quam exſpectans propheta dicebat, in finem pro octaua. In qua & vita nostra exorta eſt, & per Christum mors deuicta, &c. *Eiuſdem diei laudes ſummatim recenſui annotat. in progymnaſma latinitatis 76. ſecundæ tertij, ex Comment. Benedict. Pererij in Geneſin.*

AD CAPVT III.

Philippicus Dei hominisq; effig. circumfert] *Non eſt contemnendum hoc genus pietatis, & modus hic excitandi animos, demonſtrandis, circumferendis, ingerendis, præferendis Saluatoris, Deiparæ, diuorumq; imaginibus, ſtatuis, monumentis, reliquiis; quem Christi Eccleſia inde ab exordio vſq; ad hæc tempora ſemper celebrauit.* ἀχειροποίητος *à Græcis dicitur imago, quam Abagaro Edeſſæ regulo Christus miſit, de qua plures, nec contemnendi auctores. Aliis omiſſis, Ioannes Damaſcenus de fide orthodoxa lib. 4. cap. 17. historia quoque proditum eſt, inquit, cum Abagarus Edeſſæ rex eo nomine pictorem miſiſſet, vt domini imaginem exprimeret: neque id pictor*

ob ſplendorem ex ipſius vultu manantem conſequi potuiſſet, dominum ipſum diuinæ ſuæ, ac viuificæ faciei pallium admouiſſe, imaginemq́ ſuam ei impreſſiſſe: ſicq́ illud ad Abagarum, vt ipſius deſiderio ſatisfaceret, miſiſſe. Plura apud Baronium Annal. tomo 1. Eam anniuerſaria memoria XVII. Kalend. Septemb. coli ſolitam patet ex Menæis, vbi ſic ſcriptum eſt. ἡ ἐξ Ἐδέσσης ἀνακομιδὴ τῆς ἀχειροποιήτου εἰκόνος, ἤτοι τοῦ ἁγίου μανδηλίου τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Reportatio ex Edeſſa imaginis non manu factæ, ſiue ſacri mantilis *(hoc eſt, ſudarij, ſiue lintei: Cedrenus Sindonem vocat)* Ieſu Chriſti Domini noſtri. *Quoniam verò ibidem tres* ἦχοι, *ſeu cantica in eius laudem & venerationem habentur, placet primum in gratiam iconomachorum deſcribere hoc loco, eique noſtram interpretationem ſubiicere.* Ποίοις οἱ γηγενεῖς ὄμμασιν ἐποψόμεθά σου τὴν εἰκόνα, ἣν καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων στρατεύματα βλέπειν ἀδεῶς οὐ δεδύνηνται, θεϊκῷ φωτὶ ἀστραπτομένην; ἀπαίρει γὰρ ἀπὸ γῆς ἀπίστων σήμερον, καὶ πόλιν πρὸς βασιλίδα, καὶ λαὸν εὐσεβῆ ἐπιδημεῖ θείᾳ νεύσει· ἥπερ τῇ εἰσόδῳ ἐπιφαίνονται βασιλεῖς προσπίπτοντες ταύτῃ μετὰ φόβου Χριστὲ καὶ πίστεως. Qualibus oculis nos terrigenæ intuebimur imaginem, quam angelorum exercitus libere non audent aſpicere, diuino coruſcam lumine? Hodie enim è regione infidelium in vrbem imperatoriam, ad populum pium diuino nutu transfertur & commigrat, cui aduentanti occurrunt Imperatores, & ante eam, Chriſte, cum timore ac fide genua flectunt. *Infra Priſcus eadem prolata tumultum caſtrenſem ſedare nititur, lib. 3. cap. 1. Sic in hiſtoriis de regno Italiæ lib. 3. Sigonius narrat de Zacharia Pontif. Rom. cum Aiſtulphus cum exercitu Romanam in ditionem irrupiſſet, ſupplicationes ſolennes, & ſanctam Saluatoris imaginem non hominis manu pictam, ſed ab ipſius ore formatam in humeros, adiuuantibus ſacerdotibus ſuſtuliſſe, atque vniuerſo proſequente populo, nudis pedibus ad baſilicam ad præſepe proceſſiſſe, &c.*

Belli vices incertæ ſunt] *Cic. Pro Milone. Adde incertos exitus pugnarum, Marteḿq; communem, qui ſæpe ſpoliantem iam, & exultantem euertit, & perculit ab abiecto. Seneca Thebaide.* Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt. *Locus grauis & inſignis eſt apud Thucydidem lib. 2. in oratione, qua Archidamus Lacedæmo...*

orum rex ſuos ad cautionem & diligentiam aduerſus Athenienſes hortatur, his verbis. Non igitur aliquid negligentius agamus, etiamſi videmur plures eſſe, & inſtructi: nec ſecuritatem polliceamur nobis ex eo, quod propter hæc hoſtes non ſint nobiſcum pugnaturi: ſed ducum, & militum vnuſquiſque, vt qui ſeſe cogitet in diſcrimen eſſe venturum, ſit paratus ad dimicandum. Omnia enim in bellis obſcura ſunt, & ex paruo multa exiſtunt. Sæpe ex iracundia fiunt conflictus: ſæpe minor multitudo, quæ propter metũ cauta eſt, fortis depulit plures, qui contemptu hoſtium fuerunt imparati.

Qui & magiſteriam geſſit] *Magiſteria eſt, dignitas ſeu poteſtas magiſterij. Magiſterium autem officiorum, ordinum palatinorum, ductorum fuiſſe ait Zozimus, formuláque magiſteriæ dignitatis apud Caſsiodorum epiſt. 6. lib. 6. Variar. non ad alium quàm hunc magiſtrum officiorum pertinet: eaq́; perſtringuntur, quæ eius muneri & officio incumbunt. Plura Briſſonius de ſignificat. verborum iuris.*

AD CAPVT IV.

Eorum ſpolia (tuldum Rom. vocare conſueuerunt)] *Leo Imp. de apparatu bellico cap. 3. Tuldum eſt apparatus vniuerſus, & vtenſilia militum, vt ſerui, & iumenta, reliquáque animantia, vel ſi quod aliud inſtrumentum ad vſum caſtrenſem adiungitur. Cedrenus.* λαμβάνουσι δὲ οἱ Ῥωμαῖοι καὶ τὸ τῶν περσῶν τοῦλδον, καὶ τὸ βασιλικὸν σκηνοπήγιον, καὶ πᾶσαν τὴν ἀποσκευὴν ἐπίδοξον οὖσαν, καὶ τοὺς ἐλέφαντας. Auferunt etiam Romani Perſarum tuldum, & regium tentorium, & omnem pretioſum apparatum cum elephantis. *Vno verbo, tuldi nomine impedimenta & apparatus militaris ſignificatur, ſiue is in animatis, ſiue non animatis contineatur.*

AD CAPVT V.

Lege Perſica fug. & ignauos non recipi] *Lex iſta par fuit legi Lacedæmoniorum, apud quos oportebat aut vincere, aut mori: non dabatur tertium: erantq́; fugitores infames tota vita. Notum eſt illud Lacænæ fœminæ, ſcutum filio militatum abituro tradentis,* ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, *aut hoc (ſubaudi ſaluum ipſe ſaluus, & victor referas) aut ſuper hoc (ſubaudi mortuus ex acie efferaris.) Vnde & illud vt breuiſsimum,*

mum, ita pulcherrimum epitaphium Simonidis in trecentos Lacedamonios, qui in Thermopylis occiderunt.

Ὦ ξεῖν' ἄγγελλον λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε
Κείμεθα, τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις.

Dic hospes Spartæ, nos te hîc vidisse iacentes,
Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Cic. 1. Tusculana recitauit, & latinè expreßit iisdem numeris.

AD CAPVT VI.

Immo verò Leonid. magnan. aut Callimach. aut Cynægirus] *Magnus & excelsus animus Leonidæ ducis Lacedæmonij vel ex illo eius dicto perspici potest, quod est relatum à Cicerone 1. Tuscul. Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti Lacedæmonij: hodie apud inferos fortasse cœnabimus. Quod apophthegma apud Plutarchum sic refertur.* τοῖς δὲ στρατιώταις παρήγγελλεν ἀριστοποιεῖσθαι, ὡς ἐν ᾅδου δειπνοποιησομένους. Monuit milites prandere, tanquam apud inferos cœnaturos. *Callimachus, vt scribit Herodotus lib. 6. duce Miltiade aduersus Medos, siue Persas in dextro cornu curauit, & egregia nauata opera occubuit. Nisi fortè Simocatta alium ab hoc intelligat. De Cynægiro sic lego apud Iustinum lib. 2. Cynægiri quoque militis Atheniensis gloria magnis scriptorum laudibus celebrata est: qui post prælij innumeras cædes, cum fugientes hostes ad naues egisset, onustam nauem dextera tenuit, nec prius dimisit, quàm manum amitteret: tum quoque amputata dextera, nauem sinistra comprehendit: quam & ipsam cum amisisset, ad postremum morsu nauem detinuit. Tantam in eo virtutem fuisse, vt non tot cædibus fatigatus, non duabus manibus amißis victus, truncus ad postremum, & veluti rabida fera dentibus dimicauerit. Meminerunt eius præterea Herodotus, Pausanias, Valerius, Suetonius. Ammianus lib. 26. eum, & Callimachum vocat Medorum fulmina.*

Satis illi ad gloriam, si Rom. nominemus] *Magna in hoc nomine fuit olim dignitas, propter maiestatem & mores pop. Rom. videlicet, fuitq́ nomen auctoritatis, virtutis, nobilitatis, securitatis denique. Proinde non ineptè Simocatta hoc vnum nomen illi ad gloriam satis fore. Cic. Verrin. 5. Tolle hanc spem, tolle hoc præsidium ciuibus*

Romanis: constitue nihil esse opis in hac voce, ciuis Romanus sum: posse impunè Prætorem, aut alium quemlibet supplicium quod velit, in eum constituere, qui se ciuem Romanum esse dicat (quod quis ignoret?) iam omnia regna, iam omnes liberas ciuitates, iam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maximè patuit, ciuibus Romanis ista defensione præcluseris. C. Mucius apud Liuium lib. 2. & facere, & pati fortia, Romanum est.

Vt Rom. lancem leuem, Persas deuergentem] *Existimabant antiqui illi, res mortalium à Ioue velut libra quadam pensitari. Hinc à poëtis dicitur ὑψίζυγος, vt qui ex alto cœlo omnia libret ac ponderet. Itaque Virgilius 12. Aeneid. ex ea opinione Iouem Aeneæ, & Turni armis concurrentium fata examinantem inducit his versibus.*

> *Iupiter ipse duas æquato examine lances*
> *Sustinet, & fata imponit diuersa duorum:*
> *Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum.*

Facit hoc idem apud Homerum Iliad. 10. de fatis Achillis & Hectoris, vnde noster poëta sumpsit. Sumpsit etiam Simocatta, Homeri perstudiosus. Et quoniam data est occasio, libet apponere descriptionem trutinæ, seu libræ perelegantem ex Dionysio Lambino, Commentar. in Satyram 3. Horat. lib. 1. Quod eo libentius faciam, quia plerique de ea loqui nesciunt, vt vel nunc discant.

Trutina nomen est latinum, à græco τρυτάνη ductum: quod significat eam libre partem, per quam horsum & illorsum vergit lingula, seu examen: ansam appellant Latini, nomine translato. Sunt enim hæ libræ, seu bilancis partes. Trutina, tracta, & paulum deflexa à Græco nomine τρυτάνη. Quod nomen à verbo τρύεσθαι dictum est, hoc est, fatigari, & laborare. Examen, quod est lingula, quæ cum in neutram partem inclinatur; sed medio ansæ puncto respondet, fit ἰσοῤῥοπία, id est, æquamentum, seu æquilibrium. Iugum, à cuius extremis duobus pendent lances. Lances binæ, quæ à Græcis dicuntur πλάστιγγες, παρὰ τὸ πλάτος, à latitudine: in quarum altera ponitur pondus siue plumbeum, siue æreum: in altera res quæ penditur, seu ponderatur. Pendent autem lances è iugo, singulæ ternis funiculis

niculis ab inferiore parte in tribus punctis pari interuallo inter se distantibus annexæ: à superiore autem, id est, ea, qua iugo funes adhærent, funes in vnum colliguntur & coëunt.

Ne illam Persicam, & inclyt. arund. è latere sibi extrah. parcerent] *Quid tam simile illi facto Epaminondæ ducis Thebanorum clarissimi, de quo M. Tullius epistola ad Luceium lib. 5. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, posteaquam ei percunctanti dictum est, clypeum esse saluum: vt etiam in vulneris dolore æquo animo, & cum laude moreretur.*

AD CAPVT VII.

Domicilia in formam antrorum subter humum] *Instar Troglodytarum videlicet, de quibus Plinius lib. 5. cap. 8. Troglodytæ specus excauant. Hæ illis domus, victus serpentium carnes, stridorque, non vox: adeo sermonis commercio carent.*

Ad seruilem diem, vt illorum trag.] *Ad conditionem seruilem. Ad reliquum ætatis in seruitute exigendum. Vmbra Polydori in Hecuba Euripidis, matrem miserans,* δούλειον ἦμαρ *nominat.*

φεῦ ὦ μῆτερ, ἥτις ἐκ τυραννικῶν δόμων
Δούλειον ἦμαρ εἶδες, ὡς πράσσεις κακῶς,
Ὅσον περ εὖ ποτ'.
O mater, huc prô viua peruenisti, vti
Progenita cum sis regiis è stemmatis,
Indigna ferres seruitutis pondera.
Tam afflicta nunc & misera, quàm florens eras
Quondam ac beata.

AD CAPVT VIII.

Victoria anim. in præterit. firm. constant. conser. nescit.] *Laudat pro M. Marcello Cæsarem Cicero, quia victoriam, natura insolentem ac superbam temperarit. Sed operæ pretium erit locum integrum adscribere. Verùm animum vincere, iracundiam cohibere,*

 victo-

victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico. Quantopere autem sese ista moderatione victores hominum memoriæ commendent, paucis interiectis sequitur. At verò cum aliquid clementer, mansuetè, iustè, moderatè, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, & in victoria, quæ natura insolens, & superba est, aut audimus, aut legimus, quo studio incendimur? non modò in gestis rebus, sed etiam in fictis, vt eos sæpe quos nunquam vidimus diligamus.

AD CAPVT IX.

Immensus pauor ad fug. ratione carentem] *Paræmia est,* πολλὰ κενὰ τοῦ πολέμου, multa belli inania. *Locum habet de inani suspicione, aut pauore sine caussa oborto, quem Græci vocant* πανικὸν: *& consueuerunt huiuscemodi pauores Panici in bellis plerumque accidere. Occurrit locus ex lib. 4. Curtij. Alexandri exercitum pauor, cuius caussa non suberat, inuasit: quippe lymphati trepidare cœperunt, omnium pectora occulto metu percurrente. Præcipit autem Onosander in Strategico, cap. 13. si quando pauor aliquis aut metus exercitum inuasit, vel quia noua sociorum accessione hostium numerus accreuit, vel quia potior quodammodo genius illorum videtur, tum maximè imperatorem hilarem, lætum, ac intrepidum vultum militibus ostendere. Nam ad Imperatoris aspectum quasi ad exemplum cæterorum animi conformantur. Et magnanimi hilarisque ducis copiæ confidentiores sunt: nempe, quasi nihil sit periculi. Contrà, si pauidus ille ac mœstus appareat, animos simul abiiciunt, veluti maiore quadam calamitate impendente. Quid sint panica & panici terrores, vide Miscellan. Politiani, cap. 28.*

Latinorum illa confus. & perturb. fuga] *Quia Græcos semper Romanos nominat, Romani autem fuerunt Latini, videtur* συνωνυμίᾳ *vti voluisse: & ad imperium latinum, quod tum penes Græcos erat, non ad locum, neque ad gentem respexisse. Liberum esse in appellationibus hunc historicum in vestibulo huius voluminis lectorem monuimus.*

AD

AD CAPVT X.

Qui fluuius à Septentrionali plaga] *De hoc flumine Plinius lib.6.cap.27. Oritur, inquit, in regione maioris Armeniæ, fonte conspicuo in planitie: concitatus, à celeritate tigris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam. Influit lacum Arethusam, omnia illata pondera sustinentem, & nitram nebulis exhalantem. Vnum ei genus piscium est, idq́; transcurrentis non miscetur alueo: sic nec è Tigri pisces in lacum transnatant. Fertur autem & cursu & colore dissimilis: transuectusq́; occurrente Tauro monte in specum mergitur. Subterq́; lapsus, à latere altero eius erumpit, eundemq́; esse manifestum est, quod demersa perfert, &c. Strabo lib.11. dicit in alium lacum influere, cui nomen Arsanias, & cum ei superfluat ob velocitatem, non posse illi commisceri. Postea subterraneis locis subterfluere, & prope Calonitas emergere.*

Ab imbelli, & ad pugnam inutili turba.] *Aelianus de militaribus ordinibus instituendis cap.2. Earum copiarum quæ congregantur ad bella gerenda, pars est ad pugnam apta: pars verò etiam aliqua ad pugnam inutilis. Sed & ista conuocatur, vt alterius partis commoditati inseruiat. Et apta quidem ad pugnam ea est, quæ in acie instructa ad prælium locum tenet, & armis hosti resistit. Ad pugnas autem inutilis est reliqua omnis multitudo medicorum, mercatorum, cauponum, lixarum, calonum, & eorum omnium, qui, vt aliqua ministeria obeant, sequuntur.*

AD CAPVT XI.

Νηπενθές τ' ἄχολον] *Odyssea 3. Helena φάρμακον quoddam vino immiscet, ad hilarandum maritum, & hospitem Telemachum, Vlyssis filium. Ab effectu enim, quod mœrorem & luctum animis detraheret, ita vocat poëta.*

AD CAPVT XIV.

Qui æstiuo tempore pro pelago est] *Tam amplus est fluuius, & tot nauigiis, tamq́; magnis nauigatur. D.Basilius Homil.3.in Hexaëm. Nilus neq́; fluuiis naturà similis, cum velut mare Aegyptum*

 operiat,

operiat, & pelagus efficiat. De eo lege Plin. lib. 5. cap. 9. Senecam Natural. Quæst. lib. 6. cap. 8.

Vt aliqua Pythia de nostra segnit. oraculum] *Sacerdos Apollinis apud Delphos, quæ consulentibus Deum respondebat, à πυνθάνεσθαι interrogando, & sciscitando sic appellata est. Strabo lib. 9. oraculum ipsum aiunt esse cauam profundè specum, aditu non admodum lato. Ex ea spiritum efferri, furoris diuini efficacem. Supra orificium tripodem situm sublimem, quo conscenso Pythia, vbi spiritum exceperit, carmine solutaq; oratione sortes ab ea pronuntiari. Porrò poëtas esse quosdam, fani administros, qui prosa oratione edita, in versus numerosq; redigant.*

Virtus arduum quiddam ac sublime] *Seneca lib. de vita beata. Altum quiddam est virtus, excelsum & regale, inuictum, infatigabile. Voluptas humile, seruile, imbecillum, caducum. Silius.*

Explorant aduersa viros, perq; aspera duro
Nititur in laudem virtus interrita cliuo.

AD CAPVT XVI.

Hoc capite singularem, & vix credibilem Græcorum inhumanitatem in ciuem suum obserua: & simul quantum vnius hominis impura libido multis nocuerit. Nec semel illa ciuitatibus, & regnis perniciosa fuit.

AD CAPVT XVII.

Quod prouerb. de lupo. vana enim spe hiauerat] λύκος ἔχανεν lupus hiat, *de re multùm sperata, multumq; appetita, nec adepta; quod lupus prædæ inhians, rictu latè diducto accurrit, & frustratus obambulat hians. Simile,* coruum delusit hiantem.

Νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας] *Quia Mars communis. Victoria nunc horum, nunc illorum est. Atque idcirco ἑτεραλκὴς dicitur.*

* * *

AD CAPVT XVIII.

Quaſi tunicas quaſdam longas è pilis] *Artificium bellicum ad fruſtrandos tormentorum ictus. Molle enim duro non reſiſtit, atque ideo cauari, ac proſterni illa coagmentatio lapidum in mœnibus non poteſt. Docet Lipſius Poliorcet. lib. 5. dialogo 9. balliſtis, catapultis, omnibus telis leuibus coria, cilicia, vela opponi ſolita, quibus eorum vim exciperent ac frangerent, molliter ita ſuſpenſis. Immò & ignita iacula illis repuliſſe. Vegetius lib. 4. cap. 6. Saga ciliciaque intenduntur, quæ impetum excipiant ſagittarum. Nec enim facilè tranſeunt ſpicula, quod cedit & fluctuat. Lege cætera.*

Corpore ſimilis Tydeo, animo Hercules ipſus] *De Tydeo Diomedis patre Homerus alicubi,* τυδεὺς μὲν γὰρ ἔην μικρὸς δέμας, ἀλλὰ μαχητής. *Quod in elegia quadam Ouidius ſic eſt interpretatus.*

Vtilior Tydeus, qui, ſi quid credis Homero,
Ingenio pugnax, corpore paruus erat.

Herculis nomen fortitudinis & roboris nomen eſt, propter omnibus notiſsima illius certamina, ad quæ viribus maximis, & ſummo animi robore opus fuit.

Quemadmodum Polypus cum quippiam cirris] *Polypus piſcis quidquid brachiorum flagellis nactus fuerit, arctiſsimè retinet. Hinc Plaut. Aulularia.* Ego iſtos noui Polypos, qui vbi quidquid tetigerint, tenent. *Plin. lib. 9. cap. 29. Polyporum multa genera. Terreni maiores quàm Pelagij; omnes brachiis vt pedibus ac manibus vtuntur, &c. Cæterùm per brachia velut acetabulis diſperſis, hauſtu quodam adhæreſcunt, tenent ſupini, vt auelli non queant, &c.*

IN LIBRVM TERTIVM

AD CAPVT I.

VT de demenso, siue annon. milit. quarta pars detrah.] *Auaritia Mauricij, quæ quantas turbas excitarit, ex sequentibus patet. Quin alia res præter auaritiam nulla ei exitium videtur peperisse. Quamuis præcipuum illius in hoc genere facinus, de captiuorum XII. millibus paruo pretio non redemptis, & ita barbaro ad trucidandum relictis, Simocatta non commemorat.*

Quod cum Priscus facere omitteret] *De fastu Prisci, & direptione eius tabernaculi, deq; Germano in illius locum suffecto, de quibus hoc & sequenti capite Simocatta, agit Euagrius lib. 6. cap. 4. & 5.*

Sacrosanctam imag. lapid. appeteret] *Considera, obsecro, quo furor militaris euadat, & quàm verè dicatur, miles impius. De populo insaniente aduersum magistratus dictum à Marone, 1. Æneid.* iamque faces, & saxa volant, furor arma ministrat. *Nostri milites hæretici sacras imagines etiam ferro concidere, & ignibus iniicere non metuunt. Maiores itaque progressus impietatis, & sacrilegiorum habent.*

AD CAPVT IV.

Quæ patria nostra voce banda dicuntur] *Suidas.* οὕτω καὶ λέγουσι Ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον τὸ ἐν πολέμῳ. Sic vocant Romani signum militare, *vexillum nimirum. In veteri Glossario bandum, exponitur* σίγνον. *Inde* βανδοφόρος ὁ τὸ σημεῖον τοῦ βάνδου βαστάζων, vexillifer. *Victis hostibus banda quoq; illorum capiebantur. Cedrenus.* οἱ δὲ Ῥωμαῖοι πέμπουσι πρὸς τὸν βασιλέα τὰ περσικὰ λάφυρα, καὶ τοὺς ζωγρηθέντας ἅπαντας σὺν τοῖς βάνδοις. Romani mittunt ad Imperatorem spolia Persica, & captiuos, vnà cum bandis. *Banda etiam* τάγματα *significant. Exponitur item in veteri glossario* κουστωδία. *Plura Rigaltius in Glossario* τακτικῷ ἑλληνικοβαρβάρῳ.

AD CAPVT V.

Gregorius Antiochen. Episcop. cum in gratiam] *Imperator Andream, satellitum suorum facilè principem misit, persuasurum exercitui, vt duces manipulares, & alios præfectos, quos ante habuerat, admitterent. Quem cùm illi reiicerent, Gregorius Episcopus Antiochenus flexis humi genibus, & longa oratione ad Philippicum recipiendum commouit. Quæ omnia disertè apud Euagrium, & copiosè narrantur lib.6.cap.10.11.12.*

Fraudis architectus quidam Sittas] *De prodita & à Persis capta Martyropoli, & ad eam recipiendam irrito Romanorum conatu, demiror adeò breuiter egisse Simocattam. Longè fusius & explicatius Euagrius libro toties iam nominato, cap.13.*

Meboden Surinæ filium] *Post hæc verba sequebantur in græco,* ἀξιώματα δὲ ταῦτα παρὰ πέρσαις πρεσβεύονται, dignitates autem huiusmodi à Persis suspiciuntur, *quia ad sensum nihil faciunt, & videntur quædam omissa, vnde ista pendebant, putaui inducenda.*

Gladios inauratos, tiaras, cingula gemmis] *Proprium barbarorum luxuriare in auro, argento, & gemmis. Quò respexit Virgil. 2. Aeneid.* barbarico postes auro spoliisque superbi. *Curtius lib.3. in descriptione agminis Persici aduersus Macedonas procedentis. Ignis, quem ipsi sacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur, magi proximi patrium carmen canebant. Magos trecenti & sexaginta quinque iuuenes sequebantur, puniceis amiculis velati, &c. Locus est longior, quem ipse leges. Idem lib. 9. de Sophite rege quodam Indo. Cum subitò patefacta porta rex Indus cum duobus adultis filiis occurrit, multum inter omnes barbaros eminens corporis specie. Vestis erat auro purpuraq; distincta, quæ etiam crura velabat. Aureis soleis inseruerat gemmas. Lacerti quoq; & brachia margaritis ornata erant. Pendebant & auribus insignes candore ac magnitudine lapilli. Baculum aureum berylli distinguebant. Lib.4.cap.3. describitur ornatus Hormisdæ, throno regio insidentis. Cum Annibali hospiti Antiochus rex exercitum suum barbarico apparatu magnificè instructum ostendisset, rogauit, num puta-*

ret hæc omnia satis fore Romanis. Tum Annibal, planè satis, si vel auarissimi sint. Rex de prælio sciscitabatur, hîc de præda respondit. Quid enim aliud est miles imbellis auro argento, cæterisq; rebus ad prædam inuitantibus instructus?

AD CAPVT VIII.

Vestes muliebres in pretium contracti dedecoris] *Imbellia, timiditas, mollitia fœminarum est, non virorum. Quare vestis muliebris ignauo ac timido militi, tanquam mulieri magis, quàm viro danda est in præmium. Tales apud Homerum Iliad. 2. Thersites vocat* πέπονες, ἀχαιΐδες, οὐκέτ' ἀχαιοί. Pepones, Achiuas, non Achiuos. *Et Numanus apud Maronem lib. 9. in Troianos idem iactat conuitium,* ô verè Phrygiæ, neque enim Phryges. *Xerxes Artemisiæ, à quo bello nauali aduersus Græcos adiutus fuerat, & in quo eiusdem reginæ duces ignauiores extiterant, cum ipsa pugnasset strenuè, hanc laudẽ tribuit.* οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασι μοι γυναῖκες, αἱ δὲ γυναῖκες ἄνδρες. Viri fuerũt mihi mulieres, & mulieres viri. *Auctor Herodot. lib. 8. Testatur idem historicus, apud Persas grauissimæ contumeliæ loco habitum, si quis fœmina mollior vocaretur. Vide quæ in Symbolis Virgilianis in locum suprà adductum notauimus. In Lycia, vt traditum est à Plutarcho in consolat. ad Apollonium, affines & propinqui in funere muliebres vestes induebant, vt eam deformitatem pertæsi, citius à lacrymis & luctu abstinerent.*

Non filium Chosroæ, sed filiam] *Qui dicit quæ vult, audiet sæpe quæ non vult. Quanquam Hormisda fecit potius, quam dixit contumeliam: cui Varamus vicissim animum imbellem, & effæminatum exprobrat, dum eum filiam, nõ filium Chosroæ appellat. Lepidum est illud in facetiarum exemplis apud M. Tullium 2. de Orat. Cum Sex. Titius se Cassandram esse diceret, multos, inquit Antonius, possum tuos Aiaces Oileios nominare. Nec minus quod infrà sequitur. Cum Q. Opimius consularis, qui adolescens malè audisset, festiuo homini Egilio (qui videretur mollior, nec esset) dixisset.* Quid tu Egilia mea? Quando ad me venis cum tua colo & lana? Non pol, inquit, audeo. Nam me ad famosas vetuit mater accedere.

Imp. clementia populi acclamat. anteuertit]. *Seneca lib. de Clementia. Nullam ex omnibus virtutibus magis homini conuenire scimus, quàm clementiam, cum sit nulla humanior. Nullum tamen clementia ex omnibus magis quàm regem ac principem decet. Mandandum & illud memoriæ, eiusdem, lib. de 4. virtut.* Haud minus turpia sunt principi multa supplicia, quam medico multa funera. *Quam abhorreret à sontibus capite puniendis Mauricius, supra lib. 1. in cap. 11. ex Euagrio docuimus. Ex familiaribus cuidam dicenti Theodosio iuniori, neminem ab eo illorum morte multatum, qui iniurij ei fuissent: vtinam, inquit, eos etiam in vitam reuocare possem, qui iam dudum mortui sunt. Idem ad mortem damnatos ob capitale facinus, si ad portas vrbis nondum ducti peruenissent, dimitti iubebat. Niceph. lib. 14. cap. 3.*

AD CAPVT IX.

Bellum omnium malorum receptaculum] *Detestatus est bellum suprà, cap. vlt. lib. 1. Mebodes Persa legatus. Prouerbium* ὰ πόλεμον ἀγγέλλεις, non bellum annuntias, *de læto nuntio: quoniam bellum res est calamitosissima.*

AD CAPVT XI.

Sub potestat. subiecit] *Vltra quintum mensem obsessam, & nemine resistente captam refert Euagrius lib. 5. cap. 10. Immò à Præfecto proditam. Omnes è ciuitate promiscuè eduxit: quosdam miserandum in modum ibi interfecit: quàm plurimos viuos abduxit: vrbem præsidio communiuit.*

Vitio mentis audacius] *Eiusdem lib. cap. 11. Euagrius Iustinum animi sanitatem amisisse autumat, quia præ nimia insolentia ac superbia casum hunc acerbius, quam pro consuetudine humana tulerit. Simocatta rem mitius interpretatur, qui de Sophiæ litteris, quibus Chosroen ad misericordiam, & induciarum pactionem induxit, nihil dixisse mirum est. Vide Euagrij caput duodecimum.*

Satellitum Imp. Præf. quem excubitorum comitem] *Comites olim dicebantur, qui cum potestate erant, id est, quibus imperij pars mandata erat. Deinde cœpti sunt appellari hoc nomine qui Proconsules, Procuratores in prouincias euntes comitabantur, vel senatus, vel ipsorum magistratuum voluntate ac iudicio, publicorum negotiorum adiutores, atq; administri: quales erant quæstores, legati, scribæ, accensi. Postea Comites dicti sunt Iurisperiti, prouincialium magistratuum assessores, quos magistratus arbitratu suo delectos secum adducebat. In constitutionibus recentiorum Impp. varia pro administratione nomina adduntur. Comes archiatrorum, commerciorum, domesticorum, donorum, metallorum, militum, rerum priuatarum, sacrarum largitionum, sacræ vestis, &c. Vide Brissonium de significat. verborum ad ius pertinentium.*

Nosce qui nuper fueris, & qui in præsenti sis.] *Qualis ex quali factus, ex tenui diues, ex ministro dominus, ex priuato Imperator. A moderatione laudatur Agathocles Siciliæ rex. Memor enim vnde in tam excelsum gradum ascendisset,* miscebat opes, pauperiemque simul. *Sed totum epigramma adscribam ex Ausonio.*

Fama est fictilibus cenasse Agathoclea regem,
Atq; abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis:
Et misceret opes, pauperiemq; simul.
Quærenti caussam, respondit. Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunq; repente
Diues ab exili progrediere loco.

Habet sæpe locum in vita hoc præceptum, & pauci pristinæ sortis & abiectionis, nobilitatem & diuitias adepti meminerunt, incipiuntq; multi insolescere, & præ se alios despicere. Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum, *dixit nescio quis.*

Omnes isti & serui, & filij tui sunt] *Paucos inuenias Principes, qui subiectos ament tanquam filios, paternaq; cura ac sollicitudine eorum commodis prospiciant.* ποιμένας λαῶν pastores populorum *vocat Homerus. Quo satis significat, quid ipsorum officium requirat.*

quirat,& in quo potißimum ſit poſitum. Cur à poëtis ſic vocentur, explicat Philo Hebræorum eloquentißimus, lib. de Ioſeph. In præclarißima illa laudatione Emmanuelis Imp. quam hiſtoriæ ſuæ præfigit Nicephorus Calliſtus, inter cætera ſic habet. Sed nec illud imperio ſuſcepto egiſti, vt te ciues, & ſubditi tui metuerent tantùm: verùm timorem cum charitate temperarent. Proinde cum te homines tui cum admiratione dilexere, quod minus eſſe terribilis, neque arbitrio tuo viuere,& pleraque omnia ſtatuere viderere, tum ipſe eos magis etiam dilexiſti, quibus reuera extitiſti, veluti pater optimus, *quemadmodum ille dixit.*

Matrem tuam (Sophiam Auguſtam) venerare] *Veruntamen mater iſta Sophia ἀσόφως filio ſuo aduerſata eſt, ægrè ferens eum tam multa de theſauris à Iuſtina aggregatis in pauperes diſtribuere. Cuius ſapientißimum,& Chriſtianæ ſpei plenißimum factum ex Gregorio Turonenſi affert Cardinalis Baronius tomo 7. De perſona Tiberij & moribus lege Euagrium lib. 5. cap. 13.*

Qui hoc mihi fecerunt] *Puto velle, quod habet Euagrius. Atque digito magiſtratus demonſtrans: non oportet, inquit, horum conſiliis morem gerere: nam hi me in iſtas, quas cernis, miſerias deduxerunt.*

Si volueris ſum, ſi nolueris non ſum] *Obſcurior eſt horum verborum ſententia. Quare Oedipo ſit opus: ego Dauus ſum. Clara eſſent, ſi à Tiberio dicerentur, cum hac interpunctione.* λέγει οὕτως. ὦ βασιλεῦ, ἐὰν θέλῃς εἰμὶ. ἐὰν μὴ θέλῃς, οὐκ εἰμί. καὶ ὁ βασιλεύς. ὁ θεὸς ὁ ποιήσας, *&c. dicit ei.* O Imperator, ſi volueris, ſum *(ſubaudi Imp. ſucceſſor tuus)* ſi nolueris, non ſum. Tum Imperator, Deus qui fecit, &c. *Tiberium porrò Euagrius ita deſcribit cap. 13. lib. 5. Erat corpore maximè procero & robuſto, & pulchritudinis excellẽtia omnium opinione maiore: adeo, vt non regibus ſolùm & Imperatoribus, ſed omnibus etiam hominibus facile præſtaret. Quod ad animum attinet illum manſuetudo, & benignitas exornarunt. Primo ipſo aſpectu omnes videbatur ad ſe diligendum inuitare. Lege quæ ſequuntur.*

AD CAPVT XII.

Morem tenens, literas ad Perſarum regem mittit] *Lib. 8. cap. 15.*

cap.15.de Phoca. Mense quinto literis scriptis Chosroen de sua inauguratione, Lilio huius tyrannicæ creationis delecto nuntio monet. Sic enim & Romani, & Persæ solent, cum in regiæ dignitatis gradu collocantur. Mitti etiam solebant imagines Augustorum Romam, & in diuersas prouincias imperij Romani, atque ad Principes amicos, appellabanturque laurata, quasi laureata. Multa de his Gregorius Pap. II. ad Leonem Isauricum Imp. Ante Phocam autem imagines huiuscemodi Romam allatæ non sunt. Baron. Annal. tomo 8. ex actis publicis. Allatæ sunt autem Constantinopolim multo ante. Nam Honorius cum Placidiæ sororis suæ maritum Constantium ducem, virtutis & prudentiæ nomine solenni pompa adhibita Augustum appellasset, imaginem eius, vt moris erat, Constantinopolim ad collegam Theodosium misit. Sigon. de imperio occident. lib. 11.

AD CAPVT XIII.

Non est Persarum natura indissolubilis] *Quasi diceret illud Virgilianum, ex Aeneid. 12. mutata vnica voce.*

> *Et nos tela viri, ferrumque haud debile dextra*
> *Spargimus: & nostro sequitur de vulnere sanguis.*

Cenea vnum de Lapithis fabulæ poëtarum narrant vulnerari non potuisse, cùm tamen vulneraret alios. Ouid. 12. Metamorph.

> *Telaque in hunc omnes vnum mittuntque feruntque.*
> *Tela retusa cadunt: manet imperfossus ab omni,*
> *Inque cruentatus Ceneus.*

Memorat Ioannes Petrus Maffæus historiarum Indicarum libris, de quodam dynasta barbaro, habuisse lapidem, cuius erat ea vis, & natura, vt sanguinem quamuis pluribus locis vulnerati cohiberet. Quo vt spoliatus fuit, profluxit vbertim, vt homini mortem afferret. Vulnerari quidem poterat: sed ex vulneribus animam amittere propter virtutem lapidis illius non poterat.

Nec enim equum diuinis honor. colendum] *Equum à Persis pro Deo coli solitum videtur dicere, cum tamen legamus eos soli, quẽ colebant, equum mactare solitos,* ne detur celeri victima tarda Deo, *vt Ouidius ait. Quare amplius de ista veritate quærendum est. Gyraldus de diis gentium syntagmate 17. accuratè religionem, & sacra*

cra Persarum exponens, de equo nihil tradit; vt putem Simocattam hoc loco memoria lapsum, quod non vni scriptori contigit. Aegyptus fortasse, vt alias, sic istam quoq; bestiam diuinis honoribus coluerit.

Vt vestræ appellat. consent.] *Romani dicti sunt à Roma: Roma autem à Romulo: quamuis controuersiam habuerint duo fratres illi, Romámne, an Remam nominarent, de qua Ennius. Quidam scripserunt à ῥώμη dictam hanc vrbem, quasi robustam. Sed Græci malè omnia ad suam linguam reuocant.*

Periculorum contemptores pugna quærit] *Audiamus Euryalum ex Aeneid. 9. & putemus à quouis generoso milite talia nos audire.*

Est hic, est animus lucis contemptor: & istum
Qui vita benè credat emi quò tendis honorem.

En tibi (inquit ad Porsenam Etruscorum regem Romam obsidentem C. Mutius Romanus) vt sentias quàm vile corpus sit iis, qui magnam gloriā petunt, dextramq; accenso ad sacrificium foculo iniicit. Liuius lib. 2. Rectè etiam Catilina in extrema illa concione, quo suos ad fortiter præliandum incendit. Quanta cuiusque animo audacia natura, aut moribus inest, tanta in bello patere solet. Quem neque gloria, neque pericula excitant, nequicquam horrere: timor animi auribus officit. Notauit Eretriensium ignauiam ac timiditatem in armis Themistocles, cum dixit eos similes esse piscium qui vocantur gladioli, & gladium quidem habent, cor non habent. Ita ipsis quoq; non deesse gladium, sed deesse animum.

AD CAPVT XIV.

Oratione hac om. animi ad certam. exardescunt] *Onosander in Strategico postulat Imperatorem siue ducem etiam dicendi peritum. Hinc enim maxima, inquit, præcipuáque in exercitum commoda deriuari puto. Siquidem Imperatoris vehementi concione erecti excitatíque in procinctu milites, ardua quæq; & formidolosa despiciunt, & propositam in laudem victoriamqúe acriter decertando conspirant. An non vides hoc, audita huius ducis oratione à Romanis fieri? Idem. Nulla respub. aut exercitum absque Imp. aut Imp. absq; eloquentia mittat.*

Tulit

Tulit autem ne quis Persar. rex arma Rom.) *Verba Euagrij è cap. 5. lib. 5. apponam. Chosroes autem ingenti doloris cumulo oppressus, animo fracto, & ancipiti cura debilitato languens, crebris denique & variis ægritudinis fluctibus demersus, miserandum in modum interiit, ac legem quam scripsit, ne rex Persarum in posterum contra Romanos arma ferret, velut sempiternum suæ fugæ monumentum post se reliquit.*

AD CAPVT XV.

Aperto capite regi suo indig. conuitiantur] γυμνῇ τῇ κεφαλῇ ἐβλασφήμουν. *Aperto, seu nudo capite quippiam vel facere, vel dicere, est id citra omnem pudorem ac verecundiam agere. Nam qui pudendam rem faciebant, caput operiebant. Socrates apud Platonem in Phædro, amorem vituperaturus, faciem tegit. Plaut. Trinum.* Ipsi tam aperto capite ad lenones eunt, quam in foro aperto capite sontes condemnant reos.

E Prytaneo annonam capiunt] *Prytaneum locus Athenis, in quo publico sumptu victus præbebatur iis, qui bene de repub. essent meriti, aut quos ciuitas honorare vellet. Scholiastes Thucydidis scribit, fuisse domum amplã, vnde annona suppeditaretur ciuibus, quòd ibi sederent οἱ πρυτάνεις, οἱ τῶν ὅλων πραγμάτων διοικηταί. reipub. totius moderatores. Horreum, seu granarium publicum.*

Ob dignitatem Magistri quam gerunt] *Varia sunt genera magistrorum apud iureconsultos. Magistros appellari Paulus scribit, quibus præcipua cura incumbit, & qui magis quàm cæteri diligentiam, & sollicitudinem rebus quibus præsunt, debent. Quin etiam ipsi magistratus per deriuationem à Magistris cognominantur. Vnde etiam cuiuslibet disciplinæ Præceptores Magistri appellantur, à monendo, vel monstrando. Festus verò, magistrare, ait, regere & temperare est: magistrare moderari, vnde non solùm doctores artium; sed etiam pagorum, societatum, virorum, collegiorum, equitum dicuntur quia omnes hi magis cæteris possunt. Vide plura apud Brissonium de significatione verborum ad ius pertinentium. Videndum hîc de quo magistrorum genere loquatur.*

AD

AD CAPVT XVI.

Et quoniam nauigium reipub. animo sincero] *Supra à nobis dictum est de hac metaphora. Sanè etiam Christiana respub. seu Ecclesia Christi, nauis vocatur, cuius primus gubernator institutus est ab eodem Petrus. Eius successores sunt Pontifices Romani. De eadem naui simplex, & tritus iam versiculus, incerto auctore fertur,* Fluctuat, ast nunquam mergitur illa ratis. *Ac melius omnino Ecclesia, quam respublica ciuilis cum naui comparatur, nisi me sententia multùm fallit.*

AD CAPVT XVIII.

Administrationem septem trib. sortitò distrib. esse] *De his septem ordinibus Nicephorus Callistus lib. 18. cap. 30. Apud Medos verò septem populi ordines, res præcipuas expediunt. Et lex antiqua partiri aliter negotia non permittit. Qui enim Arsacidarum ordo dicitur, regnum apud se retinet, & regi diadema imponit. Ordo alius rei militari præest. Alij politia curæ est. Alius controuersias de quopiam, quod arbitro iudice indigeat, inter ambigentes exortas decidit. Quintus populi ordo equites regit. Qui hunc consequitur, tributum à ciuibus & subditis exigit, & regio ærario præest. Septimus regis equos curat, & vestem militarem seruat. Hasce leges in aula regia Darium Hystaspem sacrasse ferunt. Hæc ad verbum descripsi, vt locus Simocattæ ex hoc loco aliquid lucis acciperet: quamuis Nicephorum hoc, vt alia, ex Simocatta hausisse iudicem.*

IN LIBRVM QVARTVM.

AD CAPVT III.

VEste regia, & pretiosa coopert. tiara ex auro] *Lamentabitur paulò post in conuentu procerum Persarum has delicias, & luxum suum. Vsque hodie barbari reges in India istiusmodi rebus gaudent, seseq; auro, & gemmis onerant. Nempe quod illis natura negauit, decus corporis, hoc aliunde petendum putant. Tametsi non omnes*

æquè deformes, quidam etiam oris dignitate, si minus colore, cum nostris Principibus certant. Zenobiam Palmyreorum reginam, mulierem bellicosißimam scriptum reliquit Trebellius, cum ab Aureliano August. in triumpho duceretur, sub gemmarum pondere anhelantem sæpius inter eundum coactam subsistere.

AD CAPVT IV.

Qui paulò antè tanquam Deus adorab.] *Notabile exemplum fortunæ mutabilitatis Hormisdas. Ac profectò satis disertè, quo pacto illa secum egerit, ipsemet hac oratione ostendit. Nec tamen querimonia sua vllam miserationem ex audientibus potest elicere: adeo tyrannis antegressa omnium illi odia conflauerat. Illustre præterea exemplum (vt externa omittam) mutatæ fortunæ & conditionis amplißimæ in miserrimam est Henricus III. Imp. de quo Carolus Sigonius lib. 9. de regno Italiæ in extremo his verbis. Quibus rebus actum de dignitate sua existimans (eò neceßitatis ac miseriæ venit) ab Episcopo Spirensi victum sibi dari apud Spiram in æde Dei genitricis à se constructa petiuit, cùm diceret, se haud inutilem clericum fore, quod & literas calleret, & choro inseruire egregiè posset. Neque id impetrauit. Itaque ad astantes conuersus, suspirans dixit:* misereminimei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. *Atque aliquot post diebus 7. Id. Augusti ingenti dolore confectus, est mortuus, mansitq́; corpus eius insepultum in cella quadam ædis deserta, Pontifice id sepeliri vetante, per annos quinque.*

Qui purpura induebatur] *Satis explicatè & disertè luxum deliciasq́; suas exponit. Persarũ sumptuosum luxuriosumq́; apparatum, vnguenta, odores, coronas, & similia, notauit Horatius Ode vlt. lib. 1. Medorum Xenophon, Cyripædiæ lib. 1. Vbi quæ de Persarum tenuißimo victu narrat, accipienda sunt (vt quidam volunt) de ea ætate, qua Persæ Medorum imperium nondum subegerant. Alioqui putaret quispiam tam hoc verè scriptum à Xenophonte, quàm Cyri patrem Cambysen Persarum regem fuisse. Herodotus item lib. 1. luxum Persicum paucis describit.*

AD CAPVT VI.

In conſpectu patris morte afficitur] *Et filius, & vxor ſpectante Hormiſda patre & marito (quò dolor eſſet acerbior, oculi enim augent dolorem) miſerandum in modum, & immaniter necantur. Pro ſingulari crudelitate huiuſmodi facinus accuſantem Priamum poëta prudentiſſimus induxit 2. Aeneid. vbi Pyrrhus ante ora illius Politen filium interficit.*

At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis
Dij (ſi qua eſt cœlo pietas, quæ talia curet)
Perſoluant grates dignas, & præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere lethum
Feciſti, & patrios fœdaſti funere vultus.

Caligula, vt auctor eſt Tranquillus, cap. 27. parentes filiorum ſupplicijs intereſſe cogebat. Vide quæ ad locum Virgilij in Symbolis noſtris præterea notauimus. Certè etiam Mauricius Imp. vt habet noſter hiſtoricus lib. 8. prius quam iuſſu Phocæ tyranni obtruncetur, necem filiorum ſuorum intueri compellitur. Ponit hoc in magno ſcelere etiam ſacra Scriptura. Eccleſiaſtici cap. 34. Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.

AD CAPVT VII.

Ad menſam panegyricam ſubſeruiunt] *Regum & principum ventri atque abdomini ſtudentium menſas, propter ferculorum multitudinem, varietatē, apparatum, ducta à ſolennibus, & frequentiſſimis ad feſtos dies, aut publicos ludos conuentibus metaphora, panegyricas vocare audet, lepide, & pro ingenio ſuo Gratiarum pleno. Tanta in victu parſimonia Didum Iulianum fuiſſe teſtatur Spartianus, vt per triduum porcellum, per triduum leporem diuideret, ſi quis ei fortè miſiſſet. Sæpe autem nulla exiſtente religione, oleribus, leguminibusq; contentus, ſine cœna cœnaret.*

AD CAPVT VIII.

Arbores veſtes ſuas frondes depoſ. & ſomnia non valent] *Inter coniectores ſomniorum receptum eſt, quæ poſt vina & cibos, quæue repetito ſomno eueniunt inſomnia, quæue fiunt, cum folia ex ar-*

boribus decidunt, ea plerumque vana existimari. Alexand. ab Alex. lib. 3. cap. 26. De somniis autem vanis, hærentibus apud inferos sub foliis, seu frondibus arborum Virgil. 6. Aeneid.

In medio ramos, annosaq́ꝫ brachia pandit
Vlmus opaca, ingens, quam sedem somnia vulgò
Vana tenere ferunt, foliisq́ꝫ sub omnibus hærent.

Vide ibidem Seruium.

AD CAPVT IX.

Duobus oculis mund. vniuers. illustrari] *Duo imperia, Romanum & Persicum non illepidè duos mundi oculos vocat, quibus nihil sit præstantius ac nobilius: sicut inter partes corporis humani nihil est cum oculis conferendum. Quemadmodum enim aliarum partium decus est caput, sic ipsi decus & ornamentum sunt capitis. Alexander Mag. oblatam sibi à Dario partem regni Persici vsque ad flumen Euphraten cum filia in vxorem recusauit accipere, nisi Darius secundus sibi, non par haberi velit. Cæterùm neque mundum posse duobus solibus regi, neque orbem summa duo regna saluo statu terrarum habere, Iustinus lib. 11.*

AD CAPVT X.

Equi gressum vltroneum sequi] *Eadem de re, & de epistola Chosroæ ad Mauricium Euagrius cap. 16. Fugisse autem ait cum vxoribus, & duobus tenellis liberis, & quibusdam Persis nobilibus, qui eum sponte comitabantur.*

AD CAPVT XIV.

Melitenes Præsul Domitianus] *Obuiam Chosroæ missos Domitianū, & Gregorium Episcopos, cū omnibus satellitibus, & exercitu Romano, vt eum quocunq́ꝫ vellet comitarentur, ait Euagrius l. 6. c. 17.*

Alloquio & donis] *Chosroen hospitem pro exule, & pro fugitiuo filium efficit Mauricius: muneribus planè regalibus donat, quibus eum ad se diligendum inuitaret. Nec Mauricius solum tam magnifica dona misit, sed imperatrix etiam erga Chosrois coniuges, & liberi Mauricij erga liberos eius paria benignitatis officia præstiterunt. Euagrius cap. 16.*

IN

IN LIBRVM QVINTVM

AD CAPVT I.

VENERAND. Sergium martyr. qui colit. etiam à barb.] *De hoc scriptum extat in martyrolog. Non. Octob. Passum sub Maximiano, Augustæ Euphratesiæ, cum Baccho. Fuisse nobiles Romanos. Ipsum clauatis cothurnis pedes indutum, cum in fide fixus maneret, iussum decollari. Locum vbi quiescit, vocatū ab eius nomine Sergiopolim. Ob præclara miracula frequenti Christianorum concursu honorari. Si lubet, lege illic annotata à Baronio. Vt autem etiam barbari illum colerent, fecit frequentia Christianorum eius sepulchrum visentium, & miracula quàm plurima, quæ vel immania illa pectora ad eum colendum permouerunt. Sic apud Turcas, aliosq; barbaros Catharina, Ioannes Baptista in honore sunt.*

AD CAPVT III.

Ipsumq; è templo eiicit] *Exemplum libertatis Christianæ in Episcopo, dum locum Deo consecratum ab homine profano, & idololatra non sinit inquinari. D. Chrysostomus, vt est in eius vita à Metaphraste descripta, Gaynæ barbaro, & duci Romanorum, religione Ariano, ab Arcadio Imperatore templum contendente, in quo cum suis Arianis preces factitaret, & sacra obiret, restitit, nec vllis ab eodem Imp. argumentis ad id permittendum flecti potuit. Nec D. Ambrosius Theodosium cæde Thessalonicensium adhuc contaminatum & impiatum, passus est sacram ædem ingredi. S. Ignatius epist. ad Trallianos. Quid enim aliud est Episcopus, quam is qui omni principatu & potestate superior est, & quoad homini licet, pro viribus imitator Christi Dei factus? Sic ille. Atqui etiam Christus, cum fecisset quasi flagellum de funiculis, ementes, & vendentes de templo eiecit.*

AD CAPVT IV.

Propter palud. inform. hostib. inaccessa] *Suidas hæc ipsa verba ex Simocatta recitās,* ἦν δὲ τὸ φρέριον τῷ καταύχμῳ τῆς ὑδρώ-

σεως ἁλῶ τὴν τοῖς πολεμίοις; ſed corruptè, & ſenſu contrario. Vtinā prius vocem κάταυχμον expoſuiſſet. αὐχμὸς eſt quidem ſiccitas; ſed eſt etiā ſqualor. Si pro ſiccitate accipimus κάταυχμον, vt videtur Suidas accepiſſe, quomodo eſt πρὸς πολιορκίαν ἀπρόσιτον?

Nullus veſtrum tergum ſibi concidi patiatur] *Non auerſa, ſed aduerſa vulnera glorioſa ſunt: quia fortitudinem, ſicut illa fugam, arguunt. Inde illud inſigne epitaphium in Thraſybulum Laconem, qui in certamine aduerſus Argiuos ſeptem aduerſis confoſſus vulneribus occubuit, & patrio more ſuper ſcuto ex acie elatus eſt mortuus. Quæ res fortiter eum dimicaſſe, nec de fuga cogitaſſe ſatis ſuperq; indicauit. Recitabo conuerſum ab Auſonio.*

Excipis aduerſo quod pectore vulnera ſeptem,
Arma ſuper veheris quod Thraſybule tua:
Non dolor hic patris, Pitana: ſed gloria maior.
Rarum tam pulchro funere poſſe frui.
Quem poſtquam mæſto ſocij poſuere pheretro,
Talia magnanimus edidit orſa pater.
Flete alios, gnatus lacrymis non indiget vllis,
Eſt meus & talis, & Lacedæmonius.

Laudans Achillem naſciturum Parcis introductis Catullus, Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus.

AD CAPVT V.

Sobria quad. inſania quaſi œſtro perciti] *Græcè eſt, σώφρονι μανίᾳ τινὶ ἐς συμπλοκὴν ἐξοιστρούμενοι. Admodum ἐμφατικῶς dixit. Eſt autem hoc tale, quale illa Græcorum, δῶρον ἄδωρον, νύμφη ἄνυμφος, παρθένος ἀπάρθενος, βίος ἀβίωτος. Et Latinorum, inſepulta ſepultura, inſaniens ſapientia, ars iners, cum tacēt, clamant, &c. quæ Græcis ὀξύμωρα vocantur. Sic enim acutè dicuntur, vt ſtultè, ſeu fatuè dici videantur: quaſi idem de ſeipſo negetur; aut de eodem contrarium affirmetur.*

AD CAPVT IX.

Varamæi cum clam. ac ſtrepitu, Rom. quietè] *Nihil penitus dubito, quin Simocatta, vt eſt φιλόμηρος ad initium 3. Iliados hoc loco reſpiciat, vbi poëta Troianos magno cum clamore ac ſtrepitu,*

pitu, instar gruum per aëra volantium, & clangentium: Græcos contra cum silentio, & absq; omni strepitu, paratis animis ad opem inter se ferendam processisse ad pugnam commemorat. Quibus versibus, qua distinctione eum boni & mali militis differentiam indicare voluisse, auctor est Plutarchus in vita ipsius.

AD CAPVT X.

Pro symbolo salutationem Dei matris] *Nota in hoc capite præsens auxilium, appellatæ tantum Dei matris, ore licet barbaro: sed cum fide & spe magna eorum, qui ipsos hoc symbolum pronuntiare docuerunt. Deus enim, etsi fidem hominum quippiam conantium respicit, tamen eius beneficentia, & misericordia eidem non est alligata. Itaq; sæpe etiam non credentibus, & nescientibus facit bene. Huc aptè conuenit illud Philonis, lib. de sacrificiis Abel, & Cain. Deus cum alicui benefacit, non vtitur eius consilio: sed inexspectata beneficia porrigere solet liberaliter.*

AD CAPVT XII.

Fœminam Golinduchā nomine] *Post magna miracula, quæ ediderit, martyrij coronam assecutā, & eius vitam ab antiquiore, Stephano Hierapolis Episcopo litteris mādatā affirmat Euagr. lib. 6. c. 19.*

Acerbas sub terra pœnas, mag. contra bonor. delicias] *Historiæ de nonnullorum ectasi seu raptu (vt vulgò appellatur) qui pœnas improborum apud inferos, & gaudia cælituum viderunt, non sunt habendæ pro phantasiis, & commentis, vt irrisores quidam dictitant.*

AD CAPVT XIII.

In Romaniam profugere] *Et hac, & quæ capite sequenti ponitur epistola Chosroæ ad S. Sergium martyrem habetur apud Euagrium lib. 6. Sed non satis emendatè cum Eusebio excusæ sunt graecè à Roberto Stephano. Romania à recentiorib. scriptoribus græcis appellatur Græcia Europæa. Aliquādo ab iisdem prouinciæ Asiaticæ Romanorum sic vno & communi nomine dicuntur.*

AD CAPVT XIV.

Ego verò Græcorum sacra colerem] *Siram dicit esse Christianam, sed ἑλλήνα. Sciendum in sacris literis, & SS. Patrum libris*

ἕλλη-

ἕλλωας dici gentiles, siue ethnicos, homines nimirum Christianæ religionis expertes, & simulacrorum cultores, quales Græci fuerunt. Et ἑλλωίζειν stolida & impia persuasione de diis teneri & imbutum esse significat, cui χριστιανίζειν opponitur. Item ἑλλωισμὸς est παιδεία ἑλληνικὴ, seu ἡ ἔξωθεν παιδεία, græca, hoc est, ethnica, sæcularis & extranea eruditio, litteræ profanæ, quibus εὐαγγελικὴ παιδεία opponitur.

Quod fœminis solet, accidere desiit] *Tertullianus lib. de resurrect. carnis, menses sanguinum uberũ tempore vacant. Contra Marcionem vocat tributum sanguinis. Plinius menstruos mulierum cursus. Cessatio huiuscemodi cursus conceptum indicat, & in Sira, de qua sermo est, indicauit. Cur autem palleant grauidæ mulieres cum virore quodam, docet Hippocrates. Quoniam purus illarum sanguis semper quotidie è corpore destillat, & in fœtum descendit, vnde augmentum ei accedit. Cumq́ minuitur sanguis per corpus, necessario pallorem induunt, ac debiliores euadunt.*

Nunquam tu auderes in mag. regem scommata] ὁ βασιλεὺς, & μέγας βασιλεὺς *tituli fuerunt regis Persarum. Minimè autem omnium obiurgari & admoneri se reges patiuntur, tametsi nulli ferè sunt, qui magis obiurgatione & admonitione digna committunt. Proinde apud eos assentatoribus magis, quàm admonitoribus solet esse locus. At Isocrates ad Nicoclem* πιστοὺς ἡγοῦ, μὴ τοὺς πᾶν ὅτι ἂν λέγῃς ἢ ποιῇς ἐπαινοῦντας, ἀλλὰ τοὺς τοῖς ἁμαρτανομένοις ἐπιτιμῶντας. *Fideles existima, non eos, qui omnia & dicta tua, & facta laudarint, sed qui etiã errata & delicta reprehenderint. Lib. I. cap. I. reprehensionemq́, vt magistram optimam blanditiis & assentationibus antepone. Potestas enim admoneri se & condocefieri ægrè patitur. Verba sunt Tiberij ad Mauricium successorem. De admonitione seu obiurgatione notatu dignum, quod ait Plutarchus præceptor morum grauissimus. Remedia quædam principiò mordent, & offendunt, postea sunt iucundissima: ita salubriora monita initio sunt nonnihil amara, correcto postmodum sunt iucundissima.*

AD CAPVT XVI.

Ædes illa ad Pegen] *Hoc templum (quemadmodum in historia Cantacuzeni cap. 17. lib. 2. annotaui) ad fontem Dei matri, eiusdem*

dem monitu, Leo Thrax Imp. excitauit. Locus, seu regio, & ipsa templi structura, & fons iste in medio fermè templi, à Nicephoro describuntur lib. 15. cap. 25. & 26. Idem auctor librum de miraculis ibidem factis composuit.

IN LIBRUM SEXTUM

AD CAPVT I.

EX omnibus his præsagiis Imp. infausta] *Sicut cometæ, ita quoq; alia portenta regibus, & Imperatoribus dira plerumq; minantur. Quare non sine caussa ab iisdem timentur. Virgil. Primum Georgicorum enumeratione complurium prodigiorum concludit, quæ necem Iulij Cæsaris, & bella ciuilia postmodum secuta nuntiarint.*

AD CAPVT II.

Citharam curare, quod arma tract. nesciant] *Nimis multos haberemus citharœdos, si, quicunque arma tractare nesciunt, citharæ se dederent. Sed melius est nihil agere, quàm otiari. Diogenes cum rudem quendam citharœdum omnes vituperarent, solus laudabat. Caussam rogatus, respondit, quod cum talis sit, cithara se non latrocinio exercet. Ita profectò, præstat vel ludicris, quàm malis artibus sese alere, & pilam ludere, si id tibi quæstui sit, quam furari.*

AD CAPVT IX.

Custodiæ quam scultam nominant obliuiscuntur] *Scribendum opinor σκοῦλται, & quia de custodia militari, seu excubitoribus sermo est, suspicor vocem germanicam* Schiltwacht *huius scultæ originem ac parentem esse. Constat enim satis, non latinè tantùm, sed aliarum quoque linguarum vocabula posterioribus præsertim sæculis in sermonem græcum immigrâsse. Certe in hac historia, Italica vox torna torna legitur.*

Oo AD

AD CAPVT X.

Longobard. gentis Principem Alboinum] *Florebant eo tempore (circa annum Domini D. LXVI.) in Pannonia rei militaris atq; armorum gloria Longobardi. Hanc gentem scribit Paulus Diaconus Scandinauiam quandam insulam ad Oceanum aquilonarem incoluisse, indeq́; in continentem Germaniã cum liberis vxoribusq́; profectam, certas ibi sedes ac domicilium posuisse. Post multos inde annos Pannoniam iniisse, quæ ab Hũnis adhuc (qui & Abares dicebantur) incolebatur, atq; eorum auxilio vicinos Gepidas prælio deleuisse. Quo factum est, vt præter cæteros virtutis fama & rerum gestarum gloria antecellerent, tum, cùm Gothi in Italia rerum potirentur. Praerat eis Alboinus Andoini filius, rex iam decimus numeratus, &c. Sigonius de regno Italiæ lib.1. Idem rex Rosimundam Chunimundi Gepidarum regis filiam, quem in prælio interfecerat, in matrimonio habebat, cuius fraude quomodo interfectus sit, vide eundem Sigonium eodem libro.*

AD CAPVT XI.

Affirmant qui histor. nihil faust. ciuitat. portend. quoties monstra] *Diligentes sunt in monstris ac portentis narrandis historiographi, præsertim Liuius; bouem locutum esse, pluisse lapidibus, & similibus, quibus diuinam iram mortalibus prænuntiari, multis exemplis patuit, quæ nôrunt, qui in historiarum lectione operam ac studium consumpserunt. Insigne quoddam prodigium ex 2. Machab. cap. 5. mihi occurrit, quo suprema calamitas Iudæis ab Antiocho rege Syriæ importata, præmonstrabatur. Describitur autem his verbis.* Contigit autem per vniuersam Hierosolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes, armatos, & cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisq; generis loricarum. Quapropter omnes rogabant, in bonum monstra conuerti.

IN LIBRVM SEPTIMVM

AD CAPVT III.

DE ſatellitib. Imp. quem Rom. Scribonem] *Scribones non ſolùm erant chirurgi militum, ſed etiam* δορυφόροι ἀμφὶ τὰ βασίλεια, *vt in lib. 1. cap. 4. docuimus.*

AD CAPVT IV.

Formidabant, ne ſi fug. aſſeq. redinteg. prælium] *Quia tum videlicet fugientibus ex deſperatione creſcit audacia: & cum ſpei nihil ſit, ſumit arma formido, vt ait Vegetius lib. 4. cap. 21. Habetq́ locum Virgil. illud,* Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

AD CAPVT V.

Aqua ſe defici non ſuſtinentes, vino ſitim conſol.] οὐ φέροντος τοίνυν τοῦ ὁπλιτικοῦ τὴν σπάνιν τοῦ ὕδατος, οἴνῳ παραμυθοῦντο τὸ δίψος. *Si milites vino poterant ſolari ſitim, non erat cur aquam requirerent. Et apparet querela ridicula, conqueri deeſſe tibi aquam, cum habeas in promptu vinum. Cur præterea ſequentibus diebus rurſus ſitientes vinum non biberunt? Vnde autem illis vinum, præſertim in tanto errore viarum? Arbitror pro* οἴνῳ *legendum* οὔρῳ*: nam hoc potu in ſumma ſiti militem aliquando vſum legimus. Et tale quid Rabſaces Senacheribi regis Aſſyriorum nuntius Hieroſolymitanis minitabundus prædicit, niſi illi dedant,* vt comedant ſtercora ſua; & bibant vrinam ſuam. *4. Reg. 18. & Iſaiæ 36. Omnino ab* οὔρου *ſcriptum fuiſſe* οὔρῳ *exiſtimo: librarium autem hiſtoriarum imperitum, ac ſimplicem, cum id pro abſurdo duceret,* οὔρῳ *in* οἴνῳ *mutaſſe, miſericordia motum videlicet. Cretenſes obſidione Metelli ad vltimam vſq; penuriam compulſi, ſua iumentorumq́; ſuorum vrina ſitim torſerunt iuſtius dixerim, quam ſuſtentarunt. Quia dum vinci timent, id paſſi ſunt, quod eos ne victor quidem pati coëgiſſet. Valer. lib. lib. 7. ca. 6. Biberũt item vrinam ſuam Chriſtiani, extrema ſitis magnitudine compulſi, vt prodidit memoria Gulielmus Tyrius belli ſacri lib. 8. cap. 7.*

gistratus creuit, vt appellari à Præfectis prætorio non posset. Credidit enim princeps, eos qui ob singularem industriam explorata eorum fide & grauitate ad huius officij magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicaturos esse, pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quàm ipse foret iudicaturus. Vnde autem dictus sit, patet ex Asconio. Veteres, inquit, omnem magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellauerunt. Vnde & prætorium eius tabernaculum dicitur, & in castris porta prætoria, & hodie quoque Præfectus prætorio. Quibus ex verbis perspicuum est, Præfectum prætorio dici eum, qui militibus iis præerat, quos Imperatores in sui custodiam allegerant, &c. Hæc ex libris Iureconsultorum. Vide Brissonium de significat. verborum iuris libro decimo quarto. Simocatta dum coactorem tributorum per orientem facit, non satis proprie videtur hac voce vsus.

AD CAPVT II.

Barbaros adhuc crapulantes opprimunt] *Similiter Cyrus genium ex præda curantes Scythas apud Iustinum libro I. Ita Cyrus traiectis copiis, inquit, cùm aliquantisper in Scythiam processisset, castrametatus est. Dein postera die, simulato metu, quasi refugiens castra deseruisset, ita vini affatim, & ea quæ epulis erant necessaria relinquit. Quod cùm nuntiatum reginæ esset, adolescentulum filium ad insequendum eum cum tertia parte copiarum misit. Cum ventum ad Cyri castra esset, ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad prælium venisset, omißis hostibus insuetos barbaros vino se onerare patitur; priusq́ue Scythæ ebrietate, quàm bello vincuntur. Nam cognitis his Cyrus reuersus per noctem saucios opprimit, omnesq́ue Scythas cum reginæ filio interficit.*

AD CAPVT IV.

Clauis ferreis, quæ Roman. distria] *Quid hoc vocis sit, nusquam reperio. Similes sunt aliæ quædam in hac historia, quarum significata nescias vbi quæras.*

AD

AD CAPVT V.

Ad Dei genit. ædem, quam Blachernas] *Templum hoc à Pulcheria Aug. constructum est in suburbana regione, quæ Blacherne dicebatur. Opus est eius inquit Nicephorus lib.14. cap.2. sacrum Dei genitricis templum, quod Blacherna dicitur, dignum ipsa illa Verbi matre, quod inhabitaret, iudicatum domicilium; sicuti filio eius quod Sapientiæ vocatur. Cuius diuinum tumulum, & sepulchrales fascias inuentas, cum veneratione maxima ibi reposuit. Quomodo autem vestis B. Virginis Constantinopolim peruenerit, sub Leone Imperatore, docet idem libro decimoquinto, capite 24. tametsi vult aliud templum eundem Imper. condidisse, in qua vestem hanc sacram deposuerit.*

Mariæ Virginis, quam Deiparam] *Christus natus est ex virgine, non quod detestanda sit legitima commixtio: sed quod eiusmodi partus decebat Deum. Decebat namque creatorem non consueto, sed peregrino & admirando vti partu, vtpote omnium opificem. S. Ignatius epistola ad Hieronem diaconum.*

AD CAPVT VII.

Duor. color. cærul. & virid. fact. dedit. pop. multitudo] *Aurigarum, siue agitatorum societates in ludis Circensibus factiones appellabantur. Earum ab initio duæ erant, à vestium coloribus, quibus dum cursitarent induebantur, nomina sortita, Alba scilicet & Rubea, siue Russata: qui cum certatim pedibus, siue curribus insidentes currerent, & magno populo Romano oblectamento erant, & sacra Circensia perficiebant. De quibus Tertullianus. Hæc, inquit, ab initio duo soli fuerunt colores: Albus, & Russeus. Albus hiemi ob niues candidas, Rubeus æstati ob solis ruborem voti erant. Sed postea tam voluptate, quàm superstitione prouecta, Russeum alij Marti, alij Zephyris Album consecrarunt, duobusq; additis, Prasino & Veneto, Prasinum Terræ Matri, vel Verno (ob virorem) Venetum Cœlo & Mari, vel Autumno deuouerunt. Ita ex duabus quatuor factiones factæ, Prasina, Russata, Veneta, & Albata. Hactenus ex Onuphrio de ludis Circensibus lib.2. cap.10.*

AD CAPVT VIII.

Quam Byzantij Ecclesiã mag. vocant] *De Conditoribus templi huius eiusque forma; item quale hodie visatur, lege Petri Gyllij topographiæ Constantinopolitanæ lib. 3. cap. 3. & 4. Huius Ecclesiæ magnæ, id est, Dei Sapientiæ extructæ, miras & magnificas sanè laudes sæpe lego in græcis scriptoribus. Testimonij caussa ponam aliquas. Sophiæ templum cogitationem mentis excedens, & immensum opus, incredibilis forma, sempiternæ aulæ imago, commune hominum, dicam etiam angelorum delectamentum, & spectaculum, hoc diuinum Dei Verbi Sapientiæ palatium. Nicephorus Præfatione historiæ suæ. Illud terrestre cœlum, noua illa Sion, quam construxit ipse Dominus, non homo: gloria illa vniuersi orbis terræ: illud decus Ecclesiarum eminentissimum: illud omnium per orbem terrarum ædificiorum nobilissimum Dei templum. Ex Turcogræcia lib. 1. Longè amplissimum illud, ac diuinissimum Dei Sapientiæ templum, cœlum terrestre, thronus gloriæ Dei, Cherubicum vehiculum, alterum firmamentum, factura manuum Dei, spectaculum, & opus eximium, totius orbis exultatio, illud elegans templum, & elegantibus elegantius. Georgius Protouestiarius, nondum latinè redditus chronographus, in bibliotheca Bauarica.*

AD CAPVT IX.

Marcionistis aggregat] *Marcionem Tertullianus libro de carne Christi, interfectorem veritatis appellat. Mera fuit calumnia hæc populi, furentis in caput Imperatoris sui, Mauricium esse Marcionistam, cum eius fidem Catholicam S. Gregorius Papa sæpe laudet.*

Sic Theodosius Nicæam defertur] *Quæ Nicæa Priscis, hodie Turcis Isnica, vrbs Bithyniæ metropolis, inter omnes huius nominis (amplius enim octo fuerunt, quas Stephanus recenset) præcipua, & ex primo Concilio sub Constantino Magno ibidem celebrato insigne, perpetuumque decus consecuta: Eam describit Gulielmus Tyrius belli sacri lib. 3. cap. 1. Antigoniæ ab initio appellatam accepimus ab*

Antigono Philippi filio, qui eam condidit. Inde à Lysimachi coniuge Nicæam dictam. Sabell. rerum Venetarum libro 5. Decad. 1. vbi eius etiam expugnationem à Christianis factam bello sacro describit.

AD CAPVT X.

Ad tyrannum Calydon. ad centaurum] *A Cedreno eius forma & mores sic describuntur. Statura fuit mediocri, deformis, terribilis aspectu, rubente capillo, superciliis coëuntibus, mento raso, cicatrice in mala notatus, quæ ipso irascente denigrabatur, vinosus, mulierosus, sanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, à miseratione alienus, moribus ferus. De infelicissimis autem sub eius imperio temporibus idem his verbis. Illius ætate omne genus malorum in Romanum imperium exundauit. Nam & hominum, & bestiarum mortua est immensa multitudo, & terra fruges negante, tum fames, tum grauissimæ pestes obortæ sunt, hyemesq́ue fuerunt adeo sæuæ, vt congelauerit mare, ac pisces perierint.*

AD CAPVT XI.

Iustus es dom. & rectum iud. tuum] *Agnoscere peccata sua, & in pœna promerita, eáque inflicta diuinam iustitiam commendare, Christiani planè pectoris est. Memor itaque fuit Mauricius illius Micheæ 7.* Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei: *nec insipienter egit, qui maluit ignominiosissimè, & in tot suorum cædibus etiam sæpius mori, quàm ad futura, & nunquam finienda supplicia reseruari.*

Deinde & ipse amputato capite consumitur] *Placet quasi epiphonema quoddam adscribere verba illustrissimi Cardinalis Baronij Tomo Annal. 8. Ita quidem patefactum est horrendum Dei iudicium aduersus Mauricium Imperatorem, dum de facinore haud pridem perpetrato persoluit pœnam, vt licuit, talionis. Cùm enim ipse passus esset tot millia Christianorum à diro barbaro immanissimè cædi, quos minimo potuisset redimere pretio, reus factus innoxij effusi sanguinis, ipse à tyranno vnà cum insontibus filiis crudelissimè neca-*

tus est, nullo adiuuante, eripiente nemine. Sentiens verò ipse, manum hanc esse Domini porrectam ad vlciscendum, specimen edidit probatissimi Christiani, conficiens sibi ex calice iræ Dei poculum medicinæ, quod sibi prodesset ad peccatorum suorum purgationem, & perfectam salutem animæ consequendam. Nicephorus narrat, legationem ad sanctos viros ab eo missam hoc responsum retulisse. Probat Deus conuersionem tuam, & animæ salutem concedit, teque totamque familiam tuam collocat inter electos: sed imperij cum dedecore iacturam patieris. *Hoc porrò factum intellige, postquam Mauricius scelerum suorum pœnas æternas à Deo metuens, libellos supplices scripsit ad omnes Patriarchas & Monachos in omnia monasteria, vt impetrarent sibi à Deo luere pœnas in hac vita. A quibus autem & quomodo eidem nex ista miserabilis prædicta diuinitus fuerit, vide apud eundem Baronium.*

AD CAPVT XII.

Occisorum corpora fluctib. marinis obiecta] *Capita Mauricij filiorumq; delata in campum iuxta tribunal, ad fœtorem vsq; ibi permansisse, donec Phocas ea auferendi, ac sepeliendi potestatem concessit, à quibusdam est proditum.*

AD CAPVT XIII.

Philippici Hypostrategus] *Quærat aliquis, quæ tũ Philippici fortuna fuerit, cùm tot illustres Phocas è medio tolleret. Cedrenus eum attonso capite sacerdotio initiatum, & sectatum vitam quietam: coniugem quoque ipsius Mauricij sororem idem fecisse narrat Cedrenus.*

AD CAPVT XIV.

De sanguine ex martyris huius, S. Euphemiæ, inquam, corpore stato tempore exsudante, etiam Nicephorus lib. 15. cap. 3. qui tamen addit, hoc fieri solitum non certo aliquo anni tempore: sed pro eo atque Episcopi ipsius vitæ morumque sanctitas ferret. Sic enim fertur, inquit, cum is qui Ecclesiam gubernaret, præclarè viueret, & virtute exorna-

exornatus esset, frequentius miraculum hoc exhibitum esse. Subiicit deinde de odore immenso & naturæ captum, odoresq́ omnes, quos ars humana conficit, supergrediente, qui in sacrario percipiatur, vbi tumulus, & sanctæ martyris reliquiæ asseruentur. In eodem capite à principio templum S. Euphemiæ, & situm eius amœnissimum è regione vrbis describit.

AD CAPVT XV.

Constantinam cum tribus filiabus in priuatam dom. includit] *Eam cum iisdem filiabus post menses octo gladio iussit interfici. Fuerunt igitur necata decem corpora imperatoria, & sex quidem ita abiecta, vt narrat Simocatta. Postea longo interuallo in templum Mamantis martyris illata omnia. In communi eorum monumento hoc legebatur epitaphium, à Cedreno, & Nicephoro relatum, quod quia miserabile, & quam fragili loco stent superbi, egregie indicat, vtraque lingua subiiciemus.*

Ἄδ' ἐγὼ τρισάλαινα, καὶ ἀμφοτέρων βασιλήων,
    Τιβερίου θυγάτηρ, Μαυρικίου τε δάμαρ,
Ἡ πολύπαις βασίλεια, καὶ ἡ δείξασα λοχείῃ,
    Ὡς ἀγαθὸν πλέθει καὶ πολυκοιρανίη,
Κεῖμαι σὺν τεκέεσσι, καὶ ἡμετέρῳ παρακοίτῃ,
    Δήμου ἀτασθαλίῃ, καὶ μανίῃ στρατιῆς.
Τῆς Ἑκάβης ἔτλην πολυχείρονα, τῆς τ' Ἰοκάστης,
    Αἳ αἳ τῆς Νιόβης ἔμπνοός εἰμι νέκυς.
Ναὶ ναὶ τὸν γενέταν, τί μάτην τὰ νέογνα ἔκλειναν,
    Ἀνθρώπων κακίης μηδὲν ἐπιστάμενα;
Ἡμετέροις πετάλοισι κατάσκιος οὐκέτι Ῥώμη,
    Ῥίζα γὰρ ἐκλάσθη Θρηϊκίοις ἀνέμοις.

Induperatorum nimis heu miseranda duorum,
*   Vxor Mauricij, filia Tiberij:*
Quæ demonstraui numerosa splendida prole,
*   Esse etiam multos vtiliter dominos,*
Hîc modo cum natis sita sum, miseróque marito,
*   Stultitia populi, militis & rabie.*

 Dete-

Deteriora tuli Cosseide, siue Iocasta:
Sum Niobæ spirans, prô dolor, effigies.
Sons fuerit genitor: quid natos cædere frustra
Humanæ fraudis nescia corda iuuat?
Non iam Roma meis quæras sub frondibus vmbram,
Nam stirpem turbo dissidit Odrysius.

Romam hîc non occidentalem, sed orientalem, νέαν ῥώμην, nouam Romam, hoc est, Constantinopolim intellige: quam non amplius sub frondibus suis vmbras captaturam dicit, id est, uteri sui Imperatores ac defensores habituram, quoniam Thracius turbo, Phocas Thrax stirpem ipsius, omnes filios videlicet mactatu crudeli eruerit, atque confregerit.

FINIS.

INDEX
IN HISTORIAM MAVRICIANAM.

Mauri-

Sena-

FINIS.

INDEX
ANNOTATIONVM
IN SIMOCATTAM.

Attica

Præfectus

FINIS.

GEORGII PHRANZAE PROTOVESTIARII CHRONICON.

AD LECTOREM.

HABEO nonnulla, erudite Lector, quæ te pro munere meo prius monendum statuo, quam ad Chronicon istuc volutandum aggrediare. Georgius hic Protouestiarius, qua tempore, postremus numerari potest eorum, qui rerum Byzantinarum memoriam prodiderunt. Quanquam Byzantinis etiam Peloponnesiacas adiungit, & in iis non modicam voluminis sui partẽ consumit. Fides illi prompta, & præcipua idcirco tribuenda est, quia quæ exponit, eorum pleraque vidit, egit, omnibus pœne præsens interfuit, multis etiam præfuit. Oppugnationem, propugnationem, expugnationem, direptionem, vastationem, cladem denique & funera τῆς τῶν πόλεων βασιλίδος (vt creberrimè à græcis scriptoribus honoris amplissimi caussa appellatur) vrbis, inquam, regalissimæ Constantinopolis, nemo, quod mihi compertum sit, descripsit dispositius, accuratius, copiosius, credibilius: cui vel soli, vel maximè cum Virgiliano Ænea illa carmina de secundo augustissimi operis paululùm immutata de se vsurpare licet.

Infandum cupitis me nunc renouare dolorem,
Constantini vt opes, & lamentabile regnum
Eruerint Turcæ, quæq́ ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Osmanidûm ipsorum, truculentorumúe Getarum
Temperet à lachrymis?

Multa affert in mediũ nec dum lecta iis, qui legerunt plurima, eaq; ad perspiciendam rerum humanarum varietatem, & inconstantiam tum iucunda, tum vtilia. Non pauca alibi sparsim & frustulatim, & confusè extantia, ipse vno in loco, plenius ac distinctius explanat. Ad scribendum se dedit senecta

ætate, annum agens circiter octogesimum, & conscripsit siue hos Annales, siue istuc Chronicon, siue hanc Historiam (licitum est enim quouis horum nominum hunc Commētarium appellare) anno post Christum natum M.CCCC.LXXVII. post captam Constantinopolim quinto supra vicesimum, in quo etiam desinit. Neque verò sponte sua, sed quorundam virorum nobilium auctoritate & precibus adductus id oneris suscepit.

Opus autem ab auctore suo hunc in modum distributum est. Primo libro de quatuor (tot enim fecit) sex Imperatores Palæologos complectitur, quorū princeps est Michaël, quem Comnenum cognominat (fuerunt quippe Palæologi materno genere Comneni, vt ex initio historiæ apparebit) is, qui Constantinopolim per annos sexaginta, plus minusúe à Latinis obtentam recuperauit. Vltimus illorum sex est Manuel, in quo liber finitur. Secundo res Ioannis filij Manuelis persequitur. Genuit autem Manuel filios senos, Ioannem, Andronicum, Theodorum, Constantinum, Demetrium, Thomam. Tertium fratri & successori Ioannis Constantino dat: quo imperante, & quidem paucissimis annis, Constantinopolis vi & armis deuicta, in Turcarum impiorum ditionem concessit. Quartum, eundemque postremum in dissidiis, & intestinis duorum fratrum Palæologorum, Demetrij puta, & Thomæ bellis in Peloponneso, & Mahometis II. qui Constantinopolim sublegit, fraudibus ac rapinis ibidem describendis potissimum ponit, vniuersamque narrationem paulò supra annum Christi M.CC.LIX. quo Michaël Palæologus imperium iniuit, exorsus, ad annum M.CCCC.LXXVII. producit, atque ita annos minimùm CC.XVIII. comprehendit, tantillo libro, chartis tribus: vtinam verò etiam ita doctis & laboriosis, vt is, de quo istud poëta Veronensis cum admiratione affirmauit.

At enim quoniam scriptor iste παρεκβάσεων seu digressionum refertior est, & earum multæ ad historiam ipsam prorsus nihil pertinēt, quin potius eius grauitati & dignitati officiunt: ac

ac proinde non sine iactura modò, verùm etiam commodè, & vtiliter abesse possunt, consilium fuit, iis prætermissis, totũ corpus (tametsi per se haud ita magnũ) compendio quodam cogere, quæque libro quarto insigniora, magisque memorabilia reperiuntur, ea tanquam accessionem ad ædes cum tertio coniungere, & hac ratione ipsum tertium cumulatiorem efficere. Quem enim, obsecro, secta Mahometana ex Ioannis Cantacuzeni contra eandem sectam orationibus tot paginis descripta & reprehensa delectet? Odio plusquam Vatiniano Mahometismum odit Protouestiarius, atque hoc propter Turcas. Ideo se tenere non potuit, quin repertorem illius, & sanè pluries exagitaret, eius genealogiam, mores, incrementa, dogmata insectaretur. Sed nunc non erat his locus, ait Flaccus. De cometa viso cùm agit, quid illic complura meteora, vt, fulgur, fulmen, tonitru, terræmotum, ipsorum cometarũ generationem, elemẽtorum quoq; rationem, philosophica, inquam, οὐ πάνυ φιλοσόφως explicare attinet? Res suas, easq; minutas sæpe, & quas magnoperè scire nullus cupiat, frequentius, & ambitiosius adducit. Non schisma, & defectionem Græcorum ab Ecclesia Romana (quod tamen toti occidenti est persuasissimum) sed peccata, vt Niniuitarum, aliorumque populorum, & oraculum de Ismaëlitarum (vnde Turcæ sint propagati) imperio augendo, qua de re scriptum est in Genesi, hæc, inquam, in caussa fuisse cur perierint, Latinosque à Græcis potius, quàm Græcos à Latinis desciuisse, longa disputatione contendit. De quatuor monarchiis, etiam ex Prophetis Daniele, & Zacharia fusius differit. Symbolum item Nicænum, secundùm singula verba è scriptura sacra tam noui, quàm veteris Testamenti contextum & conflatum demõstrat. Tandem capita quædam fidei profitetur, quod sollemne fuit ad monachorum ordinem sese aggregantium, in quibus ipsis quædam non Romana, & Catholica cernuntur. Hæc & huius farinæ alia ad historiam nihil facere, lectorique molestiam magis creatura, qui non videt, nihil videt. Porrò quæ libro primo de Osmanidarum Imperatorum origine, succes-

 sione,

ſione, rebus geſtis, de inſula Creta, & aduerſum barbaros propter eam perpetratis diſſeruntur, ac præterea alios quoſdam locos, etſi hiſtoriæ minus proprios, minus tamen ab ea alienos, nec inutiles, & graues reliqui. Nec vereor, ne quis factum hoc meum ſecus interpretetur, qui clariſsimos vtriuſque linguæ hiſtoricos, alioſque ſcriptores egregios ſimiliter ob ſolam longitudinem in epitomas contractos non ignorat, quos in præſentia nominare nihil neceſſe eſt. Quod lib. 3. ex narratione ſenis cuiuſdam de rebus Indicis parum credibilia refert, ſciendum apud Plinium & Diodorum Siculum haberi ſimilia. Adhæc quædam obſcura & intricata, ſcribæ, an auctori vitio danda, detraxi, nullo rerum notabili detrimento, in quorum intelligentia, vt quis diu ſe torqueret, operæpretium non eſt viſum. Prudenter enim Nicetas in veſtibulo, ſeu præfatione operis ſui, qua hiſtoriam eximiè, ſi quiſquam alius, commendauit. *Quidquid enim non apertum eſt, atq; in promptu poſitum, hiſtoria abominatur: quidquid ſimplex & naturale eſt, & intelligentiæ obuium, libenter admittit.* Protoueſtiarius ipſemet vndecim libros Nicephori Gregoræ in ſex prima capita libri primi, quaſi in anguſtiſſimum carcerem nimia propemodum breuitate coarctata compegit. Quæ ipſa capita, quòd erant longiuſcula, nos in multa diduximus: & alioqui in capitum numero longitudineque per totos libros conſtituenda ac definienda noſtro iudicio paruimus. Et quoniam epitomen conficiebamus, adhuc alia quædam omiſimus, cum præſertim inuolutiora eſſent, de quibus ſuo loco. Ter quater libro primo ad ſupplementum pauxillum verborum ex Gregora & Laonico aſperſimus. Atque hîc te, lector, monitum volo, ad ea quæ libro iam nominato traduntur vberius cognoſcenda, lectionem Gregoræ, nec huius tantùm, ſed & Ioannis Cantacuzeni, ſuperiore anno à nobis in latinum conuerſo, multaque aliter, quàm ille narrantis magnoperè profuturum. Vtinam edi in lucem potuiſſet hiſtoria Georgij Pachymerij, quã à Michaëlis Palæologi tyrannide inchoatam, vſque ad Catelanorum ab Andronico defectionem perduxit. Quantum enim

nim ea ipsa Gregoræ profuerit, & nobis ad hæc illuſtrãda prodeſſe potuiſſet, patet ex capitum ſummis, & cuiuſque libri locis memorabilibus à VVolfio excerptis è codice Auguſtano, quem ait alicubi carie confectum, & aliquot foliis paſſim exſectis mutilum eſſe. Quas ob cauſſas conuerti in latinum non potuerit.

Poſſem iam quamuis longus eſſe in exponendis, quæ mihi Protoueſtiarium interpretanti moleſta, tantúmne? immò & perdifficilia occurrerunt. Sed faciam breue, animus enim meminiſſe horret. Non ſcripturam duntaxat codicis, ſed ſermonem etiam mirabiliter deprauatum & corruptum, magniſque toties obſcuritatibus implicitum inueni, vt ad ſenſum eliciendum multa agitatione mentis, & quaſi quibuſdam machinis opus fuerit. Cui rei idoneus teſtis eſſe poterit Iacobus Gretſerus noſter, qui hærentem me, coniecturis ſuis nõ ſemel expediuit, cum ſæpe horas plures συζητοῦντες vnà ſederemus. Nec ſolùm voces portentoſas, veterique Græciæ inauditas, & nuſquam fortaſſe inueniendas, aliaſque immutatas, & truncatas, ſed conſecutionem quoque caſuum, temporum, modorum, quid multis opus eſt? Grammaticam ibi neglectam, aut certè ignoratam perſpicias. Quæ quanquam ita ſunt, nihilominus deſiderium non vulgare res ad cognitionem præclaras in publicum proferendi, me in hoc velut ergaſtulum, & in priſtinum detruſit. Quod in me fuit, quantumque hac prope iam decurſa ætate præſtare potui, id fideliter impigreque à me præſtitum tibi confirmare poſſum. Alius codicem ſinceriorem, ac meliorem nactus, aut etiam cui cum neoteriſmis, barbariſmis, ac ſolœciſmis, & iſtiuſmodi ornamentis orationis, & omnino cum tenebris huiuſmodi palpabilibus arctior conſuetudo, & amicitia diuturnior interceſſit, mea corrigat. Apud æquos rerum æſtimatores ad veniam impetrandam ſatis mihi reor fore, nullam curæ & diligentiæ partem prætermiſiſſe. Vtinam inueniretur, qui Lexicon ἑλληνοβάρβαρον conficeret: magnum vtique ſcriptores Græcorum recentiores legentibus & interpretãtibus lumen præferret,

ferret, apud quos non solùm vocabula multa noua, sed antiquorum etiam notiones, & significata alienata, & detorta videas.

Duo cùm te adhuc monuero, caput istud finiam. Vnum, Græcos initium anni, non vt nos à Ianuario, sed à Septembri ducere, quo tempore, autumnali nimirum, quidam mundum à Deo conditum opinantur. Alterum, nos anno mundi annum Christi semper adscripsisse, quoties vel in contextu, vel in margine à lectore quopiam adscriptum reperimus. Ex quo curiosior qui fuerit, sibi eundem ratiocinando deducere poterit, vbi adscriptum non reperiet. De perpetua autem adscripti veritate nihil affirmo, præsertim cum annos alij aliter digerant. Cæterùm annos ab orbe condito longè plures Græci, quam Latini faciunt, vt videbis, nec ea de re mihi nunc disputandum censeo. Annos item Paleologorum alij aliter numerant, ac digerunt.

De auctore, ex scriptis eius.

GEorgius Phranzes Byzantij, loco nobili natus est, Imperatore Manuele Paleologo, Ioannis F. anno mundi, vt Græci numerant 6909. die Augusti mensis tricesimo. E sacro fonte susceptus est à Thomaide religiosissima fœmina, cuius vitam lib. 2. percurrit. Manuelis primùm puer honorarius, postea Cubicularius, & Secretarius fuit; eidem perfamiliaris & dilectus, quem proinde sub mortem Ioanni filio & successori præ cæteris ministris vt fidelissimum commendauit. Dilexit eundem deinde etiam Ioannes, & ab se disiungi ægrè passus est. Charissimus tamen extitit Constantino, qui Ioannem fratrem excepit. Omnium eius, etiam intimorum consiliorum particeps, functus est legationibus creberrimis, præfecturas gessit multas: vt vno complectar verbo, prora & puppis, manus eius dextera, vt vulgus loquitur. Quamuis autem homo esset πολιτικώτατος, tamen armorum quoque tractandorum haud imperitum, & spiritus in eo militares animaduertes. Ac tum præsertim periculorum contemptorem animum demon-

demonstrauit, cum obiectu corporis sui Constantinum ad Patras in prælio seruauit, ac pro eo & vulnera excepit, & captus, atque in carcerem teterrimum proiectus, multorum dierum ærumnam fortiter sustinuit. Vxorem habuit è familia imperatoria nobilissimam, Alexij Palæologi Examplaconis, Præfecti Caniclei filiam, nomine Helenam, quæ & Constantinum de sacro fonte suscepit; σνώτεκνον enim eius appellat, quo vocabulo Compatres, & Commatres indicantur. Ex hac tres filios, vnam filiam sustulit. Mortuis autem duobus filiis, & Constantinopoli à Turcis debellata, cum coniuge, & Ioanne filio, & Thamar filia, viro summæ nobilitatis iam desponsa, in hostium potestatem venit. Coniugem postea, ipse liber factus (qua ratione, nusquam commemorat) Adrianopoli redemit. Filia in Saraio Byzantij (quo nomine palatium Principis, aut alioqui amplum ac splendidum ædificium vocatur) vbi in obsequio Sultaninæ scilicet pro pedissequa erat, vt coniicimus, peste extincta est, annos nata quatuordecim, & menses quinque; Ioannem adolescentulum pudicitiam sibi prosternere constantissimè recusantem, Mahometes Sultanus sua manu obtruncârat. Vixit annos quatuordecim, & menses decem. Protouestiarius denique fortunis ereptis, amissa patria & liberis, reliquam ætatem in Peloponneso apud Palæologos contriuit. Quibus insuper à Mahomete euersis, in Italiam venit, Venetias lustrauit: quam vrbem propter cuiusque generis magnificentiam satis laudare & obstupescere nequit. Lustrauit item Romam, exactis ibi diebus sex supra quinquaginta, sanctorumque sepulchra, & sacros cineres veneratus est. Inde in Græciam rediens, cum vxore monachismum est complexus; & quod more fiebat, pro Georgio Gregorium se nominauit; illa se Eupraxiam dixit. In tanta autem rerum necessariarum egestate & ante, & post susceptũ monachatum versatus est, vt ne panis quidem, quod naturæ sufficeret, inueniret. Toto corpore senio & morbis fracto ac debilitato decessit, octogenarius propemodum. Etenim lib. 1. cap. 21. se perscripturum promittit, quæ ab anno mundi

6910. (quo natum affirmare possumus, quando non nisi biduum inter hunc, & præcedentem interfuit, si à Septembri annum nouum inchoari ponamus) vsque ad octogesimum sextum memoranda contigerint. Post quem vnum adhuc, alterumúe in viuis mansisse, non est incredibile. Vir fuit, quod cognosces, πρακτικώτατος, rerum agendarum scientissimus. De tribus autem Imperatoribus, Manuele, Ioanne, Constantino, quibus seruiuit, ita meritus, vt nemo magis.

EXPLICATIO DIGNITATVM, ET OFFICIORVM, ETIAM TVRCICORVM, QVORVM IN HIS LIBRIS FIT MENTIO, EX CVROPALATA & aliis.

PROTOVESTIARIVS regio vestitui præerat. Sæpe rebus maximi momenti adhibebatur, & per eum res haud vulgares gerebantur. Non fuit thesaurarius, seu thesauri præfectus, quia βεστιάριον sit ærarium, seu thesauri repositorium, ταμιεῖον, quod quidam voluerunt, quibus nondum extante Curopalata & aliis, ista dignitatum vocabula adhuc ignota fuerunt: quanquam ne nunc quidem omnia satis nota sunt: quædam etiam ignorari penitus necesse est.

DESPOTA. Hoc nomen Imperatori, filiis eius, fratribus, & generis tribuebatur generatim. Propriè ab Imperatoria maiestate secundus sic dicebatur, qui in Galliis olim Maior domus. Græcorum Impp. exemplo se quoque Despotas vicini Principes, & vxores Despœnas appellari voluerũt, præsertim Bulgari & Seruij.

MAGNVS DOMESTICVS. Varia huius officia apud Curopalatam videas licet. Nomen Domestici ad plures digni-

gnitates pertinebat, quæ adiuncto discernebantur. Domesticus mensæ, Domesticus regionum, Domesticus scholarum, &c. Magni autem Domestici præcipuum fuisse munus, nomen ipsum Magnus declarat: quale est hodie Præfectorum aulæ, aut si quod est in aula officium insignius.

SVLTANVS est Dominus seu Princeps, quem penes est vniuersum imperium, & rex regum. Mahometo II. hunc titulum Laonicus tribuit libro nono. Itali in quotidianis sermonibus Turcarum Principem il gran Signor vocant. Græcis recentioribus est Aphentis, vel megàs Aphentis, veteri vocabulo nonnihil corrupto, quod est αὐθέντης, de quo infra. Apud Persas & Tartaros reges & Principes etiam minorum gentium Chanes dicuntur, Kerai Chanes, Kriuski Chan, Precop Chan. Maximus autem Tartarorum Chan, cui subiecti Chanes cæteri, propter excellentiam qua cunctis præstat Vlu Chan, hic est magnus, vel potius excelsus Chan nominatur.

MAGNVS CONTOSTAVLVS. Comes stabuli. Vbi, si stabulum pro equili accipias, erit Comes stabuli, vel qui præest omnibus copiis equestribus: vel qui præest equitatui Imperatoris aulico. Apud recentiores Græcos est dux copiarum auxiliarium, quæ ex Gallia, Sicilia, Italia factura stipendia orientem petebant.

CÆSAR. Dum Imperator βασιλεὺς, σεβαστὸς, καῖσαρ dictus est, vno eodemque hos omnes titulos obtinente, dignitates officiis, non titulis æstimatę sunt. Posteà verò Imperatores luserũt titulis, & honoraria dignitatum nomina impertiti sunt, sine officiis, arbitratu suo. Ac primum quidem secundus ab Imp. Cæsar fuit appellatus (vt hodie rex Romanorum est in occidentali imperio) & obtinuit hoc ad Alexium Comnenum vsque. Postea Sebastocrator secundus ab Imp. & Cæsar tertius esse cœpit, cum Alexius Comnenus Isaacium fratrem diceret Sebastocratorà. Postremò Despotes, siue Dominus ab Imp. secundus esse cœpit Alexius Palæologus, cum idem

Alexius Comnenus filiis maribus carẽs Irenen filiam primogenitam ei deſpõdit,eumq; titulo Deſpotæ ornauit, futurum nempe hæredem imperij,niſi prius morte ſublatus eſſet.

ΑΥΘΕΝΤΗΣ,& αὐθεντόπωλος idem ſunt,nec aliud quàm Dominum ſignificant. Heſychio eſt ἐξουσιαστὸς, qui pro arbitrio & auctoritate ſua quiduis agendi poteſtatẽ habet.Budæo αὐτόχειρ, αὐτουργὸς ἐπιστάτης.

CHARTOPHYLAX, Præfectus chartis,qui tabulas habet chartaceas,ad iura Eccleſiæ pertinẽtes, chartarum cuſtos, qui priuilegia & ſimilia aſſeruat,Præfectus ſcriniorum, iudex idem cauſſarum eccleſiaſticarum, & quæſtionũ matrimonialium,defenſor in clericorum cauſſis,veluti manus ſummi ſacerdotis dextera. Hinc μέγας χαρτοφύλαξ.

MAGNVS DVX. Quemadmodum Magnus Domeſticus Princeps & caput eſt ad vniuerſum foſſatum (exercitum terreſtrem) ſic etiam hic ad vniuerſum mare. Habet ſubiectos ſibi Mag. Drungarium claſſis, Ameralium,&c. Vide Curopalatam.

PROTOSTRATOR abſente magno Domeſtico fert Imperatoris ſpatham. Cùm itaque Imperator eſt conſcenſurus equum,Comite equorum Imperatoris adducente,& tenente equum, poſtquam aſcendit Imp. Protoſtrator prehendens frœno deducit equum ad quartam, aut quintam vſque portam aulæ palatij. Deinde recipiens eum Mag. Chartularius, deducit frœno ad portam vſque aulæ. Plura Curopalata.

LOGOTHETA. Cancellarium vocari Latinis, qui Græcis λογοθέτης, ait Nicetas. A quibuſdam exponitur magiſter rationum, qui expenſas & reditus computat : Oeconomus ſiue Procurator, quod magnum erat officium & politicum.

AMERAS. Emir cognominatus eſt Soleimanes primogenitus Baiazetæ Gilderunis, ſiue Lælapis, auctoritatis maioris gratia. Emires enim appellati ſunt Præſides ac propagatores imperij Mahometis, quaſi ſuperiores(Gulielmus enim Tyrius

rius Satrapas, ſeu principes maiores interpretatur) quos Græci Amires, & Amiradas vocarunt, de quibus non rectè Ameres, vel Amerades, vel Amiratos, vel Admirates, vel Admiraldos fecerunt Beluacenſis, Cedrenus, & alij, nec hodieque nomen iſtuc ipſi Turcarum Sultani aſpernantur.

DESPOENA. Deſpota & Deſpœna eſt quod apud nos, jhr Maieſtet / jhr Durchleucht. Tituli eorum perpetui, quibus tribuuntur, etiamſi κύριοι, aut κύριαι, aut aliis inſuper nominibus ſimul appellentur.

ZELEBIS. Apud Turcas Zelebis ſignificat nobilẽ. Quam vocem eorum monarchæ honoris cauſſa in ſucceſſoribus ſuis nominandis, imitatione Romanorum vſurparunt, quorum ſucceſſores appellabantur Cæſares, & nobiliſſimi Cæſares. Mahometi autem II. & ſucceſſorum filij non Zelebes, ſed Sultani cœpti ſunt nominari, quo nomine ab Agarenis dominus indicatur.

BASSA Turcis eſt caput. Hoc tempore iis primùm datur hoc nomen, qui Vezirum dignitatem obtinent, deinde Beglerbegis. Baſſę præcipui bellorum duces ſunt. Filij Chriſtianorum hodie, vt putatur.

MAGNVS ARCHITRICLINVS FRANCIÆ] Non ipſius regni, ſed regiæ potius in Francia officium ſignificari puto: eius ſcilicet, qui victum regium curat. Germani Kuchelmeiſter vocant.

SEBASTOCRATOR. Quæ huius dignitas fuerit, ſatis poterit intelligi ex his, quæ ſupra de Cæſare dicta ſunt.

VEZIRES ſunt conſiliarij ſecreti, vel arcani. Supremus autem Vezirazem nominatur, quæ dignitas apud Saracenos etiam in vſu, & exiſtimatione præcipua fuit. Cedrenus & alij Protoſymbulum interpretantur.

DRVNGARIVS. Drungus eſt globus. Vopiſcus in Probo. Triumphauit de Germanis & Blemiis, omnium gentium drungos vſque ad quingenarios homines ante triumphum duxit. Vegetius lib. 3. cap. 16. Scire debet dux hoſtium, contra quos drungos, hoc eſt, globos hoſtium quos equites oporteat

 pone-

ponere. Hinc Drungarius Biglæ, Drungarius classis, qui præsunt globis vigilum, & classiariorum.

BEGVS est dominus. Ostendit hoc Beglerbegus, quod interpretantur dominus dominorum.

PROTOSPATHARIVS. Officium fuit in aula Constantinopolitana, cui qui præerant, iudicandi munere fungebantur. Vide plura apud Brissonium de signif. verborum iuris.

COMITES. Quam latè patuerit Comitum dignitas, docebit optimè Brissonius, in eo libro, quem iam nominaui.

PROTOSEBASTVS. Primaugustus latinè, nullam functionem habet, quia non est ministerium, palatio militans: sed dignitas honoraria, quam non ministerij, aut ordinis necessitas facit, sed Imperatoris εὐδοκία.

MAGNVS PROTOSYNGELVS. Per syncopen dictum est syngelos, pro συνάγγελος, nempe (quod hodie magis receptum est) cœnobita. Sed in eis cœnobiis Archimandritæ sunt Abbates seu Patres, Protosyngeli verò senes quique in suo ordine. Ita Scholiastes Curopalatæ.

Ἡγούμενος τῆς σεβασμίας βασιλικῆς. Quid dignitatis fuerit, nondum comperi. Latine reddas, Præfectus venerandæ regiæ.

IANITZARI. Quidam scribunt Genisari, à pago, nomine Saro appellatione deriuata. In Annalibus Turcicis de eorum origine & nomine ita legimus. Fuit & ab Eurenose Bego postulatum, vt in vsum magistratus supremi quintum quodq; mancipium Christianum à suis repeteret, ac Imperatori traderet. Si quis verò nõ quinq;, sed quatuor duntaxat mancipia possideret, vt ab eo singulorum nomine aspri 25. exigerentur, eaque pecunia fisco Imperatoris cederet. Hac nimirum occasione deinceps ille mos inoleuit, vt ex omni mancipiorum numero liberalioris formæ pueri pro Sultano delecti retinerentur: quæ quidem in hunc modum exacta tenerioris ætatis mancipia, deinde ad Imperatoris portam deducta, Murati offerebantur. Is verò pueros in Anatoliam transportatos, inter Turcas distribui iubebat: vt apud eos disciplinæ pariter, ac laboribus assuescerent, & Turcicè discerẽt. Exactis autem duobus

bus apud illos, vel tribus annis, iam ad labores condocefacti, linguæque Turcicæ periti ad Portam reducebantur, Genitzarorum ordinibus adſcribendi. Genitzari verò Turcarum ſclopetarij ſunt, & inde ab illis vſque temporibus nomen hoc Genitzarorum adepti retinent. Quidam aiunt, Ianitzarorum nomen ad notionem reuocatum à ianua deduci, cum Turcicis ianuam aulam dici conſtet, adeoque vulgo notum eſt, aulam Sultani (Romani veteres comitatum Principis appellabant) à Turcicis vocari portam Oſmanicam, quod portę nomē idem eſt fere cum ianua. Sed hi cogitare debebant, Turcis portam dici ſuam Capi, de quo vocabulo deriuari non Ianitzarorum, vel Genitzarorum nomen poteſt, ſed Capiſilarorum. Verum etymon hoc eſt. Genizeri Turcis nouos homines, ſeu nouos milites ſignificat, ſeu latina voce veteri Tyrones, cuius etymi ratio patet ex iis, quæ ex annalibus adduximus. Paulus Iouius lib. de viris bellica virtute illuſtribus, Amurates II. inquit, Othomanniorum primus phalangem peditum inſtituit, imitans veteres Macedonas, quòd equites oppugnandis oppidis parū ſint idonei. Ianitzaros appellauit (ex partibus Chriſtianis ereptum genus) hoc eſt nouę gentis milites. Quos in aula educatos prętoriæ cohortis perpetuos corporis ſui cuſtodes & ſtipatores effecerat. Hi iam ſunt boni ſclopetarij. Summus eorum dux vocatur Aga id eſt baculus. Vide Laonicum etiam lib. 5.

DRVNGARIVS BIGLÆ. βίγλλω ex latino vigiliam appellant Græci recentes. ἡμεροβίγλιον diurnas vigilias. Etiam verbis βιγλέω & βιγλίζειν vtuntur. De Drungario ſupra dictum eſt.

PRÆFECTVS CANICLEI. Curopalata. ἐπὶ τοῦ κανικλείου ὁ συμπένθερος τοῦ βασιλέως ὀχούμενος. *Canicleo ſocer Imperatoris præerat, atque vehebatur.* Erat autem Canicleum arx & monaſterium in vrbe Conſtantinopoli, cuius pręfectura illuſtris admodum, fuitque alterum palatium Conſtantinopoli, quod ſocero Imp. ſi eſſet, honoris ergô dabatur incolendum. Et is coram Imperatore genero vehebatur, nec tenebatur coram eo in pedes procidere, & ire pedibus, vt alij omnes, qui in dignitate erant, Imperatoris beneficio. Ita Scholiaſtes Curopalatæ.

ΜΕΣΑΖΟΝΤΕΣ, mediatores, quorum opera Imperatores vtebantur plurimùm, & qui ab eorum latere pœnè nunquam discedebant. Frequens vocabulū in Cantacuzeni historia, nec rectè exponitur Præfectus aulæ, aut Comes rerum priuatarū: quamuis nos quorundam errorem secuti, ita reddiderimus. Quidam eruditus μεσάζοντες. οἱ μεσῖται intercessores, διοικηταὶ, μεσ-λεδωνοὶ, μεσάζοντες, curatores, qui semper in conspectu regis versantur, iussa eius exequentes. In eandem sententiam Protouestiarius noster lib. 3. Verba sunt Constantini Imperatoris ἐπεὶ χρὴ ποιῆσαι κἀμὲ δύο τῶν ἀρχόντων συμβούλους, ὡς καὶ ὁ βασιλεὺς ὁ ἀδελφός μου εἶχεν, ἵν᾽ ὦσι μετ᾽ ἐμοῦ δι᾽ ὅλην τὴν ἡμέραν ἐν τῷ παλατίῳ, τοῦ προβλέπειν, διορθώνειν, καὶ πράττειν τὰ ἀναγκαῖα δουλείας τε, καὶ ὑποθέσεως τῆς βασιλείας. *Nam me quoq; exemplo fratris mei duos de nobilitate creare consiliarios oportet, qui toto die mecum sint in palatio, qui prouideant, constituant & agant, quæ ad imperij gubernationem spectant.* His verbis τοὺς μεσάζοντες descriptos existimo.

MAGNVS LOGOTHETA. Disponit mandata, & bullas aureas, quæ ab Imp. mittuntur ad Reges, Sultanos, Toparchas. Atq; hoc quidem proprium est magni Logothetæ ministerium. Addunt alij, esse etiam libellorum magistrum, archiui Præfectum, aut tale quippiam. Potest etiam intelligi quem nos vocamus Cancellarium.

MAGNVS STRATOPEDARCHA. Magnus castrorum Præfectus. Est curator earum rerum, quæ exercitui sunt opus, videlicet alimentorum, instrumentorum, & necessariorum omnium. Exponitur etiam princeps exercitus, vt sit idē, quod στρατιάρχης; nam στρατόπεδον aliquando est στρατὸς exercitus.

MAGNVS PRIMICERIVS. Huius duplex est officium, vnum in palatio, alterum in fossato. Sceptrum ab Imper. accipiebat. In fossato caput erat ordinum astantium Imperatori. Cætera ex Curopalata adscribere non libet. Libet autem addere quæ sunt de voce Primicerius apud Brissonium de signifcat. verborum iuris. Primicerius, vt quibusdam videtur, iunctum verbum. Non enim aliud in eo verbo notandum est, quam Primus, reliquum extensionis loco additum est. Itaque

bene

bene Suidas, πριμικήριον interpretatur τὸν πρῶτον τῆς τάξεως. Nam qui in quocunque loco primum ordinem obtinet, primicerius vocatur. Proinde non notariorum tantùm primicerius dicitur, ſed & primicerius fabricæ, primicerius domeſticorũ, protectorum, equitum, menſorum, exceptorum, Auguſtalium, ſcriniorum, deputatorum, ſacri cubiculi, legionum, defenſorum, ſcholæ cantorum. Eadem figura Secundicerius, Tertiocerius dicebatur. Hæc ſtrictim ex Briſſonio.

MAGNVS PROTOPAPA. Sacerdos primus, cuius munus duplex, in cauſſis cognoſcendis, & in Eccleſia procuranda. Secundas à ſummo ſacerdote ſeu Patriarcha obtinebat.

LAMPADARIVS die natali Saluatoris ante Imp. auream diuini cultus ampullam ferebat, cum accenſa lampade. Die palmarum ſimiliter Imper. præcedebat cum lampade, melos quoddam peculiare pſallens.

PRIMICERIVS. Vide ſupra in Magnus Primicerius.

BEGLERBEGVS eſt ἄρχων ἀρχόντων, dominus dominorum, ſeu princeps principum, ſub quo preter gregarios milites Spachij, Subbaſſi, Sangiaci, Begi. Horum primus & maximus eſt Græciæ Beglerbegus, ſub quo ſunt omnes regiones, quas Turca in Europa habet. In Aſia ſex Beglerbegi ſunt. 1. Anatoliæ. 2. Caramaniæ. 3. Amaſiæ & Cappadociæ. 4. Anandulæ ſeu Aladulæ, montium Armeniæ. 5. Meſopotamiæ. 6. Cairi ſeu Ægypti. Beglerbegus ſub ſe triginta Sangialer, aut Sangiacos habet, id eſt, equitum magiſtros. Sub his tricies mille Spachij ſunt: quorum quilibet meret tribus, aut quatuor equis, ſalario CC. ducatorum annuorum. Et omnes ſunt Azanaglan, id eſt, infantes tributarij, ac ſerui magni Principis. Quidam aiunt eorum officium reſpondere Stratopedarchis, & eſſe Generales campi.

SVMMÆ CAPITVM PER LIBROS.

Libri Primi.

I. *Alexij Comneni filiæ neptisq; nuptiæ. Michaëlis Palæologi genus, virtus, gratia. Reus maiestatis, factum iuratus inficiatur. Probandæ innocentiæ ferrum ignitum, & prunas postulat. Recusantur vt crudelia. More Romano interrogari petit.*

II. *Vanitas accusatorum deprehenditur, quam Michaël dato sacramento conuellit. Dignitatem cum auctario recuperat. E Bithynia propter maleuolorum obtrectationes, & metum Imperatoris ad Sultanum Iconiensem perfugit: à quo beneuolè exceptus, Christianis militibus præficitur: quorum impreßione perculsi Scythæ, fugam capessunt. Ab Imp. reuocatus, honoratur, vicißimq; fidelitatem concepto iureiurando spondet.*

III. *Theodorus Imp. moriens, Arsenium Patriarcham, & Muzalonem Protouestiarium filio, & imperio curatores præficit. Hic nobilitati inuidiosus, in ipso templo inter iusta augustalia trucidatur. Arsenius Michaëlem Palæologum sibi collegam ascifcit. Qui ad imperium paulatim prorepit, & Despota legitur.*

IV. *Michaël Augustus salutatur, Arsenius Patriarcha eum, & salutatores anathemate à se percussos absoluit, iusiurandum adigit, suis manibus eidem coronam imponit, tempus imperij definit. De Aetolis, & Epirotis victoria. Peloponnesi Princeps libertatem tribus vrbibus redimit. Quantum eæ Romanis commodarint. Constantinopolis per cuniculum inducto milite, cum cædibus incendiisq; Latinis eripitur.*

V. *Admiratio & lætitia Imperatoris de recepta Constantinopoli. Aguntur Deo gratiæ. Cæsar dux immortali afficitur gloria. Palæologus Imp. spreto iureiurando, & superbia ex succeßibus turgidus, pueri*

puerum Imperatorem pupillum curat excæcari. Patriarchæ ob id dolor, & lamentatio; in reos Ecclesiastica animaduersio: in monasterium secessio.

VI. *Legatio ad Papam de redintegranda concordia Ecclesiarum. Capita concordiæ tria. Ecclesiastici seditionem commouent. Imperator in contumaces animaduertit. Francorum aduersum Byzantios conatus irriti. Insulas aliquot Latini amittunt. Successio Patriarcharum. In Paphlagonia malè pugnatur. Turcæ Romanas prouincias depopulantur, & in satrapias dispertiunt. Liberi Palæologi mares & fœminæ, mors, ætas, imperij spatium, sepultura.*

VII. *Turbæ Andronico ineunte. Ad statum Ecclesiæ in meliorem formam redigendum incumbit. Beco exauctorato, Athanasius patriarchatum capeßit. Episcopi à Michaële stantes, dignitate multantur. Andronicus Ioannem Lascarim luminibus orbum visit, & consolatur. In orientem pergit. Fratrem tyrannidis suspectum, cum sodalitio in vincula contradit. Progenies Andronici. Mores Irenæ Augustæ, ambitiosæ fœminæ.*

VIII. *Turcarum Satrapæ prouincias Asiæ lacerant, in Cheronesum Thraciæ irruunt. Rogerius Latinus pirata, & PicerioteZa cognatus, societate pacta cum Imp. aduersus Turcas, Romanos nihilominus vexant in transitu incredibiliter. Rogerius cum comitibus iussu Michaëlis Imp. trucidatur. Latinorum perfidia, & cum Turcis conspiratio. Michaëlis pugna infelix. Inter hostium duces dißidium, & in partes discesßio.*

IX. *Michaël denuò infeliciter pugnat. Tertio prælio vincit. Athanasio Patriarchæ abdicanti, Ioannes sublegitur. Idem secundùm facienti succedit Niphon, & illi Ioannes Glycys, & huic Gerasimus, & huic Esaias. Terræmotus horribilis. De triremibus nec parandis, nec reficiendis stolidum consilium.*

X. *Michaëlis filij & filiæ. Mors indigna Manuelis minoris natu filij, & subinde ipsius Michaëlis. Auo Andronico nepos arma infert, ad quem Theodorus Marchio, senioris filius impiè deficit. Osmanes Turcarum rex in Bithynia fines suos propagat. Nepos Byzantium auo superstite capit.*

XI. *Cura nepotis super auo. Metochitæ facultates in fiscum reda-*

XVIII.

XVIII. *Andronicus ad Baiazetem cum filio opis caussa transfugit. BaiaZetes discordiis consanguineorum gaudet, copias attribuit. Ioannes cum Manuele filio capitur: vrbs occupatur. Consilium sceleratum BaiaZetis, ad quem Ioannes quoq; & Manuel opem oratum veniunt: tributum & auxilium inter se pollicentur. Vrbe recuperata, Manuel coronatur.*

XIX. *Theodorus Despota apud BaiaZetem de vi accusatur. Atroces minæ. Principes defectionem à Baiazete parturiunt, fœdus ineunt. Bulgariæ tractus occupatur. Sigismundi Imp. ad Ameram Legati. Ameræ factum callidum, aduersus quem sollicitantur à Sigismundo Principes. Nostrorum ad Nicopolim contra Turcas aduersum prælium & clades. ByZantij obsidio.*

XX. *Ioannes Andronici filius apud Ameram vt proditor delatus, Constantinopolim ad patruum fugit. Patruus Italiam, & Franciam ad conquirenda auxilia frustra petit. Mediolanensium Ducis humanitas in illum & liberalitas. Baiazetes Peloponnesum inuadit. Theodorus Despota Spartæ ditionem Rhodiēsibus ex desperatione vendit. Spartanorum in Procuratores Rhodiorum debacchatio. Episcopum pro Principe deligunt, per quem Theodorus restituitur.*

XXI. *Thessalonicam vendit Venetis Andronicus. Obsidio ByZantij soluitur, propter expeditionem Temiris aduersus Baiazetem, & quæ caussa huius. Pax inter Baiazetem & Manuelem. Quo tempore natus sit hic scriptor, vnde, & quousq; historiam perducturus sit. In iis quæ ante se natum, aut se adhuc puerulo contigerint quorum fidem sequatur.*

XXII. *Capitur à Tamberlane Baiazetes cum vxore, filio, nobilibus. Tamberlanes quis fuerit: quales item Scytæ. Historia de Cyro à Tomyri regina obtruncato. Massagetæ quales, & eorum arma.* Παρεκβολὴ *ad narratiunculas de Imperatorum Osmanidarum propagatione, & rebus gestis.*

XXIII. *Comneni Augusti ex fratre filius quare ad barbaros transfugerit. Filiam Ameræ benè dotatam vxorem ducit. Laudatur à multis rebus: omnibus charissimus, vt alter Mahometus. Filium græcis & arabicis disciplinis imbuit. Eius similiter apud omnes auctoritas,*

Hungariæ regem vincit. Valachos irrito conatu inuadit, altera pugna victor abit. Prouinciæ ab eodem subactæ. Ladislaum occidit. Ianitzaros quomodo formarit. Eius summa seueritas & iustitia.

XXXIII. *Vezires adolescenti Mahometi tantum onus totius imperij committendum negant. Eius prudentia militaris, eruditio, lectio historiæ Augustorum Romanorum. Byzantium, & Trapezuntem occupat. Aliis prouinciis & insulis imperium exaggerat. A Rhodo reiicitur. Decem regna, vrbes ducentas subigit. Quinque linguas præter suam nouit. Digreßionis super origine, & rebus gestis Sultanorum Othmanidarum conclusio.*

XXXIV. *Manuel in Peloponneso instaurat Hexamilium, siue Isthmum, aliquando reædificatum à Iustiniano Imp. Promißio narrationis de Creta. Successores Mahometi quomodo regna prouinciasque distribuerint.*

XXXV. *Agareni Hispania egreßi, ex insulis prædas agunt. Cretæ laudes: quam primùm depopulati, postea incassum à Romanis defensam occupant.*

XXXVI. *Cretæ insulæ descriptio. Gnossum, Gortynam, Cydoniam tres præcipuas ciuitates Minos construxit. Apochapsus è Creta profectus, insulas, & Peloponnesum vexat, cui Nicetas patricius cladem apportat.*

XXXVII. *Barbarorum noui motus. A Nicephoro duce Romano longo interuallo in Creta sub iugum mittuntur, & insula recuperatur. Diuisio Romani imperij inter Latinos capta Constantinopoli. Marchio montis ferrati Cretam sortitus, eam Venetis pretio vendit.*

XXXVIII. *Isthmum instaurat Manuel Imp. Eius latitudo, & longitudo. Scriptura in marmore reperta. Pestis in Ponto, & quorundam affinium Protouestiarij funera. Luctus parentum eius. Inauguratio Ioannis filij Manuelis, & nuptiæ cum Sophia Marchionis Montisferrati filia.*

XXXIX. *Manuel prauum consilium auersatur. Ameras honorificè ab eo excipitur. Ad eius animum explorandum legatio Imp. in occidẽtem. Mors Ameræ celatur. Difficilis super ea nuntius Constantino-*

Libri Secundi.

vulneratur. Capitur, in turrim compingitur, vinculis arctatur, habeturq́; pessimè.

V. *Thomais Asiatica mulier Constantinopolim ducta, à sorore Cabasilæ educatur. Cum ea Thessalonicæ monasterium S. Theodoræ incolit. Palæologinæ laus. Cypriani cuiusdam uxor fit monacha, Thomaidi subest, vitam sanctè traducit. Monasterium Cypriani Constantinopoli. Thomais Lemnum abit. Eius & sociarum paupertas Constantinopoli. Augetur ibidem eiusdem exemplo monacharum numerus. Earum disciplina rigida. Thomais in quanta veneratione. Piè moritur.*

VI. *Somnium Protouestiarij, & liberatio à carcere. Qua conditione Patrenses cum Constantino amicitiam pepigerint. Protouestiarius squalore pœnè confectus, humanissimè, & cum multis laudibus à Constantino accipitur, & donatur.*

VII. *Nuntius infaustus de Patra. A Constantino responsum. Constantinus cum fratre Patram tendit. CameniTZæ claues oblatas recusat. Incolæ S. Andreæ eundem augustè venerantur. Factio Metropolitæ vt hostem è superiore loco appetit. Indigenæ sacramento subiectionis ei se adigunt. Protouestiarius oppidi Præfectus renuntiatur.*

VIII. *Protouestiarius cum duobus Turcis Legatis ad Constantinum redit ex itinere. Metropolita Patrensis de re Patrensi certior fieri studens, Naupacto succedit. Protouestiarius ibidem cur diem amplius manserit. A Præfecto vrbis conuenitur, & cum vulpe vulpinatur: qui astus fabella quadam declaratur. A Legatis vino sepultis litteras aufert. Quid responsum ab Amera. A collega vt inutilis, & damnosius reprehenditur.*

IX. *Caroli dynastæ obitus. Sponsalia Thomæ Palæologi cum filia Principis Zachariæ Centurionis. Regina Theodora spiritum finit. Nuptiæ Thomæ. Protouestiarius ad dissidium componendum aduocatur. Capitur, & venditur. Imp. Ameram ab obsidione Thessalonicæ conatus reuocare, surdo canit. Constantinus Patram subigit, Catelani Glarentzam, quam ei vendunt. Legati Ioannis Imp. à Papa redeunt. Protouestiarius Præfectus Patrensis decernitur. Macarius moritur. Eius elogium. Muri Isthmi euertuntur. Patræ pestilentia conflictantur.*

tò de pace Ecclesiarum agit. In diuersorium regificè instructum deducitur.

XVI. *Nauis Patriarchæ deducendo missa. Pompa item, qua Ferrariæ exceptus fuerit. A Pontif. Rom. cum osculo pacis salutatur.*

XVII. *Protouestiarij connubium. Filius eius primogenitus Ioannes. Principum fœminarum interitus. Græcorum à Synodo ex Italia Constantinopolim reditio. Iosephus Patriarcha, & Gardiensium Metropolita in Italia defuncti. Bessario Romæ remanens, Cardinalibus allegitur. Filius alter Protouestiario Alexius, & filia Thamar nascuntur. Demetrius Despota inuitis fratribus, & matre vxorē ducit. Legatio eius ad Imp. super reditu Constantini in Thraciam. Arma in Imp. comparat, Constantinopolim à Turcis adiutus obsidet. Filia eiusdem. Constantinus cum coniuge Constantinopolim petit. In Lemno à Turcis inuaditur. Coniux partu abiecto extinguitur. Filius Protouestiarij tertius, Alexius. Selybria Constantino datur, cui regendæ, & contra insidiatores tuendæ, Protouestiarius mittitur.*

XVIII. *Protostratoris Francopuli Constantinopolim aduentus. Constantinus, Ioannes Imp. Theodorus germani ad pactionem veniunt. Constantinus in Peloponnesum nauigat, Theodorus Constantinopolim: à quo Protouestiario præfectura locorum Peloponnesi defertur. Papæ Legatus ad Imp. Protouestiarij propter bellum regis Hungarorum in Turcas legationes. Marci Episcopi Corinthiorum laudatio. Hungarorum cum Turcis conflictus. Rex à pugna per se conferenda deterretur. Ianci summi ducis animosa pollicitatio. Rex ipse fortissimè præliatur. Cadit. Hungari dissipantur. Virtus IanitZari. Ab Amera honoribus colitur.*

XIX. *Calores maximi. Greg. fit Patriarcha. Filio Protouestiarius beatur, creaturq́; Præfectus Spartani Principatus. Testimonium de ipso Constantini, & præcepta politica. Filia Thomæ LaZaro Seruiæ Despotæ nubit. Ameras Isthmum occupat, Patras igni vastat. Legatio Protouestiarij Constantinopolim. Mors Theodori Despotæ apud Selybriam. Mors filij Protouestiarij. Mors Ioannis Imp. ætas, tempus imperij.*

Libri Tertij.

pes

pes Christianos in occidentem pro corrogandis auxiliis mittatur, si res ita flagitet.

V. *Dantur mandata Protouestiario de nauigatione in Peloponnesum. Denuntiantur aliæ binæ in Cyprum, & Iberiam. Faceta illius propter vxorem excusatio. Imp. responsio humanissima. Dignitatem vicariatus illi promittit, qua Notaras Magnus Dux cedit. De filia Protouestiarij cum Nicolao Melisseno dynasta Peloponnesi coniungenda promissio Imp. De sequestro fratrum in Peloponnesum mittendo anceps Imp. cogitatio. Caussa in Cyprum mittendi Protouestiarij.*

VI. *De Phranze nouis honoribus ornando. Deliberatio eiusdem cum amicis de filiæ connubio. In Peloponnesum & Cyprum abire parat, adiuncto filio duabus de caussis. Fit Magnus Logotheta inuitis æmulis. Mentio honoris eius in literis Imperatoriis facienda. Imeras Adrianopoli contra Byzantium ducit.*

DE EXPVGNATIONE, ET VASTATIONE CONSTANTINOPOLIS.

VII. *Quid mouerit Mahometem ad hanc obsidionem. Propositum tegens, iuxta Asomatum in faucibus castellum construit tribus de caussis. Imperatoris consilium de impedienda ædificatione quare non processerit. Suburbani à Turcis capiuntur. Castellum absoluitur. In eo tres turres: earum latitudo. Præsidium impositum. Exercitus in Peloponnesum ad Despotas ab auxilio ferendo impediendos. Isthmum Turachanes occupat. Magna vtrinque strages. Ad Corinthum, & sinum Messeniacum, & Mantineam progrediens, obuios capit, spoliat, seruitute multat. Matthæus Asanes à Despotis missus, multos interficit. Turachanis filius capitur. Thomas Princeps filio augetur.*

VIII. *Vrbs obsidetur. Turres extra vrbem, & in vicis ante euertuntur. Ibidem latentes quid passi. Apparatus bellicus aduehitur. Aduentus Ameræ, locus tabernaculi, castrorum situs, multitudo nauium, catena portui obtenta. Naues intra catenam hostibus oppositæ, & aliæ auxiliares. Oppugnantium, & resistentium ardor. Magna helepolis diffracta in frusta dissiliens multos necat. Dolor Ameræ.*

rum mœstitia ex tribus caußis. Luminis supra vrbem noctu apparentis duplex augurium. Eiusdem postremò apparentis verum augurium. Halimbassa cur mœrorem simularit foris, cùm gauderet intus. Eius oratio ad Ameram de obsidione relinquenda. Sogambassa contrarium consilium, cum insectatione stultitiæ & inconstantiæ Principum occidentalium. Ameras dicta probat cum voluptate. Galatam, ad Galatæos traiectu ad vrbem tuendam prohibendos custodiam mitti imperat.

XIV. Dolor Halimbassæ de repudiato consilio. Imp. Constantino rem significat, eum à fortunæ mutabilitate ad spem cohortatur. Turcæ ieiunantes, & aqua se expiantes Deum victoriam precantur. Oratio Ameræ ad vltimam impreßionem hortatoria. Voluptates ex Alcorano in prælio cadentibus: viuis, & victoribus duplicatum stipẽdium ac prædam pollicetur. Clamores lætantis exercitus. Supplicationes per vrbem ad Deum cum lachrymis. Oratio Imp. ad fortiter pugnandum, cum laudatione Deiparæ, Constantinopolis, Venetorum, Genuensium.

XV. Fletus Imperatoris & militum, promissa item vtrorumqúe. Vltimum vale inter milites. Imperator, & multi præterea in templo S. Sophiæ Eucharistiam sumunt. Veniam ab omnibus in palatio petit. Lamenta, & lacrymæ ibidem. Obit mœnia: custodias perlustrat. Strepitus extra vrbem, vnde expugnationis initium, circa secundum galli cantum. Cur Ameras belli inexpertos, iuuenes, ac senes primam facere impreßionem iusserit. Feruor pugnantium. Eodem tempore, & hora, terra mariq; vrbs oppugnatur. Christiani præualent. Hostes feßi à suis respirare prohibentur. Audacia ascendentium per præcedentium humeros. In aditu murorum atrox pugna. Theophili Palæologi, & Demetrij Cantacuzeni virtus.

XVI. Imperator milites ad pugnam confirmat. Iustinianus accepto vulnere turpiter à se deficit, & certamine excedit. Ad preces Imp. surdus Galatæ moritur. Chasanis Ianitzari strenuitas. Propugnaculo capto, Turcæ turmatim in muros euadunt. Imperatoris lachrymæ, & obsecratio ad Deum, & milites. Leoni comparatur, sua manu fortiter dimicans. Francisci Toledi, Theophili Palæologi, & Ioannis Dalmatæ virtus, & mors gloriosa. Apud portam S. Romani prima in vrbem irruptio.

XVII.

peditur. Alia itinera. Vxorem pecunia redimit. Turachanes Albanitas Principibus legitimis subiicit. Filius Thomæ nascitur. Protouestiarij filia captiua perit. Prospera eius ad Venetos Legatio. Ameras à Ianco & aliis pellitur.

XXII. *Mortes Principum. Amerissa quare ad Ameram confugerit, qui subdere sibi Seruiam conatur. Loca ab eo vastata & occupata. Corinthus ei traditur. Plura oppida à Thoma Ameræ deduntur. Demetrij filiam vxorem petit. Thomas ad bellum Demetrio faciendum sollicitatur. Quæ oppida illius inuaserit. Discordiæ fraternæ molitorum reprehensio.*

XXIII. *Quæ oppida fratrum alter alterius obsederit, quosq; consiliorum socios habuerit. Albanitarum improbitas, & infidelitas. Inter eos, & Romanos prædationes mutuæ. Turcarum insolentia. Nicolai Melisseni iunioris deploranda conditio. Georgius Raulus vir illustris Demetrio se adiungit. Vota pro pace, & concordia fratrum. Ameras Dei carnifex. Irruptio Turcarum, à quibus Thomas obsidetur. Ad Demetrium amicum Spartam abeunt. Fratres Despotæ pacem sacrificio durante sanciunt, quam Demetrius frangit. Mutua rursum bella.*

XXIV. *Ameras vtrumque Despotam oppugnatum venit. Demetrius cum Sparta capitur. Dicterium Ameræ in captum. Eius filiam ducit: omnia suo arbitratu administrat. Monembasiotæ deditionem detrectant. Eorum virile ac pium responsum, cum laude vrbis vberiore, à natura, à ciuium & magistratuum præstantia, ab honoribus quos ei Imperatores impertiuerint. Priuilegium ab Andronico iuniore.*

XXV. *Ameras Demetrij filiam sibi desponsam mittit Constantinopolim. Bordoniensium primorum timiditas. CastritZensium deditio, & Ameræ perfidia. Leontarim à ciuibus desertam occupat, quos Gordica recepta, quò confugerant, omnes cum vxoribus & liberis interficit. Buchaleorum in Beglerbegum animus ingratissimus. Georgij Palæologi fortuna aduersa. Crocontelus Toparcha se cum duobus filiis dedit. Thomas despota, & eius vxor, & liberi quo loco. Cuiusdam Palæologi misera mors. Ameras vrbes occupat: Peloponneso excedit. Iter Protouestiarij in monasterium, quo Despota cum aliis concesserat.*

pereunt, in his Amerissa Despotæ filia. Protouestiarius victum annuum quærit. Albanitiæ partem regulo mortuo occupant Veneti, partem ex sorore nepos. Protouestiarius fit monachus, appellaturque Gregorius. Similiter vxor iam monacha, dicitur Eupraxia. Fidem orthodoxam pro consuetudine recepta vterque profitetur. Symbolum Nicænum ad verbum è sacris literis haustum Protouestiarius demonstrat.

XXX. *Helena Palæologa Venetiis prædatores accusat. Terræmotus ingentes. Aenum Veneti capiunt, Bostitzam instaurant. Niuium copia in Peloponneso. Turcæ Lemnum occupant. Nauarchus Venetorum de Euboea deserta reprehenditur. Insulam Turcæ armis, vicinas præterea deditione voluntaria accipiunt. Beglerbego vrbes Peloponnesi se dedunt. Nicolaus Decanalis cum filio, & scriba vinctus mittitur Venetias. Mors Demetrij Despotæ & vxoris. Grauis morbus Protouestiarij. Bessario in reditu è Francia moritur, corpus Romæ sepelitur. Zuchasanes Ameram vincit, & ab eodem vincitur. Helenæ Palæologæ, & Hierothei Patris spiritualis obitus. Ameras Capham subiugat, in Valachia rem infeliciter gerit. Catarrhus & grauedo Protouestiarij: eius querimonia super miseriis suis, & humilis confessio peccatorum, & precatio ad Deum. Ameras contra Naupactum, & S. Mauram nihil proficit. Operis totius conclusio.*

PROOEMIVM SCRIPTORIS.

QVAM esset eximius, & multiplex historiæ fructus, complures ante nos historici declararunt, & quæ illis dicenda occurrerunt, eadem nobis quoque in medium afferre liceret. Quid enim noui super eo excogitemus, de quo iam adeo multi disseruerunt, & quidquid de eius laudibus præclarè cōscribi potuit, id omne literis suis comprehenderunt? Quod porrò nos suscepimus, & dignius est, de quo verba faciamus, de eo sanè agamus. Suscepimus verò res nouas ac recentiores, â nemine adhuc hominum memorię commendatas, quarum incorruptę veritati per vulgus dimanans fama non respondet. Eæ vbi sincerè, penitusque perceptæ fuerint, etiam nouæ vtilitatis fructum conciliabunt. Qui igitur res Byzantinas explicare instituerunt, alij aliunde principium cœperunt. Quidam etenim inde vsque ab orbe condito: nonnulli ab imperio quopiam illustri ac memorabili, Persarum, Græcorum, Romanorum, aut alius gētis cuiuspiam videlicet exordium duxerunt, singuli opus suum ad finem & scopum animo destinatum accommodantes. Quam viam in hac rerum gestarum commemoratione nos similiter tenere omnino decreuimus: quandoquidem prima illa nascentis mundi sæcula nec à paucis, & sæpe tractata sunt, de quibus perscribere haud est animus. Iam, qui regum Imperatorumque historias ad posteros monumentis euulgarunt, eorum pleriq; opinionum dissensione in diuersa abierunt, mutationes regionum atque vrbium, præliorum contentiones, seruitutes, victorias, pugnas infœlices, & quæcunque similia confuderunt. Et magna inest profectò in rebus Principum varietas, quam nec ipsi fortasse qui gerunt satis cognitam perspectamque habent: nedum vt eas perquirentibus facilè sit veri notitia ad liquidum potiri: qui quæ communi fama feruntur ac prædicantur, ea solùm coguntur ad scribendum sumere, nisi malè de veritate meruisse videri velint: vt qui nummos circum-

circumcidunt, aut adulterinos cudunt. Nec quenquam vel ad gratiam, vel ad inuidiam, vel ad odium, vel ad amicitiam ſcribere oportet: ſed res ipſas tantummodò exponere, ea mente, vt ne obliuione (quam longinquitas temporis inducere conſueuit) deleantur: & vt hiſtoriam tanquam viuam & animatam, loquentemq́ue linguam, & citharam dulci ſtrepitu innumerabilium annorum ſpatia penetrantem relinquat. Ad hunc modum ego quoque Georgius Phranzes, & Protoueſtiarius, & Gregorius cognominatus (vbi ad monachos me aggregaui) iſta cõſcripſi de iis, quæ memoria mea acciderunt, & de nõnullis calamitatibus ſpeciatim, quæ partim antè partim poſt ſubactã Conſtantinopolim nos exercuerũt. Ac primùm quidem de occaſionibus, & cauſsis imperij Palæologorum ab initio narrationem contexam, dicamq́ue quot, & qui, quæúe ex ea domo, quam penes hucuſque ſceptra fuerunt, Deſpotæ, ac Deſpœnæ extiterint: & de bello quod in Peloponneſo inter fratres Deſpotas, Demetrium, inquam, & Thomam conflatum eſt. Alia inſuper non parui momenti, & memoratu egregia non ſilebo.

LIBER PRIMVS,
SEX IMPERATORES PALÆOLOGOS COMPLECTENS,

I. MICHAELEM. IV. ANDRONICVM IVN.
II. ANDONICVM SEN. V. IOANNEM.
III. MICHAELEM F. VI. MANVELEM.

Summa libri.

MICHAELIS Palæologi genus, laus, accusatio de tyrannide, quam arripere moliatur. Defensionem aduersarij reiiciunt, litem perdunt, Michaëli dignitas redditur. Sultano Iconiensi salutem suam credit, ab eo Hypostrategus dicitur. Scythæ Christianorum manum perterriti fugiunt. Palæologus humanissimè ab Imp. reuocatur, & tractatur. Mors Imp. Tutoris filij Arsenius Patriarcha, & Muzalo Protouestiarius: atq; huius ob inuidiam misera cædes. Palæologus pro eo imperij rectionem capeßit, largitiones facit, & viam inuadendo imperio paulatim sibi munit. Despota, mox Imperator appellatur. Arsenij mutabilitas. Peloponnesi Princeps tres vrbes libertatis recuperandæ donat. Byzantiū Græci à Latinis, fauente fortuna recipiunt. Alexius Cæsar vindex, exquisitißimis honoribus decoratur. Palæologus fortuna secunda ebrius, creditum sibi pupillum, Lascaris filium, & designatū Imp. luminibus exuit. Patriarchæ dolor, questus, lacrymæ, vindicta in auctores sceleris. In monasterium se abdit. Michaëlis ad Papam legatio de Ecclesiarum consensione. In tria capita cōuenitur. Refractarij grauiter puniuntur. A Francis Byzātij frustra laceßuntur. Insulæ receptæ. Pro Arsenio Germanus Patriarcha consecratur, quem excipit Iosephus, & hunc Becus. In Asia res Romana pessum it. Filij & filiæ Palæologi, obitus, sepulchrum. Andronici successoris de Ecclesia tranquillanda, & emendanda sollicitudo. Episcopi honoribus spoliantur, milites donatiua accipiunt. Andronici in Ioannem Lascarim cæcatum mira humanitas, & benignitas. Cur in Orientem processerit? Constātinum fratrem, vt insidiatorem imperij cum conspiratis custodiæ tradit. Liberi Andronici è binis vxoribus. Turcarū per Asiam, & Cherronnesum incursiones & latrocinia. Duorum Catelanorum in Romanis vexandis atrocitas. Rogerij & comitū in Thracia cædes. Latinorum à Romanis defectio. Michaëlis And. F. & collegæ conflictus infaustus. Discordia inter duces ho-

tes hostium. Secundus & tertius Michaëlis cōflictus. Athanasius Patriarchatu abit, eumq́ rursus init. Terræ tremor inusitatus. Triremium neglectus malè euenit. Michaëlis liberi. Manuel minor filius, & pater ipse qua occasione perierint. Cur Andronicus nepos auo bellum fecerit. Theodori Marchionis erga partē impietas. Osmanes occasione ad fines prolatandos vtitur. Constantinopolis ab Andronico nepote occupatur. Ad Nicæam Romanorum cum Turcis congressus. Imperatoris vulnus. Romani fugiunt. Nicæa concedit in potestatem. Vrbes & populi, quos subegerit Imp. Monstrū quoddam. Barlaami monachi Calabri dogma, & cum eo disputationes. Imperatoris vxores, liberi, mores, elogium. Cantacuzeni dominatio. Diuersæ populi, & nobilitatis voluntates. Orchanes Ioannem armis adiuuat. Depulsus imperio Cantacuzenus, exercitum nouum in generum cōficit. Epistola dehortatoria Ioannis ad eundem nihil impetrat. Amurates per caussam auxilij sibimet in Thracia cōplura subigit. Cantacuzenus vitam ingreditur monasticam. Filij quatuor Ioannis. Ex his Manuel ab Amurate quàm benignè acceptus & dimissus. Amurates, & Ioannes filios ob regnum affectatum puniunt. In socios ipsorum adolescentes, & patres eorūdem sæuitur. Ioannis in Italiam, & Franciam pro subsidio inanis profectio. Æs alienum patris Manuel filius dissoluit: ob id repudiato Andronico Imperator creatur, Andronicus Baiazetis Ameræ opibus vrbem obtinet. Manuel eodem Baiazete nauante operam, denuò fit Imp. Baiazetis in ipsum, aliosq́ principes comminatio. Sigismundi Imp. ad Baiazetem propter Bulgariam legatio. Ad Nicopolim à nostris accepta clades. Byzātium diu obsidetur. Ioannes Andronici F. apud Baiazetem delatus, ad patruum se clam proripit. Manuel in Italiam, & Franciam opem rogatum venit, & spe frustratus, Byzantium remeat. In Peloponnesum Baiazetis expeditio. Theodorus Despota Spartæ principatum Rhodiis equitibus vendit: in quem postea ipse per Episcopum sub conditione restituitur. Obsidionem Constantinopolis Baiazetes soluit; ad Tamberlanem excipiendum se in Asia comparat. Quando natus sit ipse Protouestiarius. Vnde & quousq́ narrationē perducat. Tamberlanes, item Scythæ, & Massagetæ gentes describuntur. De origine domus Osmanicæ narratio duplex, deinde de Ertucule, Osmane, Orchane, & aliis ordine 7. Turcarū Principibus. Creta ab Agarenis insessa, à Romanis recepta, à Venetis obtenta. Eius descriptio. Achaps è Creta Saracenus insulas diripit, quē Nicetas patricius compescit. Nicephoro duce Romano insula recuperatur. Imperij inter Latinos distributio. Isthmi lōgitudo & latitudo. Coronatio, & nuptiæ Ioānis, filij Manuelis. Eiusdem Manuelis constantia in fide hosti data. Mors Ameræ. Deliberatio de Mustapha occidenti præficiendo, à quo Baiazetes Beglerbegus occiditur: ipsum vicissim Amurates comprehensum interficit. Eiusdem in Romanos propter Mustapham furor. Constantinopolim frustra obsidet. Morbus Imperatoris. Isthmus capitur. Thomas Palæologus è Peloponeso in Hungariam fugit, eodem transit Ioānes Imperator. Litteræ de eius fœlici reditu Constantinopolim. Manuelis ad plures commigratio, anni vitæ & imperij. Quamobrem à Ioanne Imp. vxor Sophia domum in Italiam refugerit.

CAPVT

CAPVT I.

Alexij Comneni filiæ neptisq́ nuptiæ. Michaëlis Palæologi genus, virtus, gratia. Reus maiestatis, factum iuratus inficiatur. Pro-bandæ innocentiæ ferrum ignitum, & prunas postulat. Recusan-tur vt crudelia. More Romano interrogari petit.

ALEXIVS Angelus Comnenus Imp. qui fratrem Isaacium luminibus orbauit, tyrannidemque inuasit, & per quem Romanum imperium ab Italis tot tantisque cladibus affectum atque afflictum est, nulla virili suscepta sobole, filias duas generauit: quarum natu grandiorem, Irenen vocabulo, purpurea induere sandalia iussit, quòd illam, & cui desponderetur, successores & hæredes post obitum suum fore constituisset. Quam cum Alexio Palæologo in matrimonij communionē dedisset, mox eundem ad despotatus honorem extulit. Et tenuisset is imperij gubernacula procul dubio, socerumque excepisset, nisi eum præmatura mors de medio prius abstulisset. Hic vnicam tantum, & fœmineam stirpem moriens reliquit: eam viro tempestiuam, Irene mater Andronico Palæologo coniugauit (quem postea Theodorus Lascaris Augustus, qui iuniorem Alexij Augusti natam duxerat, Magni Domestici dignitate cohonestauit) ex qua ille sustulit filios tres, Michaëlem Comnenum (*quod nomen cæteri quoq; Palæologi deinceps propter maternam originem assumpserunt*) Constantinum & Ioannem, qui omnes ab vtroq; parente erant διπλοπαλαιολόγοι, *dupliciter Palæologi*. Hinc igitur tam clari generis sui primordium sortiti sunt. Postquam Michaëli primogenito Andronici matura ætas adoleuit, inter proceres aulicos supra alios hilaritudine in vultu, iucunditate in congressionibus, elegantia in moribus, liberalitate in largiendo excelluit. Propter huiuscemodi virtutes, & Gratias diligebatur à multis, & benè illi cupiebant, trahebanturque eius facilitate duces, centuriones, plebeij, & optimates magno numero. Quæ res eum in suspicionem captati imperij, cui per id tempus Theodorus Lascaris iunior præsidebat, per calumniam vocauit. Qui porrò Comneno sic obtrectabant, amici eius numerabantur: quò factum est, vt Imperator quæstionem in caput ipsius decerneret: ei quæstioni Arsenius Archiepiscopus siue Patriarcha, cuius tum apud Imperatorem plurimum valebat auctoritas, nec non alij quidam honorati viri iudices præerāt. Adductus in iudicium Michaël multa interrogatur, multa audit, & tacet:

tacet: quem tandem Episcopus his vocibus compellat. Homo nobilis, & nobilibus oriunde, an tu maleficiorum compertis istam veniam concedi existimas, vt taceant, ac super patratis nec verbum edant? Age, vir honoratissime, interroganti responde, & veritatem enuntia. Quinam tecum conspirârunt, tibique consilij istius conscij, approbatores, & consuasores fuerunt? Dic quod res est. Ita me Christus seruator meus amet, illi soli ex legibus pœnas dabunt: tu ab omni supplicio immunis ac liber abibis. Tum Michaël hunc in modum suscipit. Equidem antea tibi dixi, quod nunc itero, istuc me nunquam cogitasse, nec tale facinus menti meæ aliquando collibuisse: nec quenquam seu modicum, seu magnum quippiam in hoc negotio mecum communicasse, nec cōmunicet opto in sæcula sempiterna. Testes inuoco Deum Opt. Max. omnesque angelos, qui eum inaspectabili modo circumsistunt. Quod si criminatores mei aures Imperatoris mendaciis aduersum me famulum eius confictis onerarunt, nec mihi inficianti fides habetur, non habeo præterea quod dicam: nec est alius, quem innocentiæ meæ testem implorem. Quod si hoc non est satis, obsecro te, Domine, hoc mihi da, ferrum in camini flammas coniectum, & etiam atque etiam vehementerq; candens manibus complectar, prunasque in sinum immittam, sperans, Deum, qui tres pueros in camino ignis liberauit, & oculum illum omnia contuentem, semperque vigilem, *qui scrutatur corda & renes*, quique nouit, nec cogitasse, nec concepisse me, de quibus interrogor, illæsum, si ei placuerit, ab adustione seruaturum. Occurrit Episcopus, Romanis, & sapientibus Græcis nec in lege, nec in more positum est, ad reos, præsertimque nobiles, vt tu es, interrogandos tormenta adhibere: quia mos barbaricus, nefastus, planeque ethnicus. Hic Comnenus, quoniam, sancte Domine, Romani istuc quod volui nec legibus, nec moribus in vsu habent, vt affirmas: sed barbari, & ethnici duntaxat, & ego Christi munere humilis Romanus sum, si vobis ita complacitum est, me secundùm leges, & mores Romanos explorate examinateque. Ac siquidem pœnam legitimè videbor commeritus, nullam caussam dico, quin ea multer. Sin autem, nec me damnatote, & quam iniquè, ac præter rationem, ex inuidia nimirum & æmulatione à calumniatoribus oppugner cognoscite.

***

CAPVT II.

Vanitas accuſatorum deprehenditur, quam Michaël dato ſacramento cõuellit. Dignitatem cum auctario recuperat. E Bithynia propter maleuolorum obtrectationes, & metum Imperatoris ad Sultanum Iconienſem perfugit: à quo beneuolè exceptus, Chriſtianis militibus præficitur: quorum impreſsione perculſi Scythæ, fugam capeſſunt. Ab Imp. reuocatus, honoratur, viciſsimq́ fidelitatem concepto iureiurando ſpondet.

HIs auditis, Epiſcopus ad Imperatorem cuncta refert. Accuſatores denuò inſtare, & aliunde idem crimen intendere. Cæterùm veritatem proloqui non ſunt viſi, & inanis, atque commentitia apparuit accuſatio: tametſi poſtmodum oblata occaſione Michael talis compertus eſt. Veruntamen Imperator mandauit, vti has meras eſſe calumnias, & nunquã ſe imperium voluiſſe inuadere (quod ſycophantæ aſſeuerabant) adiuraret. Quo facto, eum & condemnatione, & ſuſpicione omni liberat, priſtiniſque honoribus reſtituit, ac mutata ſententia, Nicææ præfecturam in illum confert. In Bithynia non ita diu moratus, ad Sultanum Iconij aufugit. Fugit autem, quòd videret ac ſciret, non paucos quotidiè multas & multimodas contra ſe technas, machinaſque apud Imperatorem ex inuidentia ſtruere, & aures eius ſuſurrationibus multis, ac ſermonibus maleuolẽtiſsimis opplere: & quo pacto ſuppliciis dederetur, perpetuò cum animis voluere. Quamobrem nullam partem quietis capere poterat, mœſtiſque cogitationibus opprimebatur, quod præcipitem Imperatoris furorem, ſeueritatemque & inclementiam, citra vllam manſuetudinis, & miſericordiæ ſpem magnoperè timeret ac formidaret: ſiquidem inimici criminationes, & machinationes ſuas ad ſummum faſtigium perduxerant, & pectus Imperatoris penitus occuparant. Quare antequam funeſta pateretur, fuga ſaluti ſuæ prouidendum conſtituit. Iconium vt venit, Sultanum copias contra Scythas, à quibus ei arma inferebantur, ſtudioſè comparantem offendit. A quo magna lætitiæ ſignificatione acceptus, & quem centuriauerat è Chriſtianis exercitui (iam pridem enim Romani quidam ei ſeruiebant) Hypoſtrategus, ſeu minor dux, ſeu ſubimperator præpoſitus eſt: iuſsitque Sultanus, vti Romanum ac peregrinum habitum geſtarent, quò hoſtibus terrorem

rorem incuterent: arbitraturis ſcilicet, recentia auxilia ſubmiſſa fuiſſe: nec aliter contigit. Videntes enim Scythæ, eos concitato gradu (quod non putabant) contrà venire, in fugam præcipitem ſe tradiderunt. Iconij resita habuit. Nicæni de fuga Palæologi Imperatorem per litteras certiorem faciunt, ex qua ille triſtitia non mediocri tactus, & animo nimium quantum perturbatus, breui tempore intermiſſo, eũdem per epiſtolam ad reditum inuitat, ſummam ei charitatem, omnia tuta, addita ſacramenti religione promittit. Hoc tandem modo Romana tellus Palæologum Comnenum redacquirit, qui æquè vt prius, horrendo ſacramento confirmat, in fide Imp. & obedientia ſemper manſurum, nec imperij arripiẽdi voluntatem habiturum, quandiu communi ſpiritu frueretur: ſed beneuolentiam & amorem non vulgarem cum ipſi, tum eius filio Ioanni, cæteriſque ſucceſſoribus præſtiturum. Hinc rurſus eum Imperator Magnum Contoſtaulum renuntiat, quo honore etiam antea fungebatur.

CAPVT III.

Theodorus Imp. moriens, Arſenium Patriarcham, & Muzalonem Protoueſtiarium filio, & imperio curatores præficit. Hic nobilitati inuidioſus, in ipſo templo inter iuſta auguſtalia trucidatur. Arſenius Michaëlem Palæologum ſibi collegam aſciſcit. Qui ad imperium paulatim prorepit, & Deſpota legitur.

HIs curis diſtentus Imperator, morbo correptus grauiſſimo naturæ concedit, cum paulò ante mortem monachi habitum induiſſet, Procuratoreſque, & Adminiſtratores rerum imperialium Arſenium Patriarcham, & Georgium Muzalonem Protoueſtiarium iuſsiſſet, quoad filius Ioannes (qui tum annum non plus ſextum agebat) ex ephebis exceſſiſſet. Patriarcha optimates ſiue proceres conuentu indicto alloquitur: omnes qua deceat fide ac ſtudio in filium Imperatoris ſe futuros, & Muzaloni parituros iurant. Paucis diebus elapſis, quidam nobilitate & magiſtratuum honoribus illuſtres, Muzalonis fœlicitati inuidentes, res nouas inceptant. Dies ab obitu Imp. nonus illuxerat, cum quantum erat nobilium matronarum in Soſandrium monaſterium, vbi corpus eius compoſitum iacebat, ad defuncti memoriam ſollemni luctu cohoneſtandam confluit. Primores, ac plebeij

ſacris interſunt. Cumque adhuc liturgiæ, ſeu miſſæ ſacrificio daretur opera, ſtringuntur enſes, & Muzalo, licet ad ſanctam diuinamque menſam confugeret, crudeliter perimitur. Matronæ, & reliquus populus deſertis ſacris piacularibus trepidè ſe foras eiiciunt: ſtrepitus ac tumultus ingens cietur. Prô, heri primum ſacramentis, & diriſsimis execrationibus ſe deuouebant: hodie eas nec pili faciunt. O Chriſte rex, miſericordiam, & patientiam tuam. Patriarcha ſolus relictus, nec ad tantam gubernationem ab vſu rerum, & prudentia ſatis inſtructus, curis ac ſollicitudinibus inſolitis æſtuabat, ipſiuſque pueri, & ſummæ reipub. pericula ſecum reputans, affligebatur, angebatur, & mente irrequieta circumſpiciebat, quis potiſsimùm è principibus nauim cum vectoribus in tot tantiſq; fluctibus, & mari ſic tempeſtuoſo ſine aliqua offenſione, demerſioneq; moderari ac regere poſſet. Occurrit Michaël Comnenus, de quo diximus, cuius ope ſe adiutum iri confidebat. Et erat is domo nobilis, & vulgò conſpicuus, famaq; apud omnes inclytus, atq; vt ſuprà docuimus, apud plurimos gratioſus. Nec ab eius amore Patriarcha abhorrebat: verũ, ſi nõ amplius, at certè non minus hominẽ quam alius quiſquã complectebatur: cui ſoli claues fiſci imp̃atorij credebat: &, ſi quãdo militi ſoluẽda eſſent ſtipendia, aut alioqui ob communem neceſsitatem impendenda pecunia, ab ipſo exigebatur. Qua ratione ad meditata quondam inpoſterum perficienda, & finem iam pridẽ rumore iactatis celeriter imponendũ opportunitatem nactus eſt oportuniſsimã. Adeptus enim tantæ pecuniæ tractandæ libertatẽ, eam in nobiles, & militum greges profundebat: nec non in eos, quorum linguæ plebẽ demulcere, atq; impellere facilè poterant. Per ſe quoq; intelligentia, & experientia rerum cuiuſquémodi ad imperium, populoſq; regẽdos idoneus erat, & in dicendo pollebat maximè. Quid multa? omnium pũcta ferebat. Quocirca & Patriarcha eius amore incẽſus, ſententiam ſuam ad vniuerſorum ſuffragationes adſcripſit: nempe, vti Michaël Palæologus imperij procurandi auctoritatem omnem haberet, donec Imperatoris filius togã virilem ſumpſiſſet. Ex hoc gradu Michaël ad imperij culmen aſcẽdit. Secundùm dies aliquot rurſum aliam ingrediuntur viam, qui eum ad regni ſpeculam extollere nitebantur. Nam collatis in concilio iudiciis, non inter ſe modò, ſed in compitis quoq; palam dictitabant, non decere, nec æquitati conſentaneum videri, eum qui ſuis humeris totã imperij molem ſuſtentaret, multarumq; gentium legationes audiret, non etiam dignitatẽ imperatoriæ proximã obtinere: id quòd primùm ad amplitudinem Romanorum, deinde ad acta cum exteris gentibus cõfirmanda pertineret.

tineret. Hanc ob caussam, & simulatam ab ipso beneuolentiam, populo, Patriarcha, & infœlici præterea hærede approbantibus, Despotæ dignitate insignitur.

CAPVT IV.

Michaël Augustus salutatur. Arsenius Patriarcha eum, & salutatores anathemate à se percussos absoluit, iusiurandum adigit, suis manibus eidem coronam imponit, tempus imperij definit. De Aetolis, & Epirotis victoria. Peloponnesi Princeps libertatem tribus vrbibus redimit. Quantum eæ Romanis commodarint. Constantinopolis per cuniculum inducto milite, cum cædibus incendiisq́; Latinis eripitur.

PER ea tempora imperij domicilium Niceæ in Bithynia erat, ibidemque Patriarcha degebat, propterea quod regina vrbium in Italorum, siue Latinorum dominatu esset. Post spatium haud ita longum cuiusque generis malorum fabricatores & architecti, cum aliis quibusdam auctoritate, nobilitate, & nominis splendore excellentibus, Michaëlem in clypeum sublatum Imperatorem declarāt. Iam iniqua declaratione comperta Arsenius Patriarcha gladium præacutum, vt ita dixerim, sibi in præcordiis defigi sentit, & tam appellatum Imperatorem, quam appellatores à piorum communione carmine horrifico secludit, vt qui perfidiosè & sceleratè in alienum imperium irruissent. Postmodum re apud se deliberata, & cum proceribus nonnullis, Ecclesiasticis profanisque communicata, consultius fore decernit, sacrosanctum eos iuramentum poscere: neque insidiosè manus violentas puero allaturos: neque de imperio illi eripiendo quidquam secum agitaturos: itaque factum est. Nondum mensis totus exierat, cum ipsemet Patriarcha sacrorum ciuiliumque primorum consensu impulsus, suis manibus diademate imperiali Michaëlem exornat. Nec tamen potestatem illi perennem largitur: sed quoniam necessitas ita flagitaret, eo vsque, dum hæres & successor legitimus ætatem maturiorem contigisset. Tum denique solio, & omnibus insignibus imperatoriis se abdicaret. Ea res sanctiore quam antea iureiurando firmatur. Compos iam imperij, Aetolos, & Epirotas bello magno domuit, Despotamque cum duobus eius generis, * ac Peloponnesi & Achaiæ Principe in potestatē adduxit. Vi & virtute Romanis con-

ſtitit victoria, feceruntque captiuos multos, in quibus Peloponneſi & Achaiæ Princeps redimendæ libertatis Romanorum Imperatori donauit Peloponneſi vrbes munitiſsimas tres, Monembaſiam, Leuctrum ſiue Mainam (quæ antiquitus Tænarium, à Tænaria vicino promontorio dicebatur) & Spartam Laconiæ caput. Sic Romani Peloponneſo rurſus pedem intulerunt, vrbiumq; nominatarum commoditate vſi, vniuerſam inſulam receperunt: niſi quod modica pars ariſtocratiæ Venetorum remanſit. Alia inſuper victoria, eaq; magna, præclara, & omnibus ſæculis toto terrarum orbe memoranda ei obtigit. Alexium enim Cæſarem, cognomento Strategopulum, qui externam Romanis victoriam, & triumphum pepererat, Aetoliæque & Epiri Deſpotam Michaëlem perfidioſum, cum generis eius ſubegerat, vti ſuprà meminimus, denuò mittens Imperator, partē quandam copiarum illi tradit, Bithynos equites circiter octingentos, & globum peditum. Cæſar noctu cum copiolis ſuis Byzantium propius acceſſurus, in ſenem quendam fortè incidit, quem interceptum milites ei ſiſtunt. Cui Cæſar, vnde venis? aut quo pergis? Et grandæuus, ex vrbe venio. Falſum narras, inquit Cæſar: nox enim cum ſit, quo pacto mœnibus es egreſſus? Hîc ſenex, cuniculus eſt vetus per domum meam, portæ contiguam, præter me nemini, at mihi iam pridem cognitus, per quem quoties libet, nullo impedimento egredior ingrediorque. Hoc intellecto Cęſar gauiſus, ſeni munera multa daturum recipit, ſi locum ſibi demõſtret. Demonſtrat, quinquaginta ingreſsi, vigiles occidunt: porta effracta reliquis aditum patefaciunt. Cæſar ignem ædibus iniici iubet. Illico locis multis furit ęſtus ad auras, & Aquilone adiuuante, flammæ vrbem latè populantur, militesque lætis clamoribus VICTORIA ROMANIS ingeminant. Latini repentino tumultu exciti, hoſtibus & incendio conſpectis, mirificè conſternantur: plerique nudi è cubilibus ſe corripiunt. Inertia corpora paſsim ſternuntur: Romana res citra difficultatem fit ſuperior. Tali modo vrbs ampla illa, & vrbium imperatrix, auxilio Dei omnipotentis, & Cæſaris peritia, ſollertiaque militari ab Italorum Latinorumúe manibus vindicata, ad Romanos tandem, poſt annorum nouem & quinquaginta, menſium trium, dierum quatuor interuallum rediit.

CAPVT

CAPVT V.

Admiratio & lætitia Imperatoris de recepta Constantinopoli. Aguntur Deo gratiæ. Cæsar dux immortali afficitur gloria. Palæologus Imp. spreto iureiurãdo, & superbia ex successibus turgidus, puerum Imperatorem pupillum curat excæcari. Patriarchæ ob id dolor, & lamentatio; in reos Ecclesiastica animaduersio: in monasterium secessio.

ALLATI de tam nobili victoria Nicæam ad Imperatorem nuntij, fide ob admirationem caruerunt. Quo pacto enim cum perexigua manu Cæsar talis, ac tantę vrbis potens euaderet? Sed postquam nuntius alter, etiam cum literis à Cæsare ipso conscriptis superuenit, iis visis dubitationem ab se amouit, Deoq́ue gratias egit, & Patriarcha, totoq́ue senatu assentientibus agi præcepit, propter victoriam adeo admirabilem, & facta Cæsaris ingentia, quibus Romanum imperium amplificasset. Quin etiam Imperator, omnes prouinciæ, Patriarcha, vniuersa Ecclesia in ore habebant, & cœlo laudibus æquabant Cęsarem: in diuinis præterea, ac sacris liturgiis, in omnibus item ritibus, & officio sanctarum Ecclesiarum clara voce eius mentio fiebat. Insuper ornamenta, siue insignia Cæsaris gestabat quotidie, quauis hora & loco, donec vita suppeteret. Ad hæc triumphos illi eximios instituebant, sicut huiuscemodi victoribus instituere mos est. Posthæc tam fortunata victoria inflatus Imperator, & tum optimatum quorundam, tum plurimorum ciuium erga se propensionem, fidem, & charitatem non ignorans, ac spiritus tollens, nec venerandorum, terribiliumq́ue Sacramentorum, quę coram Christi tribunali ediderat, rationem ducens, successorem patris sui & hæredem imperij Ioannem Lascarim miserabiliter visu spoliat, atque ita omni suspicione metuq́ue vacans, imperium sibi constituit. Patriarcha vbi infœlicis excæcationem hæredis didicit, manibus pectus plangere, & cor (vt sic loquar) gladio sauciari, terræ ac cœlo scelestum facinus conqueri, & elementa ipsa ad vlciscendum inuocare, gemitus & lachrymas fundere, barbam vellere radicitus, & saxo aspero pectus ac genua pulsare, caput demittere, & lugubriter exclamare, ô sol horresce, ô tellus ingemisce, & concussa atrocissimum crimen, insidias, sæuitiam immanitatemq́ue detestare. Quia verò aliud non poterat, ipsum Imperatorem, conscios, & administros anathemate insolubili constrin-

git,

git, ac throno Ecclesiæ relicto, in asceterium ab se ædificatum secedit. Hoc maximè modo imperium ad Michaëlem ex Palæologis Imperatoribus primum peruenit, quod vtinam ne vnquam peruenisset.

CAPVT VI.

Legatio ad Papam de redintegranda concordia Ecclesiarum. Capita concordiæ tria. Ecclesiastici seditionem commouent. Imperator in contumaces animaduertit. Francorum aduersum Byzantios conatus irriti. Insulas aliquot Latini amittunt. Successio Patriarcharum. In Paphlagonia malè pugnatur. Turcæ Romanas prouincias depopulantur, & in satrapias dispertiunt. Liberi Palæologi mares & fœminæ, mors, ætas, imperij spatium, sepultura.

MICHAEL Augustus in vrbem postliminio recuperatam ingressus, audiens regem Balduinum in Franciam fugisse, & cum Carolo rege Francorum, aliisque Principibus per ciuitates fœdus pepigisse, vbi eorum armis terrestribus ac maritimis restitueretur, & vrbis vastitatem ruinasque contemplans, cum quid ageret non videret, ad Alexandrum IV. Pontificem super Ecclesiarum pacificatione Legatos ire iussit, modò is Caroli expeditionem impediret. Pontifex legationem benignè admisit, & quod peteretur, facturum spopondit. Concordia capitibus tribus circumscripta ac definita est. Primum fuit, vt in sacris hymnodiis Papa cum quatuor Patriarchis nominaretur. Alterum, vt integrum esset, Romam, tanquam maius tribunal appellare. Postremum, vt Papæ in omnibus concederetur principatus. Sed quoniam super hoc nouo incepto sacrum Ecclesiæ collegium celatum fuerat, non quieuit, populumque concitauit, vt magna inde seditio existeret, & turbarum fluctus altissimi exsurgerent. Imperator se tueri ac dicere, nihil studio nouitatis inducendæ, sed administratoria quadam prouidentia facta omnia. Præcauendas enim esse impendentes calamitates. In hanc sententiam plura locutus, cum alios sedasset, alios non item, vim adhibuit, multosque flagris subiecit: alios alia via afflixit: non paucos exilio multauit. Hæc omnia moliens, nullum operæ pretium efficiebat, nec res fœliciter ibat. Nihilominus, cum Carolus, & Balduinus amplum exercitum contra imperium Romanum adduxissent, & consertæ manus essent, inexpugnabilis

bilis nostra virtus Latinos re infecta, & cum damno atque ignominia domum remisit: quodque à Dauide dictum est diuinitus, verum apparuit, *maledictus omnis qui confidit in homine.* Mari quoque Romanæ naues Caroli classem dissiparunt. Post egressus Imper. etiam Aegæi maris insulas leui oppugnatione in pristinum vindicauit, puta Rhodum, Coum, Chium, Lemnum, & quæcunque demum Latini antea occupârant. In Arsenij porrò locum, qui sedem reliquerat, Germanus Archiepiscopus Adrianopolis est surrogatus. Rursum Germanus auditione accipiens, se maledictis conscindi, vt qui Arsenio etiamnum viuo thronum eius inuolasset, eum volentibus reliquit. Succesit Iosephus, qui præfuit annos tredecim. Dein Becus, magnę Ecclesiæ Chartophylax. Regnante hoc Imperatore, propter bella in Europa cum Latinis, calamitatum imperij Romani in Asia à Turcis iacta sunt fundamenta. Nam in Paphlagonia labefactata res summopere. Fugam hostes simularunt non semel, vt aciem Romanam perturbatam distractamque adorirentur: sed plurimis suarum partium amissis, partim captis, tandem continenter fugam dederunt. Quos dum Romani vltra flumen persequuntur, in improuisas insidias, cursu & æstu anhelantes, & in recentes atque integros fatigati incurrunt. Vnde hinc numeroso exercitu, inde flumine interclusi, paucis demptis, nulla re memorabili gesta, ad vnum occubuerunt. Turcæ velut foribus iam apertis securi, ac nemine prohibente, Romanas prouincias vsq; ad amnem prædabundi percursant, & quantum terrarum ceperant, à mari Pontico, & Galatia, vsque ad mare Lycium, & Carium, & Eurymedonta fluuium, in satrapias diuidunt. Hoc bellum euersi postea imperij Romani initium, caussa & occasio fuit. Imperator fessus tantis malis, ripas fluminis frequentibus oppidis communiuit, ne ipsa quoque Bithynia Turcæ potirentur. Procreauit autem filios duos, Andronicum Imperatorem, & Constantinum Porphyrogennetam: filias tres, Irenen, Eudociam, & Annam. Cum ad bellum Thessalicum proficiscens, in locum quendam Pachomium inter, & Allagem venisset, dolor eum cordis arripuit acerrimus, ibidemque biduo post animam exhalauit, anno ab orbe condito 6791. indictione XIV. [*vt quidem Græci numerant. Vt autem Latini 5265. anno post partum Virginis 1283.*] ætatis octauo supra quinquagesimum, imperij tertio & vicesimo. Filius autem & Augustus Andronicus, qui tum præsens aderat, consueta Imperatoribus sepultura vsque adeo patrem non decorauit, vt ne plebeia quidem, & inopum dignari voluerit. Tantùm paucis quibusdam mandauit, vti noctu

G procul

procul à castris cadauer elatum multa terra obruerent, ne augustale corpus à bestiis dilaniaretur. Caussa fuit, quòd sinceram (imò schismaticam) Ecclesiæ doctrinam deseruisset, id quod eum fecisse demonstrauimus.

CAPVT VII.

Turbæ, Andronico ineunte. Ad statum Ecclesiæ in meliorem formam redigendam incumbit. Beco exauctorato, Athanasius patriarchatum capeßit. Episcopi à Michaële stantes, dignitate multantur. Andronicus Ioannem Lascarim luminibus orbum visit, & consolatur. In orientem pergit. Fratrem tyrannidis suspectum, cum sodalitio in vincula contradit. Progenies Andronici. Mores Irenæ Augustæ, ambitiosæ fœminæ.

POSTEAQVAM deinceps Andronicus filius patrem in imperio est secutus, tumultus non vulgaris omnia permiscuit, & res ad nouitatem, defectionem, rebellionem spectare sunt visæ. Ipse verò, vt vir intelligens, futuriq́ue prospiciens, fluctus illos, & offensiones prudenter temperabat, omnia Episcoporum voluntate metiens. Ac primùm quidem Ecclesiæ corrigendæ, & componendæ prouidentiam laboremq́ue adhibuit (patre enim viuo cogitationes suas minimè aperiebat) & imperatoria decreta, edictaque circummittebantur, quibus ista correctio, & disciplina pręscribebatur: quiq́ue ob eiusdem Ecclesiæ studium exilio multati fuerant, reuocari iubebantur. Becum Patriarcham mox sede sua depulsum, monachus quidam, Athanasius nomine excepit. Hic à puero vitam coluerat asceticam in Ganis montibus, è Peloponneso oriundus, patria Andrusa, cuius episcopatum auctoritate Imp. & suffragio synodi gerebat, ac Monembasiæ metropoli suberat. Post exauctorationem verò, & relegationem Beci, omnes Episcopi, qui cum Imperatore demortuo, & Patriarcha communicauerant, loco suo cum dedecore moti sunt. Alia item mali exempli, & lamentis prosequēda in Ecclesia ab iis designata sunt, penes quos tū episcopatus honores erant. Hoc officio perfunctus Andronicus, militum in tuenda repub. feruorem sedulitatemq́ue pro consuetudine libens remuneratus est. Inde subditos omnes lætitia peruasit. Cum porrò in vrbem veniens, recordatus esset facinoris, quod pater in adolescentem Ioannem Lascarim (cui potius imperium debebatur)

tur) perpetrasset, conscientia stimulatus, moderationemque virtutibus reliquis anteponens, ad eum, qui ipsius caussa oculos perdiderat, in oppidulo quodam Bithyniæ habitantem inuisendum accessit: quem in monastico humilitatis habitu reperiens, oratione consolatoria permulsit, veniam petens, quod se ignorante pater in illum crudeliter consuluisset. Quod si posset, & ipsi placeret, etiam dimidium imperij se illi cessurum ostendit, vt ad amplam potestatem rediret. Præterea ad vitam degendam necessaria illi omnia affatim, quoad superaret, suppeditauit. Hæc cùm fecisset, & vt fierent imperauisset, inde hilaris orientem versus processit, certis de caussis ibidem commoraturus: tum vt rei militaris vsum consequeretur: tum vt pręsentia sua terrorem barbaris afferret, ne impunè, quoties, & quò liberet, in Romanos fines grassarentur. Per idem tempus criminationibus appetitus est Constantinus Porphyrogenitus Imperatoris frater germanus, quasi tyrannidem meditaretur. Misit igitur Imper. qui eum cum familiaribus omnibus comprehenderent: quorum principem locum tenebat diuitiis, generis claritate, & bello spectatissimus Michaël Strategopulus Melissenus. Hos omnes in carcerem includit, plurimumque facultatum Melisseni fisco addicit. Sustulit filios Andronicus ex prima coniuge, Hungarorum regis filia Michaëlem Imperatorem, & Constantinum Despotam. Ex altera, nempe Irene Lombardica, filia sororis regis Hispaniæ, & nepte Marchionis Mõtisferrati (qui Thessalonicam sibi vsurpauit, & Thessaliæ rex fuit, quando Latini ad tempus non ita longum Romanorum prouincias obtinuerunt) ex hac, inquam, illi nati sunt Ioannes, Theodorus, Demetrius, & Simonis puella, quam Seruiæ Despota vxorem est adeptus. Ac Ioannes quidem coniugi copulatus, absque liberis decessit. Augusta Irene maxima Zelotypia aduersus Michaëlem primogenitum laborabat, vt est nouercarum videlicet ingenium, maritoque Imperatori nec diebus, nec noctibus exhibere molestiam desinebat, vti quos ipsa peperisset, consortes imperij faceret, & illud inter ipsos æqualiter distribueret. Imperator affirmare, sustineri neutiquam posse, vt monarchia Romanorum ad polyarchiam redigeretur. Vbi multa rebus ac verbis experta, spe sua decidit, ira & dolore furens, Theodorum filium cum grandi pecunia in Lombardiam mittit, & patriæ suæ Marchionem instituit. Ibi is è familia Spinularum ascita vxore, vtriusque sexus liberos progenerauit.

tempus incrementa dedisset, Patriarcha Constantinopolitanus est renuntiatus: & cum thronũ aliquandiu illustrasset, eo volens postmodum & vltro cesit, iterumque Athanasius in eo est locatus. Hic postquam claues Ecclesiæ octo annos tenuit, rursum scandala emerserunt. Sic cui quies amica semper fuerat, sedem Patriarchicã valere rursum iubet, & ei Nipho Cyzici episcopus substituitur: nec diu ea potestate vsus, deiicitur, & in specula patriarchali Logotheta Dromi constituitur: qui & ipse vxorem & filios habebat: sed vxor statim monasticum complexa est habitum. Cumque corruptus humor non ita multò ante certis anni interuallis eius articulos occupasset, grauisimè cruciabatur, & iudicio præscriptoque medicorum carnibus ei vescendum erat. Huius ergò monasticus habitus ei negatus est, quem ardenter expetiuerat. Quia igitur ob aduersam valetudinem administrare prouinciam suam commodè nequibat, eam spõtè reliquit: in cuius locum Gerasimus monachus è Manganio monasterio suffectus est, canus quidem capillos: sed moribus nauci atque inutilis. Hic cum ad exiguum tempus Ecclesiæ præfuisset, sedem volens nolens dimisit: cui succesit Isaias, vir senex & venerandus, è monte Atho, cum forte Constantinopolim venisset. Per idem tempus terra contremuit motibus insolitis, multæque domus magnificæ, & sanctorum templa alia quidem procubuerunt, alia vitium fecerunt: complures item statuæ de columnis deciderunt. Andronico huic Augusto de proceribus nonnulli suaserunt, triremium numerum ne augeret: neúe aut nouas parari, aut veteres refici curaret: alioqui impensam in naues factam fore superuacaneam, qua propemodum nulla magis ærarium exhausisset. Eorum ille consilio obsecutus, triremium curam abiecit: quæ tempore procedente partim fatiscentes dissolutæ, partim summersæ sunt. Postmodum cum eas vsus & necesitas postularet, nec remiges, nec triremes apparuerunt, & consilij stoliditas Romanos multis grauibusque detrimentis mactauit.

CAPVT

CAPVT X.

Michaëlis filij & filia. Mors indigna Manuelis minoris natu filij, & subinde ipsius Michaëlis. Auo Andronico nepos arma infert, ad quem Theodorus Marchio, senioris filius impiè deficit. Osmanes Turcarum rex in Bithynia fines suos propagat. Nepos Byzantium auo superstite capit.

MICHAEL Imperator genuit filias duas, Annam & Theodoram: filios item duos, Andronicum Imp. & Manuelem Despotam. Andronicum auus habebat longè charissimum, quem in regia educari iussit. Is vbi adoleuit, per lasciuiam noctu ad mulierem egregiè formosam, quæ illi erat in deliciis & amoribus, itare consueuit. Cumq; zelotypia arderet, circum ædes meretriculæ custodiam cum gladiis, & arcubus disposuit. Nocte quadam Manuel frater fratrem quęritans, fortè ad illius scorti ædes deuenit. Speculatores eo viso, & per tenebras haud satis agnito, sed amatorem quempiam mulieris suspicati, tela in miserum crebra coniiciunt, quorum ictibus interiit. Id cum parens Michaël Thessalonicæ accepisset, ex ira & mœstitudine morbo dirissimo implicitus, vitam finiuit. Vbi dies luctus exierunt, auus nepotem Andronicum accersit, lacrymans obiurgat, & officij admonet: quemadmodum facere parentes liberis amantissimis solent. Adolescens præ pudore vultu humi deiecto obmutescit. Iratus autẽ, & metuens, ne propter necem fraternam, & iuueniles insolentias suas ab auo imperio priuaretur, idque in Constantinum patruum transferretur, cum quibusdam æqualibus, & coniuratis fugiendo Adrianopolim petiuit, collectisque copiis arma aduersus auum tulit: ac multis præliis ciuilibus, & cædibus factis, nunc pacem cum eo composuit: nunc leui de caussa pacta conuenta rescidit, non fine plurimis scandalis atque offensionibus. Eodem tempore senioris Andronici filius Theodorus Marchio, qui quondam in matris suæ ditionem paternam missus fuerat, vti supra narrauimus, post illius obitum ad patrem visendum, relictis domi liberis & vxore profectus est. Qui & animo, & religione, & cultu & rasa barba Latinus penitus, & sollicitudinis omnis ac beneuolentiæ, paternæque in se beneficentiæ, qua vniuersum æs illius alienum dissoluerat, oblitus, Iudam illum imitari, & patrem imperatorem prodere maluit, omniique deposita erga eum

ga eum reuerentia, & omnibus acerbior hostis factus, ad iuniorem Augustum, Michaëlis fratris scilicet sui filium transiuit, & rem mali exempli peiorem reddidit. Ex hoc ciuili bello, & rerum perturbatione Osmanes, qui Bithyniæ dominabatur, cōmoditatem nactus, de parte reliqua Romanorum non parum abrasit, intrauitque iunior Imp. Byzantium, sibi à duobus ex pacto proditum: quorum alter Castellanus, alter Camaris dicebatur, erantque excubitores in loco quodam vrbis, ad portam quæ Adrianopolitana vocatur. Noctu itaque adueniens exercitus, eodem loco scalas mœnibus admouet, per quas in vrbem multi se promunt, reserataque porta socium agmen cum Imperatore accipiunt: qui subitò concione aduocata seuerissimè interdicit, ne quis aut manu quenquam occidat: aut lingua contumeliam iaciat, siue in Imperatorem senē, siue in alium quemlibet. Non enim ipsi huius victoriæ auctores sumus, inquit: sed Deus eam nobis largitus est: fuitque de aui salute & incolumitate sollicitus. Quanquam vrbis & imperij iam planè compos, eum vt latro, & tyrannus eiecit. Imperauit senior Andronicus cum filio Michaële, annis quinque & quadraginta, donec à nepote imperio exturbaretur, id quod factum est anno ab orbe condito 6836. à Christo nato 1328.

CAPVT XI.

Cura nepotis super auo. Metochitæ facultates in fiscum redactæ. Prælium Romanorum & Turcarum ad Nicæam. Hostes Romanis tumultuariè fugientibus, & prædæ imperatoriæ, & vrbis compotes fiunt.

POTITVS vrbe & imperio iunior Andronicus, eo modo quo diximus, & consummatam rerum potestatem adeptus, auo de victu, & vita commodè agunda, qua decebat cura prospexit: patruum verò Constantinum comprehensum, in carcerem tenebrosum detrusit, & Metochitæ Magni Logothetæ (qui quondam monasterium Christi ζωοδότου vitæ datoris quod Chora nominatur, partim renouauit, partim extruxit) facultates omnes, pecuniasq; fisco addixit. Deinde misericordia cōmotus, ipsi, & aliis vt benè esset prouidit. Verna tempestate contra Orchanem Osmanis filium in Bithynia regnantem copias traiicit, & Nicæam vrbem primariam ab equitatu peditatuque circumsessam, extremeque laborantem cernens, prælium conserit. Pugnatum est à Romanis

Romanis à mane ad vesperam vsque præclarè & fortiter, vt Turcæ propemodum terga darent, & Ameras, siue rex eorum, timore percelleretur. Vbi nox prælium diremit, corpora quieti data. Imperator in certamine leui sagitta pedem vulneratus est. Qui cum Philocrenen oppidulum in proximo situm curandi vulneris concedere instituerct, ex errore non paruo milites ei obtrectare, caussam facti ignorantes, & præ timiditate ipsum fugere arbitrantes. Quamobrem vniuersi, nullo ordine, magna contentione, nemine persequente ad fugam incumbunt: fugiendo inuicem per tenebras conculcãt: non pauci læduntur grauiter: pars in fossas oppidi confusè, præcipitant: alij nauiculas in littore stantes arripiunt, quibuscum nimia vehentium multitudine grauatis multi summerguntur. Speculatores Orchanis, equites prope trecenti, adeò sparsim, ac tumultuatim fugientes aspiciunt, & clamoribus duntaxat insequuntur: tabernaculum Imperatoris cum omni præda equorum eius, pretiosarumque vestium, præter spem, & citra sudorem præclaram consecuti victoriam diripiunt. Imperator in oppidulo illo triduo consumpto, ingenti mœstitudine, lacrymisque inconsolabilibus Romanorum fortunas accusans, Constantinopolim repetiuit. Ameras paucis diebus Nicæam subiugauit.

CAPVT XII.

Chius Martino Genuensi extorquetur. Phocaenses fiunt tributarij. Nicomedia fame subacta, Orchani se dedit. Expeditiones diuersæ. Monstrum Constantinopoli. Barlaami monachi cum Græcis digladiatio. Imperatoris duæ vxores, & ex posteriore proles quatuor. Moriens Ioannem Cantacuzenum Ioanni filio tutorem dat. Laus, & studia defuncti.

AVCTVMNO ingrediente, conductis in vnum quotquot erant triremibus, & Romano milite imposito, contra Martinum Chij Præfectum soluit. Insulam absque labore ac defatigatione recipit: ipsum Martinum captum, in vinculis Byzantium mittit. Hinc Phocæenses Latinos classe adoriens, obsidum loco eorum filiis acceptis, vectigales facit. Hoc eodem Imperatore Nicomedia item Bithyniæ metropolis intolerabili fame vexata, Orchani cessit. Duxit præterea in Acarnanas, & Aetolos,

ſubiecitque ſibi Epirum, & Illyrios: nec non caſtella quædam à Bulgaris cepit. Per id tempus Conſtantinopoli naſcitur puer, ab imis pedibus vmbilicum tenus continuus, inde diſcretus, humeris videlicet, pectore, ſpina dorſi, cum duobus capitibus, & quatuor manibus, atque intra dies paucos moritur. Tum quoque monachus quidam Calaber, dictus Barlaamus, ex Italia Conſtantinopolim venit, qui in dogmatis Latinorum exercitatus, & ad ea defendenda diſertus admodum, & eloquens ſibi videbatur. Aſſerebat idem, lumen illud in monte Thabor creatum eſſe, noſtroſque ad diſputandum ſuper hoc axiomate prouocabat. Negotium Imperator Georgio Palamæ dedit, qui tunc Theſſalonicẽſem Eccleſiam moderabatur. Cùm diu inter ſe velitati eſſent, perſuaſibilia verba, & nugas Calabri Palamas velut aranearum telas diſcuſsit. Quod Ioanni Chryſoloræ eandem ſentienti, dicendiq; ac diſputandi ſimiliter bene perito, perinde fecit. Andronicus ex Irene Alemana nullis auctus eſt liberis. Qua defuncta, aliam, cui parentes Annam dixere nomen, duxit, quæ illi filias duas enixa eſt (quarum maiorem Myſorum Principi nuptum dedit: quibus nuptiis firma pax inter Myſos & Romanos conuenit. Alteram poſtea Orchanes Ameras vxorem eſt ſortitus) mares duos, Ioannem Imperatorem, & Manuelem. Diſceſſurus è vita, filium Ioannem adhuc impuberem, & ſummæ reipub. adminiſtrandæ necdum idoneum intuens, Ioannem Cantacuzenum Magnum Domeſticum ei curatorem ac tutorem, & eundem imperij rectorem deſignauit. Is homo auctoritate & opibus præpotens, ab Imperatore ſecundus erat, & regebat omnia, quoad Ioannes filius adoleſceret: cui pater Cantacuzeni filiam iungi matrimonio mandauit. Fuit Andronicus eximia oris dignitate, & humaniſsimus, lætus, alienaq; mala ſentiens. Turbam circum ſe non ferebat. Venationis cupidiſsimus: qua de cauſſa alebat canes amplius mille quadringentos: aues ſiue accipitres ſupra mille: quos qui curarent, propemodum totidem numerabantur. Extinctus eſt anno ab exordio mundi 6849. nimirum ab ortu Chriſti 1341. Vixit annis quinque & quadraginta. imperauit viginti. [Sed enim ab anno mundi 6836. quo imperio deturbatus eſt auus, vſque ad 6849. & ab anno Chriſti 1328. vſque ad 1341. non niſi 14. anni, non autem 20. colliguntur, vt Protoueſtiarium in numeris erraſſe neceſſe ſit.]

* * *

CAPVT

CAPVT XIII.

Cantacuzenus sibi, & filiis monarchiam conatur asserere, vnde clades & calamitates. Orchanes reliquum Bithyniæ Romanis eripit. Nobilitas & vulgus in partes scinduntur. Ab Orchane Ioannes adiutus, socerum in exilium pellit, quem tamen imperij rursus attrahendi cura non deserit.

DEMORTVO Andronico iuniore Augusto, Cantacuzenus vniuerso iure, & imperij gubernatione suscepta imperat, Imperatorque proclamatur, coniugemque, vt Dominam coronat, & Matthæo filio natu maximo calceos purpureos ferre dat. Minorem, Manuelem, Spartæ Despotam seu Principem creat. Et quoniam imperium totum sibi, & filiis proprium ac peculiare efficere studebat, Ioannem Imperatorem generum suum flocci pendebat. Qui iam æui maturior, vt germanus hæres successorque patris sui, illud de manibus soceri recipere postulat. Recusat socer, sibique ac filiis pro hæreditaria possessione asserit. Ex quo dissidio bella ciuilia, & prælia multa, magna calamitas, pernicies, lamenta, fletus inter miseros subiectos extiterunt. Et Orchanes cumulatam licentiam, commoditatemque reperiens, loca quæ Romanis etiamnum in Bithynia tributum pendebant, sub se redegit: iterumque in Thraciam Cherronesum traiiciens, oppida nonnulla & castella ad principatum suum adiunxit. Et sanè honorati quidam, ac nobiles, nec non de plebe Pálæologum pro successore, & hærede legitimo imperij agnoscebant, cumque potentia sua adiuuandum suscipiebant, & eius caussa laborabant. Inueniebantur è diuerso, qui irent in alia omnia, ac dictitarent, quæ Michaël Ioannis abauus in Ioannem Lascarim designasset, dum ei oculos cum imperio eripuisset, ea nunc abnepotem eius ab aliis perpeti oportere: & qua mensura maiores eius aliis mensi fuissent, cum imperium nefariè inuolassent, eadem illi nunc remetiendum esse. Palæologus consilij inops, & rebus suis diffisus, ad Orchanem Turcarum Ameram confugit, eius arma ad paterna regna vindicanda implorat, sororemque illi suam vxorem spondet. Orchanes ea petitione, & inprimis oblata affinitate gauisus, in Thraciam transmittens, oppida quædam recipit, & fratri vxoris donat, ac veluti in manum dat, prout ille voluerat. Inde Ioannes Byzantium adortus, Cantacuzenum socerum expellit, & maiorum suorum

rum regnum obtinet. Cantacuzenus vt exul in Seruiam, ad generum suum, eius regionis Principem se confert, vbi ab Orchane turus quiescit: semper tempus opportunum quærens, quo reuocatus, imperium sibi denuò vsurparet. Audito autem Orchanem obiisse, filiumque Amuratem sceptra excepisse, ex Seruia, & Bulgaria exercitum, adhuc in generum moturus congregat. Ioannes re comperta, legatum ad socerum cum epistola mittit, cuius exemplum infra scriptum est.

CAPVT XIV.

Epistola Ioannis Imp. qua Cantacuzenum à tyrannide quam occupârat, prudenter & grauiter deterrere nititur, magnam illius iniquitatem & scelus ante oculos ponens.

" SAEPENVMERO mecum ipse volutans admiratus sum, " quomodo conscientia, sensus communis, & senectus i- " psa te non admonuerint, vt de morte tua cogitatio- " nem susciperes, & iudicium iudicis illius perpende- " res, qui personam non respicit: in quo omnes nudi & aperti siste- " mur, vt vnusquisque iuxta actiones, & opera sua mercedem adi- " piscatur. Oportebat enim te, vt hominem cordatum, & rerum vsu " tritum, & in scripturis sanctis apprimè versatum, & ad omnia habi- " lem atque idoneum (vt tu quidem gloriari soles) tanto interuallo " cognouisse, ac perspexisse, quid esset, quod à me peteres, & num iu- " stum, legitimum, canonicum, Romanorumque institutis & moribus " consentaneũ foret. Nec vsq; hodie satiatus es tot offensionibus, tot " bellis ciuilibus, cædibus, sanguinis effusionibus, seruitutibus ciuiũ, " & Christianorum fratrum nostrorum tanta pernicie, tamque mul- " tis ærumnis, quæ ad imperio nostro parentes permanârunt. Patere " (per misericordias Dei omnium clementissimi) Christianos humi- " les, miseros, & infelices à cladibus & doloribus aliquantum respira- " re & quiescere. In Asia quidem, vt nosti, pestis maxima, & bellua " Othmanica gens omnes pessundedit, perdidit, deleuit. Qui tempe- " states illas calamitatum effugere potuerunt, quique hîc remanserũt, " sinamus, quæso, ambos spiritum ducere. Quod si sanctus Dauid de " gentibus, quæ legem non habent, rogat, vt dissipentur quæ bella vo- " lunt: quanto rigidius iudicium nos manet, quos Christus Deus no- " ster ex misericordia inexplicabili, sanguine suo mercatus est, & le-

gem

gem ac mandata nobis donauit, & pacem charitatemque mutuam " præscripsit, idque primum ac præcipuum signum dilectionis erga se " habiturum discipulis affirmauit? Hoc nec te fugit, quod ignotum " est nemini. Et pater meus Imp. te ex obscuro ad tanti muneris am- " plitudinem euexit: mortique iam vicinus, vsque ad imperatorium " nomen te honorauit. Recogita quam singulari animo, & amore er- " ga te extiterit: quomodo miserum me & infelicem in manus tuas " tradiderit: & generis coniunctionem imperans, vt ea in posterum " quoque inter nostram, vestramque familiam intercederet, decreue- " rit: & omne tum imperij, tum mei regendi arbitrium tibi vni com- " miserit. Tu verò non vt verus omnium pastor, sed contrà vt lupus, & " fur, & latro te gessisti: nec ita te gerendi modum facis; & nihil præ- " termittis: quo me, si possis, hæredem atque successorem, & quatuor " Augustorum nepotem, imperio mulctes, & ex Imperatore priua- " tum, te vicissim ex priuato Imperatorem efficias. Ego verò iniuri- " am quam intulisti mihi, & infers, teq; omnium scandalorum aucto- " rem inexpugnabili potentię committo. Quod rectum est coram do- " mino, fiet. "

CAPVT XV.

Cantacuzenus in bello struendo perseuerat. Ioannes Imp. ab Amurate auxilium petit, qui iuxta prouerbium (vnumquemque ad suum quæstum æquum est esse callidum) per speciem allati subsidij in Thracia suas opes auget. Cantacuzenus res suas in desperatis habens, monachum profitetur. Turcici dominatus in Europa initium. Fœdus cum Amurate. Quatuor filij Ioannis: & Manuelis propter Thessalonicam casus: qui ab Amurate beneuolè liberaliterq; cum promissis ingentibus tractatur.

HIs literis sibi redditis, Cantacuzenus nulla religione tactus, nec cor eius emollitum est: sed bellum adornare continēter insistebat, Ameram suppetias laturum confisus. Imperator autem Ioannes, vt instructas soceri cōpias in se ire intellexit, cum ad resistendum viribus necessariis destitueretur, ab Amurate missis legatis auxilium contendit. Amurates, vt erat homo versipellis, & verbis occultare sententiam sciebat, legationem libens ac lætus audit, duodecimq; millibus ad subsidium Ioanni afferendum præmissis, ipse deinde cum militari copia Aby-

do in Thraciam nauigat: verbo, vt Imperatorem adiuuaret: reipsa, vt, si faueret occasio, quemadmodum fauit, in Europa vrbibus & regionibus acquisitis, ditionis suę fines prolataret. Cantacuzenus cum Seruiis, ac Bulgaris in Palæologum tendens, cum Amerę dolum animaduerteret, fortunæque suæ diffideret, desertis omnibus, monachum induit, ac pro Ioanne Ioasaphi nomen asciuit. Tenuit imperium, donec à genero exutus est, bellumq; gessit annos sex, menses septē. Porrò Amurates cum iam in Thracia exercitum tam frequentem, & sub signis haberet, & opportunitas non deesset, rebus Romanis propter bella ciuilia summoperè afflictis ac perturbatis, & ad vim arcendam minimè validis, oculum adiecit. Tum primùm Othmanidarum genus in Europa, atq; adeo in Thracia dominationem inuasit, & præter Calliopolim loca non pauca, vrbesque & castella tum Romanorum, tum aliorum Christianorum dynastarum sub ius suum subiecit: sicuti paulò post in Imperatorum Turcicorum vita exponemus. Traduxerunt se & aliâs in Europam Turcæ, vt docuimus, in Cherronesum Thraciæ videlicet: sed consistere non potuerunt: nec tot loca, oppida, castella, vt nunc, subiugarunt. Quippe sæpius virtute bellica repulsi: sæpe, cum vt latrones irruptionem fecissent, rursus aufugerunt. Posthæc Amurates Adrianopolim quoque, & magnas partes Macedoniæ, Bulgariæ, Seruię subegit. Tandem fœdus quoad viueret, cum Imperatore, intercedentibus vtrinque sacramentis, & sponsione mutui auxilij fecit. Ioanni filij fuerunt Andronicus Despota, Manuel (qui post patrem imperauit) Theodorus Porphyrogenitus, & Demetrius Despota. Horum natu maximum, vt successorem, in vrbe manere iussit: Manuelem gubernare Thessalonicam: Theodorum post obitum filij Cantacuzeni Spartam cum potestate misit. Thessalonicam Manuel ingressus, cum magistratibus, & primoribus ciuitatis pacem, amicitiamque firmauit: qui habita consultatione, Turcis, custodibus arcis interemptis, vrbem illi dedere statuerunt. Concilium istuc Ameram haud latuit. Quocirca ingentem militum manum Caralimbassa duce aduersus Thessalonicam, & Manuelem mittit: cui mandat, caueat redire, ni subacta vrbe Manuelem vinctum adducat. Re intellecta, Manuel contra tantum exercitum nihil se posse cernens, animum ad timorem ac desperationem adducit: nec sciens quò se vertat, fuga salutem petit, Byzantiumque ad patrem reuerti decernit. Pater metu Ameræ se filium recipere non audere ostendit, & potius graues minas intentat. Confidens igitur apud Lesbi dominos locum sibi fore, eò transmittit.

tit. Illi similiter Amuratem metuentes, palàm eum videre, & cum eo colloqui detrectant: ne id ipsis fraudi sit. Ergo etiam hac spe euanescente, & nusquam perfugio se ostentante, Prûsam vltro abeundi, Amuratis conueniendi, atque ab eo veniam poscendi consilium capit. In eius itaque conspectum admissus, quæ nescius patrasset, confitetur omnia. Hic impius ille, non stultus tamen, Manuelem se ita abiicientem, & sponte supplicatum venientem aspiciens, magna commiseratione motus, hominem amplectitur, & osculatur, eiusq; presentia mirificè exultat. Dies aliquot in epulis, compotationibus, hilaritatibus, & longis collocutionibus ponunt. Beneficia item, & victum è regia quamdiu velit, Ameras illi promittit. Abituro iam, « Domine Manuel Zelebis (*id est, nobilissime, aut designate Imp.*) hoc tibi « dictum tolle memor, inquit. Quia te tantoperè summisisti, vt me a- « dires, coram me, & Deo, qui abditissima mortalium perspicit, pec- « cata in me tua confiterere, persuasissimum habeto, te mihi non se- « cus charum esse quam filium. Veruntamen caue, ne quid in poste- « rum huiuscemodi: non leuis quippe sequitur offensio, & me, pa- « tremque tuum amicos ac fratres esse nosti: nec fas inter nos discor- « dias, & pugnas, sed amicitiam potius, & charitatem vigere. Tu por- « rò prudens, & moratus adolescens, quóue dicto, aut facto opus sit « sciens, & natus ad omnia, regna in tuis, aliena ne concupiscas. Quod « si vel pecunia, vel alia quapiam re indigebis, ad gratificandum tibi « me semper paratum fore polliceor. His cum alia multa adiecisset, « magnificentissimè donatum ab se dimisit, deditq; ad Imperatorem literas, quibus illum hortabatur, vti filium paternè susciperet, amaret, & quæ per ignorantiam deliquisset, ignosceret. Caralimbassa occupata Thessalonica, & defectoribus in seruitutem redactis, plurimum gloriæ apud Amuratem inuenit, cum antea quoq; plurimum apud eum polleret.

CAPVT XVI.

Defectio Satraparum Præfectorumúe in Asia ab Amurate. Eius, & Ioannis filius, Moses nimirum, & Andronicus, adolescentes temerarij, & regnandi cupidi à parentibus puniuntur; ille capite, hic oculorum orbitate. Amuratæ in nobiles adolescentes, eorumq; patres immanitas. Rogatus, Andronico è carcere dimissionem impetrat.

AMVRATES Adrianopolim transfrerat, Hungaros bello domiturus. Accipiens autem quosdam de Satrapis siue Præfectis suis in Asia desciuisse, misso apparatu illo, socio Ioanne, vt

ne, vt amico & confœderato, ad eos compeſcendos cum exercitu traiicit. Aderat patri Manuel. In expeditionem abeuntes, filios relinquunt, Ameras, Moſen Zelebem, qui interim omnia Europę loca vectigalia in officio contineret: Ioannes Andronicum Deſpotam primogenitum, qui rem Romanam procuraret. Iuuenes præcipites opportunitatem iſtam nacti, amicitiam arctiſsimam coniungunt: crebrò in colloquium veniunt, & inter ſe ab illa hora alter alteri tanquam fratrem fore, & mutuum adiuturos in omnibus, dato viciſſim ſacramento recipiunt. Ita à patribus deficiunt; regiones & vrbes obeunt: libidini ſuæ repugnantes, debitamque parentibus eorum fidem, & beneuolentiam conſeruantes diripiunt: indeque captiuos in ſeruitutem rapiunt. Hoc vbi ad Amuratem, & Ioannem in Aſiam perlatum eſt, dolore & iracundia exarſerunt. Cæterùm Ameras Imperatorem in ſuſpicionem vocans, ne fortè eius voluntate impulſuque iſta defectio contigerit, eidem iratus ſignificatum mittit, videret, quonam modo Andronicum filium puniret, & ſic fidem ſibi minimè dubiam faceret, ſe huius molitionis ignarum eſſe. Si aliter faxit, & ipſum, & domum eius, & totum Romanum imperium experturum quid egiſſet. Imperator ſe facinoris nequaquam conſcium eſſe reſpondet, idque iureiurando teſtificatur. Si filium adipiſcatur, ſecluſa omni miſericordia pœnas exacturum. Rebus in Aſia compoſitis, & ad tranquillitatem reuocatis, in Europam renauigant, ſtatimque indicto bello, inſtructum contra filios perduelles exercitum mittunt. Ameras milites illorum blanditiis, nummisq; corrumpit. Illi dominos inſidioſè deſerunt, atque ad oppidum Didymotichum præſidij cauſſa confugientes comprehendunt, patribus pro honorario offerunt. Ameras ſuum confeſtim decollari iubet. Imperator ictus metu Ameræ, ſuum volens nolens luminibus priuatum, turribus iuxta Blachernas (quæ Adamanides dicuntur) includit. Alij prę terea illuſtrium ac nobilium tam Chriſtianorum, quàm Turcarum filij, duorum illorum coæui, & culpæ conſortes ſimiliter capti, Amuratæ ſunt traditi. Eorum patres præſentes, & collachrymantes, vnuſquiſque filium manu ſua iugulare iuſſi ſunt. Qui noluerunt, eos cum filiis colligatos in præterfluentem demerſit. Tam inhumanam crudelitatem Amurates alioqui in regenda republica ſemper, & per omnia laudatus perpetrauit. Aliquanto poſt, nonnulli ſpectati & nobiles, tum Chriſtiani, tum Agareni, ſiue Turcæ, Amuratem rogauerunt, vti Andronicum Deſpotam è vinculis auctoritate ſua liberaret: quorum ille precibus locum reliquit.

CAPVT

CAPVT XVII.

Ioannes Imp. à Turcis extrema per metuens, in Italiam ad petendum auxilium nauigat. Nihil ibi, nec in Francia obtinet. Aes alienum ingens contrahit: id Manuelis filij opera, & sollicitudine dissoluitur: quem præterito Andronico, vt infideli, imperio donat. Andronici furor & querimonia.

RERVM ſtatus hic erat. Animaduertens autem Ioannes, Romanum imperium omnimodis vileſcere, & in anguſtum redigi, ac triduo, quod aiunt, deletum iri, Turcicum contrà ad ſummum creſcere & amplificari, comparatis aliquot triremibus in Italiam ad flagitandam illic à Principibus opem curſum inſtituit, ne Romanorum regia (Conſtantinopolis) victa & ſubacta ab hoſtibus, poſthac nulla eſſet. Interea dum reuerteretur, Andronico Deſpotæ filio rurſum vrbis & imperij procurationem concredit. Ac primùm Venetias, vrbem pulcherrimam appulſus, & totius ſenatus gratulatione exceptus eſt. De ſuppetiis tamen nec loqui, nec audire ſuſtinebant. Inde ad Carolum regem Francorum profectus, nihil obtinuit, quòd principes factionibus & bellis inter ſe diſtracti eſſent: tantummodo grandem pecuniam inutiliter abſumpſit, & æs alienum graue ſuſcepit, quòd immodicos in Italia ſumptus tolerare cogeretur. Venetias rediens, ſcribit, & per dromonem (*genus nauigij eſt celerrimum, Latini celocem vocant*) ad filium Andronicum mittit, vt is quoquo modo pecuniam ſibi curet, qua & nomina expediat, & ad reditum vtatur. Filius, cui imperium in deſideriis ſemper fuerat, cùm id iam intra vngues haberet, quid pater vellet, nihil penſi habere, & eius iuſſa in aqua, vt quiſpiam dixerit, ſcripta exiſtimare. Hęc alter filius Manuel Theſſalonicę comperiens, ſtudio ac prouidentia ſingulari, non contemnenda, auri argentiq; vi conquiſita, & vt poterat, triremibus adornatis, in Italiam ad patrem cucurrit, eoq; venerabundè, cum oſculis manuum ac pedum ſalutato, creditoribus pecuniā quanta debebatur numerauit, acceptumq; Conſtantinopolim reuexit. Ob cauſſam hanc, & ſubiectionem iſtam Manuel ab eo, vniuerſoque procerum cœtu maximoperè diligebatur: Andronicus è diuerſo & ipſi patri, & omnibus ingratus atque inuiſus erat. Quo abdicato, ſuffragante nobilitate Manuelem Imperatorem creat: in vrbe manere iubet: cocco tincta calceamenta concedit, ſucceſſorque ab omnibus agnoſcitur. Deſpota Andronicus &

cæcus ira inuidiaque insanire, & iniuriam sibi irrogatam vociferari, atque istam despicientiam ferre acerbissimè, contendereque & instare, Romanis legibus, moribus, institutis sibi ac filio suo, vt primogenitis, imperium deberi. Nihilominus pater Manuelem, & natu posteriorem præferre, & successorem designare maluit. Andronicus pertinaciter in sententia perstare, modumque ac viam commodam meditari, qua negotium impediret, & imperium ad se, filiumque suum Ioannem reuocaret.

CAPVT XVIII.

Andronicus ad Baiazetem cùm filio opis caussa transfugit. Baiazetes discordiis consanguineorum gaudet, copias attribuit. Ioannes cum Manuele filio capitur: vrbs occupatur. Consilium sceleratum Baiazetis; ad quem Ioannes quoque & Manuel opem oratum veniunt: tributum & auxilium inter se pollicentur. Vrbe recuperata, Manuel coronatur.

POSTQVAM Ameras Amurates diem vltimum vidit, filius eius Baiazetes Alisurius regnum excepit. Andronicus itaque exoculatus ille, occasione oblata, concupitis sibi potiundum omnino censuit: consultisque super ea re amicis quibusdam, & coniugis suæ propinquis, & socero Marco, (qui adhuc partem Bulgariæ obtinebat) vnà cum filio Ioanne ad Baiazetem supplex confugit, cuius potentia & viribus nixi, imperium, quod ad se tanquam hæredes & primogenitos, lege consuetudineq; Romanorũ pertineret, recipere possent: quod pater, idemq; auus, per summam iniuriam ipsis ablatum, minori natu, Manueli nempe, tradere constituisset. Etiam auri & argenti centena pondo compiura in annos singulos tributi nomine, & ex vrbe immunitates quasdam atque prærogatiuas promittunt. Ameras discordias & lites eorum cernens lætatur, (vt est vulgare prouerbium, lupus turbinem videns, gaudio exilit, inquiens, opportunum hoc mihi tempus) & hilariter petitioni annuens, equitum sena, peditum quaterna millia eis mutuatur. Tum improuisò, & noctu aduentans Andronicus, extra vrbem in palatio Peges (*id est fontis*) patrem cum Manuele fratre reperit: comprehensos in domum quandam compingit, diligentissimeque custodiri mandat. Hunc in modum ipse, & filius eius

eius Ioannes vrbe, parteque imperij ad annos duos, & menses sex potiuntur: quem quidem filium sæpenumero Imperatorem declarare cogitabat: verùm id propter parentem adhuc superstitem non erat vt fieri posset: quanquam Ameras non raro stimulos illi subiiceret, vti ipsum, & Manuelem fratrem è medio tolleret, si imperium placatum & quietum sibi optaret. Ast ille parricidiis se contaminare perhorrescebat. Quodam igitur die Augg. Bulgaris custodibus deceptis, carcere elapsi, ipsi quoque ad Ameram Baiazetem naui deferuntur. Ibi senior Imp. cognationis, quæ auo ipsius Orchani cum domo sua intercesśisset, & amicitiæ qua pater eius secum deuinctus fuisset, eum commonefacit, docetque, non esse cum iustitia coniunctum, nec vlla lege permitti, parentes sic tractari à liberis. Adhæc Manuel multo amplius tributum quàm frater se illi pensurum promittebat. Deinde quotannis, verna tempestate ad auxilium quocunque vocauerit, cum peditum equitumque duodenis millibus paratum: nec non eius amicis amicum, & inimicis inimicum fore: quod idem ab ipso petebat. Horum fidem iureiurando stabiliunt. Hæc cum Ameras audisset, Legatum Constantinopolim mittit, qui iudicia, voluntates, & consilia tum optimatum, tum plebeiorum exploret: & vtrum è duobus fratribus Imperatorem præoptent. Legatus impensè officio suo fungens, vniuersorum fermè ciuium animos in Manuelem compluribus de causśis propensiores intelligit. Ameras omnibus sibi renuntiatis, protinus exercitum expedit, quocum Byzantium tendunt. Andronico Despota, & filio eius quid agerent, quóue pacto se tuerentur non inuenientibus, Manuel & pater vrbis & imperij de integro compotes euadunt, nullaque interposita mora, iussu patris filius in templo Apostolorum diademate imperatorio à Patriarcha redimitur. Regnauit Ioannes post pulsum imperio socerum Cantacuzenum, donec sceptrum Manueli dederet, eumque corona indui videret, ad annum mundi * id est, annis * Despotæ Andronico Thessalonicam pro domicilio duntaxat attribuit. Atque ita res Romana conquieuit.

CAPVT XIX.

Theodorus Despota apud Baiazetem de vi accusatur. Atroces minæ. Principes defectionem à Baiazete parturiunt, fœdus ineunt. Bulgariæ tractus occupatur. Sigismundi Imper. ad Ameram Legati. Ameræ factum callidum, aduersus quem sollicitantur à Sigismundo principes. Nostrorum ad Nicopolim contra Turcas aduersum prælium & clades. Byzantij obsidio.

CVm aliquando Baiazetes in Macedonia apud Serras metropolim versaretur, etiam Imperator Manuel secundùm pacta conuenta, eiusq; frater Theodorus, & Constantinus Dragases, & Seruiæ Despota Stephanus affuerunt. Eò Paulus Mammonas è Peloponneso venit, cuius pater Monembasiam iam pridem gubernandam acceperat: eandem & ipse postea gubernationem Imperatoris iussu iniuerat: ac propter distantiam loci arrepta occasione, vrbem mancipio vendicârat. Hic Baiazeti iam pridem notus, fratrem Imperatoris apud eum iniuriarum accusauit, quod Monembasiam è manibus audacia tyrannica sibi eripuisset, indeque cum contumelia, dedecore, & infamia expulisset. Ameras stomachum erumpens, Imperatorem sic affatur. An non satis est vobis pacem habere? etiam subiectos meos vexare non veremini. Per Deum iuro tibi, me in talia audentes exempla editurum. Alia insuper dictu aspera protulit aduersus Manuelem, & Principes Christianos, quos affuisse diximus, quę illis tristitiam crearunt in medullis. Ex eo occasionem bonam, & caussam probabilem quærunt, qua promissa, pacta & subiectionem erga Ameram rescindant: clamque inter se voluntatum animorumque consensionem, & irruptam concordiam vsq; ad mortem paciscuntur. Quò autem firmior esset societas, & vinculum insolubilius, statuunt, vti Manuel Constantini Dragasis filiam ducat. Baiazetes Bulgariam inuadit, partemque non minimam sibi subdit. Sigismundus Germaniæ rex, vbi super ea re nuntium accepit, legationem mittit, cuius summa hæc fuit. Non videri ex iustitia, cum sint amici, ipsum Bulgariæ manum iniicere: ius prouinciæ illius ad regni sui iura pertinere. Baiazetes Legato responsum non reddidit: sed manu apprehensum in domum amplam, omni genere armorum bellicorum, bene dispositorum præparatorumq; refertam deduxit. Tum sic virum compellauit. Renuntia domino & regi tuo, ius meum, & administrationem quam habeo

habeo in Bulgaria, hæc arma & hunc apparatum esse, quem vidisti. Sigismundus hæc à Legato audiens, & ex iis arrogantes Ameræ spiritus facilè coniiciens, præcipuo quodam dolore angitur, ac sine cunctatione exercitum è conducticiis non contemnendum conscribit: suos item armat: multos præterea Principes suo ipsorum sumptu secum militatum inuitat. Graditur nobilis exercitus maxima cum lætitia, generosi animi, & virilitatis plenus: omnia Turcarum castella præsidiaria capit, subiicit, diripit, euertit: veluti cum flamma in segetem, aut aridam siluam furentibus Austris incidit: idque donec Nicopolim peruentum est. Sigismundus nihilominus aliunde Baiazetem bello lacessere cupiens, occultè Legatum ad Manuelem, & ad alios Principes, de quibus supra mentio habita, mittit, vti se se ad hostem fidei Christianæ funditus, si posit, extinguendum instruant atque comparent. Illi tempus aptum, vt terra sitiens aquas è cœlo, exspectantes, Legatum lætabundi excipiunt, bello necessaria clandestinè prouident. Baiazetes infesto Sigismundi aduentu comperto cruciatur animi, nec metu caret. Copias suas celeriter contrahere, & armare instat: hostibus obuiam procedit. Exercitibus iam propinquis, Germani, & Galli pugnam primi cient. Verùm ex illorum imprudentia & leuitate, Christiana res labefactata est, & exercitus vniuersus dissipatus periit. Fugiebant sine respectu: multos Turcæ in fuga perimebant, multos capiebant. Nec obscuri solùm & gregarij milites, sed etiam illustres, honorati, & nobiles amissa libertate adducebantur magno numero, in quibus Dux Burgundiæ, Comes Abersiæ, & Magnus Architriclinus Regis Franciæ. Vix etiam, & summa ope rex ipse Sigismundus cum Magistro ordinis Rhodiensium (qui crucem pro insigni gestant) nauigiolo inuento, & Istro traiecto salutem expediuerunt. Ameras omnibus impedimentis & sarcinis acquisitis, tamque admirabilem victoriam præter opinionem consecutus, gloria & lætitia redundauit. At enim videns Manuelem, cæterosque Principes, de quibus supra, conuentis non stetisse, vt se sequerentur, & doctus de omnibus, quæ aduersus se deliberassent, bellum graue indixit, & anno mundi 6900. CHRISTI 1402. vrbi terra marique obsidione admota, omnimodis eam longo tempore oppugnauit. Cum eo cum exercitu pergeret, terram Byzantinam, singulasq; regiones grauissima vastitate afflixit: suburbanaque omnia diripuit. Et quoniam vrbis oppugnatio parum procedebat, reuersus est domum,

singulisque annis misit exercitus obsidionemque illam toto decennio continuauit.

CAPVT XX.

Ioannes Andronici filius apud Ameram vt proditor delatus, Constantinopolim ad patruum fugit. Patruus Italiam, & Franciam ad conquirenda auxilia frustra petit. Mediolanensium Ducis humanitas in illum, & liberalitas. Baiazetes Peloponnesum inuadit. Theodorus Despota Spartæ ditionem Rhodiensibus ex desperatione vendit. Spartanorum in Procuratores Rhodiorum debacchatio. Episcopum pro Principe deligunt, per quem Theodorus restituitur.

EA tempestate Ioannes Andronici Despotæ filius, & Manuelis ex fratre nepos, de quo sæpe verba fecimus, iam pridem apud Ameram assiduus, ab eodem victum habebat: eum quocunque iret comitabatur: ab eius latere non discedebat: eratque illi in familiarissimis, & intimis. Qui vt cognouit quid accidisset, & quæ de se iactarentur, nimirum apud Baiazetem insimulatum, quasi secus illi vellet, & insidias machinaretur: alioqui vrbem, & Imperatorem, eundemque patruum ipsius in eius auctoritate futuros fuisse: propter impotentem & inexorabilem viri animum vitæ suæ timens, noctu ad patruum Imperatoremque profugit: à quo benignè, & prouidè, vt munus aliquot pretiosum, cum osculo etiam acceptus, & pro persona curari diligẽter iussus est. Tempore procedente cupido Imperatorem cepit in Italiam proficiscendi, & auxilij implorandi, quod à Principibus illis desperabat, qui in caussa fuissent, cur Ameras vrbem obsedisset & obsideret; nempe ob missum ab ipsis Legatum, vt docuimus, per quem ad Ameræ semper aduersandum, & ad mutuam opem atq; defensionẽ conspirauerant. Abiturus, Ioannem ex fratre nepotem ad vrbem interea regendam, & impetum hostium propulsandum relinquit. Ipse cum Despœna coniuge in Peloponnesum soluens, Spartæ eam apud fratrem Theodorum deponit, & in Italiam porrò nauigationem subit: ac primùm Venetiis exscendit, post ad Ducem Mediolanensium pergit: à quo honorificentissimè, splendidissimeque habitus, & muneribus cultus est. Ingens præterea equitum peditumq;

ditumq; comitatus ei ad Franciæ regem adiunctus. Spopondit insuper Dux, si cæteri quoque in eandem voluntatem incumberent, semetipsum illi, & imperio Romano subsidio sponte venturum, ac discrimen depulsurum. Ad regem Franciæ cùm venisset, morbo grauissimo conflictantem, & mentis impotem offendit: cuius consiliarij responsum soli dare se posse negabant. Ita rebus infectis Constantinopolim repetiuit. Anno igitur ab ortu Christi * Septembris die 13. Ameras Baiazetes Iacupem Bassam, & Brenezem Peloponneso occupandæ cum exercitu quinquaginta millium misit: qui & in ipso itinere, & in insula multis incommodis, calamitatibus, ac seruitutibus Christianos mactarunt, vt paulò infrà in vita Baiazetæ ostẽdemus. Theodorus Despota rem Romanam tantis fluctibus agitatam, & vrbem imperatoriam tamdiu obsessam, tamque dira fame oppressam, periculosum insuper in Peloponneso bellum, & Christianorum Principum succurrere velle neminem cernens, omni spe abiecta, vna triremi Rhodum nauigans, Spartæ principatum societati Ioannis Baptistæ & Prophetæ vendidit. Ea societas quosdam Crucigerorum (cruces enim gerebant) eò ad possessionem adeundam transmittit. Quibus incolæ conspectis, & auditis quæ acta essent, hortante iracundia cũ sudibus, & saxis ad eos occidendos procurrunt. Ast Episcopus illius loci interueniens, & vulgus de huiusmodi seditione compescenda alloquens, effecit, vt dictis obtemperarent. Triduum itaque Crucigeris præfiniunt, quibus Spartæ finibus cum pace excederent. Quod nisi excessissent, malum habituros. Illi, quòd apparebat rem non ituram, & tumultum potius excitari atque animos exacerbari, & vitam suam in discrimen adduci, domũ remigrant. Spartiatæ Principis nomine Episcopum sibi præesse, & ab eo vtramque rempub. ciuilem, & ecclesiasticam regi cupiunt. Theodorus spe delusus, pretium societati reddit, quem Spartam in principatum redire studentem, populus verborum contumeliis opertum exclusit. Post multos tandem sermones, & refragationes, Episcopo adnitente eum recipiunt, & pristinum obtinere gradum patiuntur: cum eo, vt iureiurando promitteret, in sempiternum tempus huius rei amplius faciendæ in mentem sibi non venturum.

* * *

CAPVT

CAPVT XXI.

Thessalonicam vendit Venetis Andronicus. Obsidio Byzantij soluitur, propter expeditionem Temiris aduersus Baiazetem, & quæ caussa huius. Pax inter Baiazetem & Manuelem. Quo tempore natus sit hic scriptor, vnde, & quousque historiam perducturus sit. In iis quæ ante se natum, aut se adhuc paruulo cõtigerint quorum fidem sequatur.

EODEM tempore & anno, propter eandem caussam, quam paulò antè exposuimus, etiam Despota Andronicus Thessalonicam Venetorum senatui quinquagenis aureorum millibus venundedit. Constantinopolis porrò obsidium hac occasione solutum est. Audiens Ameras Temirem (*Tamberlanem alij vocant*) Scytharum & Massagetarũ regem innumerabiles contra se copias ductare, volens nolens ab obsidione discedit: pacé cum Imperatore & fœdus sancit, & in Asiam transnauigat, vti exercitum paret, quem Temiri opponat. Caussa cur Temires Baiazetem armis persequeretur hæc fuit. Asianorum Turcarum duces, siue Satrapæ, quos ille suis ditionibus expulerat, accedentes ad Temirem, precibus eum fatigabant, vti eos suis sedibus restitueret. Quoque magis illum mouerent, religionem communem, & generis propinquitatem prætendebant: addentes, se ipsum suæ regionis & patrem & patronum elegisse. His adiiciebant, vt cogitaret, se propterea Asiæ regem esse, vt nullo modo sineret sui generis homines, cum nullas facerent iniurias, à quoquam iniuriis, & contumeliis affici. Arbitrio autem eius omnia permittebant, pœnas daturi quascunque iussisset, si contra fœdera quippiam in Baiazetem commisisse deprehenderentur. Temires Baiazeti non indignabatur, quod hactenus contra hostes Mahometanæ religionis fortiter pugnasset, imò censebat ei plurimas gratias habendas. Vbi autem à plurimis ad se venientibus cognouit, eum neutiquam æquitatis esse studiosum, nec contentum Asiæ regno fore: verum, cum esset vehementioris ingenij, vt facilè turbini assimilaretur, expeditionem contra Syriam, & Aegyptum, & contra Memphiticum regem eum moliri, Legatos misit, per quos eum aliquo modo ducibus reconciliaret. Misit etiam per manus Legatorum vestem, vt moris est regum Asiæ, munus Baiazeti. Irritatus deinde superbo responso Temires, arma in illum

illum ſuſcepit. Cæterùm Manuele hoc imperante, dum vrbs obſidetur, ego in lucem editus ſum, anno poſt homines natos 6909. [Domini 1411.] die Auguſti tricesimo. Per ſacrum baptiſma regeneratus ſum, ſuſcipiente me ſanctiſsima matre Thomaide, de qua quam veriſsimè poterimus, opportuno loco referemus. A decimo autem anno poſt nongenteſimum, vſque ad octogeſimum ſextum, quæ ex multis præcipua euenerunt, & memoria digna videbuntur, perſcribam. Cæterùm quæ propter immaturam adhuc ætatem meam probè & exploratè per omnia mihi cognita non ſunt, quæque ante me natum contigerunt, partim à fide dignis & eruditis auctoribus ſumpſimus: partim à proceribus aulæ imperatoriæ, & conſiliariis, & ſapientibus ac prudentibus, & ſenibus audiuimus, quæ ſilentio prætereunda non putauimus.

CAPVT XXII.

Capitur à Tamberlane BaiaZetes cum vxore, filio, nobilibus. Tamberlanes quis fuerit: quales item Scythæ. Hiſtoria de Cyro à Tomyri regina obtruncato. Maſſagetæ quales, & eorum arma. Παρεσκευή ad narratiunculas de Imperatorum Oſmanidarum propagatione, & rebus geſtis.

VICESIMO octauo Iulij, Temires Maſſagetarum, Perſarum, & Aquilonarium Scytharum rex, Ameram Baiazetem cum vxore, & filio Moſe, aliiſque aulæ optimatibus non paucis cepit, totumque exercitum illius diſſipauit. Hic qualis fuerit, & vbi regnarit, qualiſque gens iſta Maſſagetarum & Scytharum, Turcarumúe, trans fluuium Araxem ad orientem incolentium, dicamus. Gens eſt arcui deditiſsima, & inhoſpitaliſsima, latè ſe porrigens, frequens, & ſtrenua, apud quam Cyrus ille magnus Rex olim, Tomyride regina, cæſus eſt. Quæ poſtquam caput ei amputauit, id in vtrem coniecit, eoque conculcato dixit: inſatiabilis Cyre, ſatiare. Maſſagetæ ſunt longè barbariſsimi, in equis expeditiſsimi, prædatores maximi. In bello & pugna armis vtuntur huiuſmodi, machæris, loricis, arcubus, ſecuribus, & clauis æreis. Indumenta & cingula ſunt aurea, acie congrediuntur coronati. Equorum item fræna, antilenæ, ſcuticæ, omnia ex auro.

Vniuersa eorum vita rigida, stolida, ferox, & militaris semper. Massagetarum, & Temiris ipsorum regis viuendi modus institutumque sic se habet. Verùm his omissis, ad Baiazetem, & maiores ipsius cursum reflectamus, differamusque breuiter, vnde descendant, quidque, & quàm fortiter gesserint. Hic Ameras Baiazetes quintus fuit ex Osmanica familia Imperator. Primus siquidem Ertucules, filius Soleimanis Scachi ponitur. Ertuculis Osman, Osmanis Orchan, Orchanis Amurates, Amuratis Baiazetes, &c. De quibus multi aliter scripserunt, atque inter se dissenserunt: sed vt quisque nôrat, & audierat. Ita & nobis placuit, quæ à viris prudentibus de illorum genealogia, & successione sæpe audiuimus, & legendo didicimus, scribendo complecti.

DIGRESSIO,

De origine, successione, rebus gestis Osmanidarum Imperatorum.

CAPVT XXIII.

Comneni Augusti ex fratre filius quare ad barbaros transfugerit. Filiam Ameræ benè dotatam vxorem ducit. Laudatur à multis rebus: omnibus charissimus, vt alter Mahometus. Filium græcis & arabicis disciplinis imbuit. Eius similiter apud omnes auctoritas, & gratia. Nouellas in Arabicum transfert. Christianis fauet. Ertuculem Osmanis patrem generat.

IOANNES Comnenus Imp. quodam tempore in oriente fuit, in præfectura Neocæsareæ vrbis aduersum Persas, & Sultanum Iconij bellum administrans. Complura de Persis castella cepit, Isaacij Sebastocratoris fratris sui filium secum habens. Cum exercitus in locis illis diu hæreret, & equos pabulum deficeret (vtpote regione arida, montosa, & cœlo frigido, vehementerque aspera, & insuper hyeme appetente) macie suprema conficiebantur. Imperator equis adeò strigosis metuens, exercitum obit, generosos colligit, eosque Romanis & Italis præbet, quos egregiè versare hastas, & in hostem pugnare posse sciebat. Hæc cum ille machinatus esset, & iam pugna conseréda, equitem Italum insignem,

insignem astare peditem cernens, Ioannem nepotem de Arabico equo cui insidebat, descendere, & Italo dare iussit. Ioannes elati, & supra modum ferocis animi, Imperatoris & patrui mãdatis pugnat, impudentiusque contradicit. Verùm quoniam id diu non potuit, exasperato illo vel inuitus equum Italo cedit, & alium ascẽdit, mœstusque nimium, & cor ira cumulatus, ad Turcas apertè transfugit. Quem quidem libenter, & amanter Ameras, barbarique suscipiunt, & Christi fide eiurata, pro Ioanne Zelebem *(quod lingua Turcica nobili locenatum sonat)* nominat. Præterea ipsius Ameræ filia Camero, cum dote locorum, regionum, atque vrbium, & grandi pecunia coniugio ei sociatur. Nec erat iuuenis ille græcæ eruditionis expers, & lingua Arabica disertissimus, necnon munificentissimus, & lautissimus: quod cum omnibus, tum præsertim barbaris gratum accidere solet. Exhibebat se item subditis facilem: quod sanè in ducibus valet plurimum, & in eo spes trophæorum sita est. Hinc etiam quod conantur non difficilè consequuntur. Sua faciebat, & dicebat esse communia. Omnium necessitatibus succurrebat, omnes adiuuabat, in omnes officia conferebat, & emergẽtes controuersias componebat, pacemque conciliabat: nec quisquam eius vel verbis, vel nutui aduersabatur. A socero autem, cæterisque vniuersis tantopere amabatur, vt & illo planè ex voluntate vteretur: & hi vt alterũ Mahometum celebrarent. Suscepit porrò ex Camero filium, nomine Solimanum Scachum, quem græcis arabicisque doctrinis institutum, sibi patri simillimum reddidit: quemque barbari colebant, & inprimis reuerebantur. Quocunque demum veniret, vbicunque habitaret, pro domino agnoscebatur, & fama eius totam Asiam peruagabatur. Idem plurimas Imperatorum Nouellas in arabicam linguam conuertens, vt eas Turcæ complecterentur obtinuit. Adeptus autem occasionem propter seditiones ac tumultus, quos aduersus Romanum imperium Itali concitabant, quidquid suo principatui vicinum Romanis parebat, sub potestatem suam subiecit, nec vllum vnquam Christianum lædere voluit: quin potius, qui suæ ditionis erant, multis prærogatiuis, & beneficiis, ac donis prosequebatur, & magis magis imperij sui terminos dilatabat. Hic Ertuculem Othmanis patrem genuit. Alij scriptores in alia opinione fuerunt,

Zelebem Ertuculis auum, non Ioannis Comneni Imp. ex fratre filium, sed illi tantùm cognominem fuisse.

Alia narratio ſuper origine.

CAPVT XXIV.

Sultanus Azatines occultè Chriſtianus manet. Ab Imp. Byzantium veniens auxilium rogat: domum reuerſus moritur. Filij contra Scythas, & Turcas in Aſia expeditio. Amurius Satrapa rebellis. Diſtractio Imperij Turcici. Ertuculis genus.

SVLTANVS Azatines (*fortè Aladines*) Chriſtianis parentibus ortus, & baptiſmo initiatus eſt. Fortuna autem ita ferente (vt multa fert) ipſe quoque Sultanus & Ameras, & Turcarum Princeps euaſit, Chriſtianæque pietatis præcipua myſteria occultè coluit, & Conſtantinopolim veniens, auxilium ab Imperatore cõtra Scythas, & Turcas, quibuſcum illi bellum erat, petiuit: vbi & ſacras imagines verebatur, & omnes cærimonias Chriſtianas ſine diſsimulatione obibat. Iſtro tranſito in principatum ſuum reuerſus, Melec filio præſente commune debitũ naturæ perſoluit. Melec igitur in Aſiam traiiciens, à Scythis, & Turcis paternum principatum requirit. Aliis Satrapis omnibus vt dominum ac Principem, & Ameram eum adorantibus, quidam Amurius nomine detrectat, conquiſitaque prædonum manu in eum ſe infert, fugatum, vſque ad mare perſequitur. Heracleam Ponti ſaluus deuenit. Vere ſe aperiente cum copiis ad Turcas reuerſus, paternum principatum redacquiſiuit. Nec multò poſt etiam iſte lucis vſuram reliquit, à quibuſdam de conſiliariis, & proceribus aulicis clàndeſtinè interfectus. Turcarum imperio hunc in modum rectore orbato, & rebus ex ordine, fortunaque ſplendida in confuſionem maximam commutatis, non modò Satrapæ, & quotquot genere, ac celebritate præſtabant, in partes plurimas imperium ſortitò ſibi diuiſerunt: ſed multi nihilominus obſcuri, & ſine nomine, perditorum hominum adiuncta colluuie, vitam in latrociniis exigere, finitimaſque Romanorum regiones & vrbes populationibus diuexare ſunt aggreſsi. Ex horum Præfectis vnus (vt traditum eſt litteris, & fama conſentit) genere non ita illuſtris erat: ſed à virtutibus & factis eximiè celebratus. Valebat enim prudentia & dexteritate, & cum in dicendo, tum in agendo pollebat egregiè. Eius ductum multitudo ſequens è prouincia exierat, quæ * dicebatur. Ac, propter intelligentiam, virtutem & iuſtitiam nõ à ſuis ſolùm, verumetiam à Turcarum

carum vniuersitate impensius diligebatur: subdebantque se, & obtemperabant illi reuerenter. Hîc genuit * qui patri succedens, eũ exprimebat omnimodis, & tota Asia per ora virûm volitabat, ac multi præterea sub eius imperium vltro volentesque concedebant, eumque beneuolentia summa comprehẽdebat, & honore honestabant. Principatum suum probè administrabat, & quibus poterat rationibus amplificabat in dies. Sed ista in medio relinquamus, de quibus discendi cupidi, & lectores iudicent: est enim propter diuersas historicorum sententias ambigua & incerta narratio. Ad Ertuculem redeamus.

DE ERTVCVLE.

CAPVT XXV.

Ertuculis sollertia, magnanimitas, bellica virtus, præclarum de posterorum suorum opulentia, & maiestate somnium. Quos locos deprædatus sit. Qua existimatione apud suos floruerit.

ERTVCVLES fuit homo impiger ad omnia, & magnanimus, patre auoque superior, breui tempore armis excelluit, ac loca nonnulla, & regiones Romanis primo aduentu eripuit. Quin propter temporum perturbationem etiam satrapis suæ gentis castella non pauca extorsit, eratq; terrori omnibus. Aiunt huiuscemodi visum ei oblatum esse. Ambulanti forte, maximis solis feruoribus, placuit, vt fesso de via, paulùm quiescere, recubansque sub vmbra arboris obdormiuit. Tum ei non sine magno dolore visa est de ventre vrina profluere sanguinea, & qua in terram fluxit, repẽte arbor sanè quam speciosa exsurgere, ramis velut aureis, tenerisq; & delicatis prædita, & radice solida. Modico interuallo rami isti adeo in longum se propagarunt, vt orbem terrarum ambire viderentur: sub quorum frondibus omne genus volucrum innumerabilium sedebat. In harum medio aliquot aquilæ, paruæ & magnæ visebantur: procul autem, & è regione aliæ quædam aquilæ considebant, arboris pulchritudinem contemplantes, quæque illam occuparant volucres, & aquilas quodammodo incusantes, ac deridentes. A radice flatus vehementissimus, & fulgura, & tonitrua, & tempestas turbulenta existebat. Aquilæ remotæ, cum procellam spiritus, & magnitudinem tempestatis sustinere non va-

 lerent,

lerent, volentes nolentesque sub frondes admirandæ & bellissime umbrosæ arboris ipsæ quoque se receperunt. Quarum quibusdam vngues è frigore præmortui sunt: quibusdam alarum pennæ deciderunt, vt volatum inire nequirent: quædam omnino perierunt. Expergefactus Ertucules, & perculsus animo, de loco abit: visum cuidam coniectori, astrologiæ doctissimo enarrat. Is ex planetarum, & signiferi orbis, stellarumq; motibus quid hęc portenderent cognoscens, sic infit. Bone vir, qui abs te genus ducent, reges magni in spatio breui numerabuntur, & eorum regnum mirè toto mundo propagabitur, aliosq; reges ac principes domabunt, è prouinciis ipsorum profligabunt, & occident, nationesque multas tributum ferre cogent, & sub iugum eas mittent: quos reuerebuntur, & timebunt quantum est gentium, omne genus hominum, omnis tribus, omnis lingua. His dictis Ertucules noua perfusus est lætitia, & quod agebat, in eo adhibebat studium alacrius, magnaque cum fiducia, & ferocia certamina inibat. Diebus aliquot exactis, nauibus prædatoriis, biremibus & vniremibus quæsitis, celeriterque rebus omnibus comparatis, & strenuorum militum numero imposito, complures de Cycladibus insulis in Aegæo pelago iacentibus depopulatur, & de indigenis seruos facit. Traiiciens item in Thraciam, è præfectura Aeni, & Peritheorij non paucos Christianos captiuos abripit. Deinde vsque ad Euripum & Græciam cursu directo, locis nonnullis damna dat. Ad extremum etiam è Peloponneso ampla ditatus præda, conuersa nauigatione in Asiam, cum captiuorum multitudine & diuitiis redit: acceptusque est à reliquis Satrapis, & vulgo amanter, & acclamatum illi à barbaris. Ex eo præ omnibus Satrapis in summa veneratione, & admiratione fuit, & prælatus vniuersis: quia nauigare, & in mari versari nosset, quod per ea tempora gens Turcica nauigationis insolens atque imperita esset. Hic Othmanem, siue Osmanem procreauit, à quo tota Imperatorum propago, atque adeo gens ipsa Othmanidæ, seu Osmanidæ postea nuncupati.

DE OSMANE.

CAPVT XXVI.

Osmanes prouinciarum diuisionem inducit. Quæ cui Satrapæ obtigerit. Eius in alienis inuadendis cupiditas, & auaritia.

ERTVCVLE rebus humanis exempto, Othmanes, vti diximus, paternum regnum occipit, anno mundi 6063. Christi 1265. Hic aliquandiu cũ cæteris Satrapis concordiam amicitiamque seruauit; bella aliquoties Romanis intulit, quibus ipse interfuit, ac præfuit: Deinde cum ei cõsensus iste atque communio, pariq; iure omnes contineri, & neminem differre ab alio displicuisset, paruo momento huius concordiæ disturbandæ caussam inuenit: dissidioque introducto, se diuisuros pepigerunt, quęcunque de Romano imperio abstraxissent, vt quilibet quod sortitus esset, eius dominus ac princeps agnosceretur. Ac primùm quidem filij Amurij Chasan & Mahomet, quidquid à Sangari fluuio vsq; Paphlagoniam terrarum est, acceperunt. Magnesiam, Prienen, Ephesum cum locis adiacentibus Sasan accepit. Quæ inde vsq; Smyrnam, & maritima Ioniæ pertinent, Sarchanes. Maiorem partem Phrygiæ maioris, & insuper vsquo Philadelphiam, & proxima omnia à Męandro fluuio vsq; Antiochiam Caramanus Alisurius. A Lydia, & Aeolide vsque ad Mysiam ad Hellespontum, omnia Calases cum Carase filio. Finitima Olympi, & Bithyniam Othmanes. Hunc in modum regiones armis ab se partas dispertierunt, & his finibus cuiusque ditionem circumscripserunt. Cæterùm Osmanes amplioris imperij desiderio accensus, & alieni auidus, non quiescebat, sed terminos transiliens, aliis locos multos per iniuriam eripiebat, eosq; vexabat vehementer, dum partem suam & principatum extendere omni ratione niteretur. Deinde Romanos armis adoriens, quę restabat pars Bithyniæ, eam quoque ipsis abstulit. Bellum insuper cum Principe Sebastiæ, vrbis clarissimæ gessit; quo capto & interfecto, eam, & prouinciam, & totam illius toparchiam sibi ascripsit. Talibus initiis eius regnum stabilitum & illustratum est. Postmodum rursus ad aliorum Satraparum, sodaliumque suorum prouincias conuersus, quidquid inde potuit, locos quosdam & castella & cum conditione, & sine conditione, vt prædo & tyrannus pro suo vsurpauit. Expletis demum in regno annis duo de triginta, morte consopitus est, hærede filio Orchane, anno mundi 6801. indictione vndecima, nempe anno Domini 1293.

CAPVT

DE ORCHANE.

CAPVT XXVII.

Orchanes in regno prolatando patrem sequitur. Quæ aliis ademerit. Sororem Ioannis Imp. ducit, cui ad imperium recuperandum armis opitulatur.

ORCHANES patrem in regno excepit, cuius per omnia imitator, modum & occasiones quæritabat, quibus patrimonium & regnum suum quàm latissimè porrigeret: nec illum dies, aut noctes cura vacuum viderunt, perpetuò bella & pugnas parturientem. Lacessiuit homophylos, quos sæpe vicit, totamq; Mysiam bellica vi acquisiuit, prætereaque Lycaoniam, Phrygiam, Cariam, & vsq; ad mare, & fluuium Eurymedontem, & reliquum Bithyniæ (Nicomediam puta Nicæamque) & non pauca oppidula atque vrbes, celebratissimamque & pulcherrimam Prusam, ad radices Olympi montis sitam, quæ adhuc Romanis suberant, suis prouinciis addidit. In oppugnatione Prusę, vulneratus est pedem dexterum. Copiis item in Cherronesum Thraciæ transductis, aliquot oppidula subiugauit, quę postea Ioanni Imperatori, sorore eius in matrimonium ducta, propter affinitatē vltro restituit, vt alibi diximus, auxiliisq; suis adiutum, imperio paterno reddidit. Vitam amisit, cum regnasset annum septimum & quinquagesimum, menses nouem, dies duodecim; aut, vt alij volunt, annos sexaginta. Surrogatus est filius eius Amurates.

DE AMVRATE PRIMO.

CAPVT XXVIII.

Mores Amuratis. Quæ occuparit. Fœdus cum Ioanne Imp. Filium Mosen capite punit. Eius victoriæ plurimæ. Mors ex insidiis. Humanitas & liberalitas in Principes Christianos.

POST obitum Orchanis Amurates ad fastigium regni extollitur, anno mūdi 6858. indictione duodecima. Quoquò versum rectum eius ingenium, animo virilis, cerebrosus, versutus, & in bellis dexter supra omnes maiores suos. Multa præclara, & nullo obliteranda sæculo ad incremen-

tum regni sui perpetrauit. Hic, vt supra docuimus, primus in Europam traiecit, & Calliopolim, nec minimam insuper Thraciæ, & Macedoniæ parté Romanis ademit. Tandem fœdus, & amicitiam cum Ioanne Imperatore sanxit. Quosdam Satrapas in Asia à fide desciscentes, eò cum eodem concorditer profectus, ad officium adegit. Cum Amurij nepotibus certamine congressus, totã Paphlagoniam, vsque ad flumen Sagarim iis victis fugatisq; occupauit. In Europam renauigaturus, vt filium suum Mosen cum Andronico Ioannis filio perduellem factum didicit, acerbè tulit. Transmittunt celeriter, militem in eos expediunt, vincunt, fugant, comprehendunt, Ameras suo caput ceruicibus desecari, Imperator suum oculis priuari iubet. Posthęc Bulgaros & Seruios petens, modica prouinciarum parte eos spoliauit. Intermisso tempore aliquãto, Lazarum Seruiæ Despotam bello denuò aggressus, vicit; eius exercitum dissipauit, iterumq; vrbes & loca Seruiæ multa subegit. Septem & triginta magnis præliis semper vicit ac triumphauit. Ad extremum à Lazaro, quem nominauimus, dolo necatus est, exactis in regno annis tribus & triginta. Vezires, siue consiliarij eius, clam omnibus filium Baiazetem accersierunt, qui & exercitus, & totius in Europa atq; Asia imperij ius potestatemque accepit. Fuit Amurates in omnes liberalissimus, & vita splendidus. Christianis dominis ac dynastis sibi subditis, & in eius regia degentibus alimenta benignissimè, & alia beneficia quotidie tribuebat: nec cum iis accumbere, & vultu hilari quam iucundissimè versari desinebat.

DE BAIAZETE.

CAPVT XXIX.

Baiazetes quare Gilderun cognominatus. Fratrem Musulmanum strangulat. Eius expeditiones. Constantinopolim obsidet. Peloponnesum vastat. Argos vrbs cum ciuibus hostiliter tractatur. Tamberlanes cur Baiazeti bellum fecerit. Fastus & arrogantia Baiazetis, Tamberlanem despicientis. Copiarum vtrinq; numerus. Conflictus in Phrygia. Baiazetes cum vxore, filio, nobilibus capitur. Eius quamuis capti arrogantia. Pœna ignominiosa.

BAIAZETES imperium occœpit anno 6881. indictione sexta. Dictus est idiomate Turcico Gilderun, cui voci fulguris subiecta est notio. Erat enim ad omnia promptus &

 solutus,

ſolutus, & quæ incipiebat, volebat omnia cum celeritate, & impetu fieri. Idcirco hoc ei cognomenti eſt impoſitum. Metuens autem, ne Muſulmanus frater, patris obitu audito rebus nouandis ſtuderet, fraudem comminiſcitur. Mittens, eum repente patris nomine accerſit. Is rerum ignarus, nec quidquam formidans mali, adeſt; comprehenſo gula frangitur. Ita deinceps ſollicitudine Baiazetes leuatus, vere primo copias omnes in vnum conducit, traiiciensque in Aſiam, & in Armeniam impreſsionem faciens, totam ſub imperium ſubiungit, Colchos domat, & Amaſtrim, cuius Ameram expellit. Deinde contra Ameram Sarchanen ducit, ipſumque vincit, & ingreſſo auctumno Ameram Maëdes ſimiliter, hyeme Theloch, & Methenen Ameras oppugnans, victoriam reportat, ipſos fugat, vxores eorum cum liberis in ſeruitutem rapit, totius prouinciæ dominatum arripit. In Europam reuerſus, in Hungaros mouet, quibus ſemel iterumque ſuperior euadit. Albaniæ portionem occupat: infeſto agmine in Miltzam Blachiæ ſeu Valachiæ Principem procedit, quem parte regionis non parua exuit. Miltzas dehinc ad apertam dimicationem in locum quendam difficilem prodit. Ameras loci incommoditate abſterritus, pugna relicta diſcedit. Tandem Miltzas ei fit ſtipendiarius, ita pax conuenit. De Bulgaria autem, & Seruia partes abſtulit non exiguas. Cum Imperatore item Germaniæ Sigiſmundo bello decertauit. Venit Nicopolim vſque Sigiſmundus; occurrerunt ſibi exercitus. Verùm Chriſtianis ipſorum ſtultitia cladem indigniſsimam peperit, multaque cum ſtrage in fugam verſi, multi etiam capti ſunt. Poſtea Conſtantinopolim patriam noſtram obſedit; adeoque præceps, & acer erat ad omnia, vt ei vnam vrbem obſidione premere nõ ſufficeret: ſed nihilominus Iacupem Baſſam, & Brenetzem cum ſex & quinquaginta millibus in Peloponneſum mitteret, qui omni quo potuerunt genere maleficij inſulam lacerarunt. Venerunt etiam Coronam vſque, & Methonem. Inde conuerſi, vetuſtam, & clari nominis vrbem Argos expugnarunt, abductiſque captiuorum triginta millibus, in Aſia colonias inſtituerunt, & euerſis mœnibus deſertam reliquerunt. Anno mundi *6903*. à Chriſti nato *1296*. indictione quinta, Dinus Ameras, & alij quidam ſuis ſedibus à Baiazete pulſi, ad regem Temirem (Tamberlanem) flentes, calamitatem ſuam conqueſtum adierunt. Temires ſuccurrere miſeris cupiens, legationem ad Baiazetem mittit, in hanc ſententiam. Iniuſtum videri, homines eiuſdem gentis, & religionis ita affligare. Hortabatur proinde, vt ſuam cuique ſatrapiam

piam redhiberet, si se amicum sibi vellet. Ameras inexplebilis auaritiæ, & moribus turbulentus ac vehemens, orationem istam pro nihilo putare, & Temirem eius dominum & auctorem ludibrio habere, ac rusticum appellare. Temires ex Legato huiusmodi Baiazetis in se conuitia rescifcens, eiusque insolentiam perspiciens, succensus ira, & quantum suppetebat copiarum contrahens, in illum progreditur. Re comperta Baiazetes suis quoque collectis, Temiri festinato, viriliter, fidenter, & magno animo occurrit. Constabat Ameræ exercitus centum quinquaginta millibus: Temiris octingenta & viginti millia conficiebat. Adhuc tamen Baiazetæ magnitudo animi Temirem vili pendere non reformidabat. Cum in Phrygiam ab vtrisque ventum esset, iamque acies in propinquo consisterent, ingens tubarum clangor exauditus est, dimicatumque fortissimè. Denique Baiazetis exercitus terga dat: in fuga multi capiuntur: quibus nihil aliud molestiæ factum, nisi quod vestibus & armis nudati, atque ita dimissi sunt. In fuga præterea Baiazetes cum vxore, & filio Mose, aliisque multis aulæ suæ nobilibus comprehensus, atque in Temiris conspectum adductus est. Qui de victoria omnibus incedens lætitiis, Baiazetæ *inquit*, improbissimum caput, cur prauis animi tui cupiditatibus non imperasti, ne huc deuoluerere? an nescis meas copias inuictas esse? Deinde regificum eius apparatum & elegantiam, & tentoria illa pretiosa, tantamque auium venatricum, & canum multitudinem admirans, rursum, dic mihi, inquit, stulte, & delire, quid tibi profuit cum tanto apparatu superbia tua? Tum ille. Satis sciebam non placiturum tibi, vt agresti Scythæ, & obscuri generis, apparatum regium, qui te nunquam decuit. At me, vt Amuratis filium, & Orchanis nepotem, & Osmanis pronepotem, & Ertuculis abnepotem hæc & plura facere, habereque decet. Tam confidenti sermone irritatus Temires, caueam ferream cancellatam fabricari curat, in qua eum vinctum catenis aureis includit, ac paulò post morte afficit. Regnauit annos sex supra viginti, vixit captiuus menses octo.

De quinque filiis Baiazetis.

CAPVT XXX.

Motus & perturbatio rerum ex discordiis filiorum Baiazetæ. Musulmanus Iesse fratrem elisis faucibus necat. Moses à Temire donatus libertate, Musulmanum fratrem prælio superatum occidit. Obsidionem Byzantij cogitat. Terra mariq; ab Imp. vincitur. Orchanem fratris filium pugna inferiorem excæcat. Eum Mahometes frater minimus debellatum interficit.

REBVS sic transactis, vt exposuimus, & Baiazete capto, imperium Othmanicum ob dissidia, & bella inter filios eius enascentia, confusione ac discrimine magno inuolutum est. Ad quorum aures vbi fama de interitu paterno peruenit, quisque pro se elaborauit, vt in regnum eueheretur. Transeunt igitur in occidentem germani quatuor: Moses enim captiuus cum patre factus erat. Ex his Iusuph Spiritus sancti radiis illuminatus, Christo nomen dedit. Reliqui conceptis inter se odiis dissidentes, armis concurrunt. Iesse ad tempus præualet, cui omnes necessitudines cum Manuele Augusto intercesserunt. Idem collecto milite Hungariæ regem adoriens, nihil egit. Similiter Seruiæ Despotam lacessens, nullum est operæpretium consecutus. Et cum in Asiam transmisisset, vt in Musulmanum fratrem iret, eo sibi in Cappadocia occurrente, superatus fugit. Verùm ab insequentibus retractus, & fratri oblatus, eius iussu spiritu intercluso ê medio sublatus est, postquam imperauit menses * Ita Musulmano rerum summa cessit. Temires postmodum fratrem eius Mosen liberum dimisit, qui clam in Europam transgressus, & à Despota Seruiæ sufficienti copia adiutus, loca Europæa sibi subiugauit. Hoc cum primum Musulmanus frater in Asia accepit, inde abnauigauit, vt per Byzantium fratri se obiectum iret. Et quoniam eum non vulgaris amicitia cum Imperatore coniungebat, & is Theodori Despotæ filiam connubio ei copularat, paucis diebus in vrbe commoratus, contra Mosen mouit. Prælio commisso, Musulmanus à Mose debellatus, captus, & necatus est. Moses monarchiæ potens, terrestrem naualemque exercitum aduersus vrbem (Constantinopolim) conquirit. Eo comperto, Romanorum Imp. classem armat, cui Manuelem spurium fratrem pro Drungario præficit. Iuxta insulam Platen classes sibi occurrunt, Mo-

ſis periit: pars quippe demerſa, pars capta eſt. Pauca admodum nauigiola quæ reſtabant, incommodè effugerunt; victoria penes Romanos ſtetit. Similem in terra calamitatem pertulit. Quæ vt nuntiata ſunt, cum ignominia receſsit. Imperator denuo artes excogitans, quibus Moſen penitus frangat ac debilitet, in Aſiam mittit, Muſulmani filium Orchanem auocat, & in Europa dominum conſtituit. Collatis ſignis Orchanes inferior diſcedit, à duce ſuo, & primario Vezire Sampane proditus videlicet. Captum Moſes patruus oculis multat. Mahometes porrò minimus natu filiorum Baiazetis, fratrũ metu perculſus fugiens, cum quodam artifice arcuario, in locum quendam venit, vbi pro mercenario ſeruiuit, ne à fratribus agnoſceretur. Cum iſta vili conditione vt paulò grandior natu euaſit, ſtatum rerum conſiderans, ipſe quoque fortunæ ſe permittit, & ad Caramanum Cappadociæ Ameram confugiens, auxilium ab eo poſcit. Qui eum amicè ſuſcepit, dataq́; dextera copias aduerſus Moſen fratrem eius eduxit. Ac primo quidem & altero conflictu Moſis exercitus triumphauit, & Mahometis diſturbatus eſt. Tertium adhuc fortunam experiundam ratus, ad Seruiæ, Bulgariæque Principem, & Imperatorem ſe conferens, ab iis opem ſubſidiumq́; flagitat. Qui cum ei dextras, & quantum ſufficeret militum dediſſent, rurſus aduerſus Moſen ducit. Prælio inito, Mahometes multos duces & centuriones Moſis pecunia corrumpit; itaq; ad eum transfugiunt. Hoc animaduerſo Moſes ipſe quoq; in fugam ſe effundit, & in loco quodam nemoroſo latet. Quem inuentum dux Mahometis, mandatu domini ibidem præfocat. Imperium igitur propter inteſtinas fratrum diſcordias annos tres, & menſes duos laborauit.

DE MAHOMETE PRIMO.

CAPVT XXXI.

Mahometes auget vectigalia. Prouinciæ occupatæ. A Venetis nauali pugna vincitur. Manuelem & Principes Chriſtianos diligit. Adrianopoli ſedem regiam conſtituit. Eius mores.

MAHOMETES totius imperij paterni cum tantis defatigationibus atque moleſtiis poſſeſsionem cepit anno mundi 6907. qui fuit annus Domini 1344. Primum eius opus fuit Maurouałachiæ, (*Valachia nigra*) & Bogda-

niæ tributa augere quantum potuit. Quidquid regionum in Asia Scythæ, capto eius patre occupauerant, breui interuallo recepit, & toparchas suæ gentis ac religionis, quos pater fortunis expulerat, & Temires restituerat, hic deintegro eiecit; Galatiam, Cappadociam, Pontum, totamq; Asiam superiorem in potestatem redegit: Ismaëlem, Sinopij Ameram stipendiarium fecit, & à Lydia vsque ad Aeolidem, & Mysiam iuxta Hellespontum subegit omnia. Cum Venetis etiam prælium miscuit: quorum classis Petrum Lauredanum Præfectum habebat. Classes ambæ inter Proconesum, & Calliopolim obuiam factæ. Pugna occœpta, multæ Turcarum naues, & triremes depressæ sunt. Inde pax composita. Hic Ameras Manuelem Imperatorem, reliquosque Principes vicinos Christianos amplectebatur. Et iam animam agens, filio suo Amuratæ mandauit, vt eundem Manuelem ipse quoque diligeret, eique operam nauaret. Hic primus Adrianopoli sedem regiam collocauit, quam maiores eius Prusæ habuerant. Beneficentissimus, & in amicos effusissimus, hostibus autem vsque ad obitum infensissimus erat, semperque nouas rationes meditabatur, quibus malè erga se animatis perniciem atque interitum afferret. Anno regni decimo septimo vita caruit.

DE AMVRATE SECVNDO.

CAPVT XXXII.

Amurates Mustapham patruum ab se victum iugulat. Constantinopolim incassum obsidet. Thessalonicā acquirit. Ladislaum Hungariæ regem vincit. Valachos irrito conatu inuadit, altera pugna victor abit. Prouinciæ ab eodem subactæ. Ladislaum occidit. IanitZaros quomodo formarit. Eius summa seueritas & iustitia.

MORTVO Amera Mahomete, qui Cyritzes cognominatus est, filius eius Amurates adueniens, imperij habenas capessit, anno mundi 6924. qui fuit annus Christi 1416. indictione octaua. Autumno ineunte, quanquam hyemem secuturam sciret, non quieuit: sed exercitu conscripto, patruum suum Mustapham est aggressus, quem statim parta victoria spiritu & vita priuauit, præmissoq; Michaële Bego, ipse superueniens, vrbem (Constantinopolim) obsedit, per caussam, quod

Impe-

Imperatores Mustaphæ (vt post fusius diceretur) auxilium tulissent. Verùm cum nihil proficeret, pacis fœdus cum Imperatore percussit, cum se Domina, nouercæ ipsius Amuratis mater pro sequestra interposuisset. Hinc Thessalonicam, tum subiectam Venetis oppugnandam suscipit, & suam facit. Hungariæ quoque partem non minimam rebus suis adiunxit, prælioque cum Ladislao Hungarorum rege conserto, victoriam retulit. Tamen in Valachos, & Maurouala-chos irruens, operam lusit, & cum detrimento recessit. Iterum in eos ducit. Valachi Hungaros subsidio vocant. Dimicatur, Ameras vincit, victi palantes fugiunt. Tenet fama, in pugna illa Hungarorum, Valachorumque amplius triginta millia cecidisse, Turcarum perpaucos desideratos esse. Partem veteris Epiri, Aetolos, Acarnanas, Thebas, Athenas, totam Bœotiam, Helladem bello vindicauit, & Ameram Cæsareæ ad extemum sibi subiecit, deleuitque, ac tota illa ditione, exceptis quibusdam castellis, in montibus altissimis, vbi Caramanus habitat, potitus est. Ladislaus Rex cum aliis quibusdam Principibus Christianis conspiratione inita, iterato Amuratem prouocare est ausus. Sed apud Varnam oppidum, propter imperitiam bellicam rem malè gessit. Namque certamine deuictus & occisus, & exercitus eius dispersus est. Post hæc Mysiam superiorem ingressus, pleramque partem tributariam reddidit, & Bosinam, ac Ioannem Castriotam penitus sui iuris ac potestatis fecit. Hic primus Ianitzaris prærogatiuas impertiit, & quod vsque hodie præstant munus, ipsis imposuit. Nam ante id tempus eius legionis alia consuetudo, aliud officium, & genus vestis erat. Iussit item vxores non ducere, ne illarum, liberorumque cura distinerentur: sed in militia soluto semper animo versarentur; voluitque eosdem filios suos appellari. Iustus admodum in subiectos, futurorum prouidus. Seueriter Satrapis ac iudicibus mandabat, ne in quenquam iniuriosos se præberent. Quod si quis eorum vel minimum eius iussum transgrederetur, citra misericordiam capite pœnas persoluebat. In bello periculis se obiiciebat, cui fortuna nunquam non fauit. Tandem vitam monasticam apud Prusam excoluit. Adhuc superstes in minorem filium Mahometem imperij auctoritatem omnem trāstulit: Aladines enim natu maior in venatione ex equo præcipitatus interierat. Sed cum suscepti monachismi pœniteret, Halibassa inter Consiliarios fidissimo adiuuante, ad gubernationem dolo quodam regressus est. In cōuiuio apoplexia ex nimia vini copia tactus periit. Regnauit annis quatuor & triginta: aut, vt alij tradunt, duos supra triginta.

CAPVT

MAHOMETES SECVNDVS, à quo Constantinopolis capta est.

CAPVT XXXIII.

Vezires adolescenti Mahometi tantum onus totius imperij committendum negant. Eius prudentia militaris, eruditio, lectio historia Augustorum Romanorum. Byzantium, & Trapezuntem occupat. Aliis prouinciis & insulis imperium exaggerat. A Rhodo reiicitur. Decem regna, vrbes ducentas subigit. Quinq; linguas præter suam nouit. Digreßionis super origine, & rebus gestis Sultanorum Othmanidarum conclusio.

CVM Mahometes ex asse imperiũ suscepisset, anno mundi 6958. indictione decima quarta, quoniam peradolescens erat, quidam seniores Vezires Amuratem monuerunt, ne tantam regni molem ætati tam immaturæ committendam putaret; ne spiritus iuueniles ei periculum aliquot crearent. Mahometes hæc agitari sentiens, tacitus furebat: multos etiam de his Veziribus postea interemit. In acie quidem ordinanda puer senex, & ad summum peritus videbatur. Apparebat etiam industrius & acer in omnibus. Virtutis cultores, eruditosque homines amore prosequebatur; nec ipse nesciebat litteras, & in disciplina astrologica progressus effecerat non mediocres. Assidua lectione delectabatur, legebatque facinora & vitam Alexandri Macedonis, Octauiani Cæsaris, Flauij Constantini Magni, Theodosij Magni Impp. Constantinopolitanorum quærebatque & indagabat rationes, quibus omnium antecedentium gloriam superaret, imperiique fines quàm latißime proferret, quod etiam præstitit. Audita igitur morte Amuratis, Caramanus Alisurius è montibus descendens, plerumque regionis occupauit. Iuuenis Imperator, comparata manu eum excepit: qui in fugam versus, iterum montium iuga petit, donec aliquanto post omnino nullus fuit. A pulso Caramano Calliopolim, deinde Adrianopolim concessit, vbi se aduersus Byzãtinum imperium instruxit, & vrbem fama ac prædicatione adeò nobilitatam in ditionem adduxit, nosque inde captiuos expulit, & exterminauit. Inde profectus Trapezuntem, illud quoq; regnum breui spatio cæteris addidit, & regem eius Dauidem Comnenum captiuum Constan-

Constantinopolim perduxit, vrbemque celeberrimam Sinopium (quam decessores eius tantummodò vectigalem habuerant) hic armis expugnato eius Amera, penitus propriam effecit. Deinde fracta pace, quę illi cum Despotis firmata erat, in Peloponnesum duxit, eamque pulsis Despotis totam, vt & reliquum Seruiæ, eius Despota cum matre fugato, sub imperium subiunxit. Chium & Lesbum insulas citra armorum vim pendere tributum compulit. Postmodum Lesbum vniuersam ad sua regna aggregauit. Deinde Cyprum aggressus, cum eius rege de tributo sibi persoluendo pactum feriit, atque ita recessit. Postea aliam classem contra Rhodum ædificauit, ornauitque. Verùm re infecta discessit, amissis etiam pluribus, quòd classis quædam ex Italia cum auxiliis aduenerat. Ipse ira æstuans, vt Italis par referret, classem magnā parauit, multis peditibus & equitibus, quam in Calabriam, & Apuliam misit, quę in itinere Zacynthū & Cephaleniam vectigales fieri coëgit. Appulsa classe ad Calabriam, & Apuliam, oppidum Hydruntem obsedit, & occupauit. Aliis item oppidis in deditionem acceptis, vltra processit. Ac nisi Deus id prouidens eum hinc abstulisset, ærumnæ nostris pares subeundæ Italis fuissent. At postquam Satrapæ, & duces exercitus atque classis de illius obitu certiores sunt facti, cum conditionibus oppida occupata deserentes, Italia excesserunt. Res in Calabria sic se habuerunt. Imperitauit annis duobus & triginta. Acquisiit bello regna decem, & Christianis vrbes ducentas ademit. Quinque linguas præter suā nouerat, græcam, latinam, Chaldaicam, Persicam. In congressibus cum hominibus eruditis ac prudentibus erat hilaris Quare etiam Gennadium Patriarchā beneuolè complectebatur, & audiebat, frequenterque cum eo sermones conferebat. Affirmabat, ex astrorum conuersionibus didicisse, se reges & loca subacturum, quemadmodum euentus comprobauit. Et ita quidem, vt nos compendio explicauimus, Ameræ Othmanis, eiusq; posterorum genus, vsq; ad Mahometem Secundum se se habuit, & in vita bella & pugnas istas obierunt, atque has victorias compararunt. Nunc ad intermissum historiæ ordinem regrediamur.

Ad interruptam historiæ seriem reditio, cui statim breuis subiicitur digressio, hoc & sequentibus duobus capitibus.

CAPVT XXXIV.

Manuel in Peloponneso instaurat Hexamilium, siue Isthmum, aliquando reædificatum à Iustiniano Imp. Promissio narrationis de Creta. Successores Mahometi quomodo regna prouinciasq́; distribuerint.

MENSE Iulio anni 6921. qui fuit à Christo nato 1415. Manuel Constantinopoli in insulam Thassum discedens, suam fecit. Mense autem Septembri anni sequentis rursus inde Thessalonicam abiit; deinde in Moream seu Peloponnesum, vbi Hexamilium reædificauit eo loco, quo ante constructum fuerat, quando Artaxerxes rex cum infinito exercitu ex Asia contra Græcos traiecit. Postmodum neglectum, diuturnitate tẽporis omnia consumentis paulatim collapsum fuerat. Instaurauerat prius Iustinianus inter Imperatores sempiterna colendus memoria, non quidem necessitate aliqua, cũ ei pareret orbis pœnè vniuersus: Sed quod id laudabile videretur. Et quoniã alia multa splendidè sumptuoseque ædificauit, quibus imperium Romanum cohonestauit, placuit ei Isthmum quoque reædificandum curare. Factum vt iussit, in loco, vbi quodam tempore Patricius Nicetas, cognomẽto Oriphas, triremes Romanas per aridam Isthmi ex mari Helladico in occidentem trahens, Agarenos Cretenses fugauit. Quomodo autem, & quare hæc magna expeditio, & illustrissimum, perpetuoq́; celebrandum opus susceptum fuerit, dicere non prætermittam; sed narrationi nostræ inseram. Insuper, quo pacto Insula Creta in potestatem Agarenorum venerit: & rursum, qua ratione ad Romanos redierit, & demùm sub Venetorum ditionem concesserit; ac tum denique ad institutum redibimus, & nouæ historiæ narrationem continuabimus. Execrandi successores Mahometi, & imperij eius hæredes, primùm quidem Persidem, Mediam, Babylonem, & Assyriam possederunt; hodie etiam in Aegypto, Syria, Asia, Palæstina, Libya,

Libya, Africa, & multis Europæ regionibus dominantur. Aliquando inter se dissidentes, vnum & magnum principatum in multos diuiserunt, & alium regulum seu Principem Persis, alium Babylon, alium superior & inferior Asia, alium Tarsus, alium Tyrus, alium Iconium, alium Melitene (quæ tam multis & præclaris rebus scatet) alium Chalepenum, alium Damascus, alium Aegyptus, alium Libya, alium Africa, Iberia Europæa, quæ Hispania dicitur, sortita est. Vicini autem, quotidiè controuersiis inter eos exorientibus, ad pugnas descendebant.

CAPVT XXXV.

Agareni Hispaniâ egressi, ex insulis prædas agunt. Cretæ laudes: quam primùm depopulati, postea incassum à Romanis defensam occupant.

HISPANIAM porrò incolentes Agareni, numero mirum in modum aucti, regionem steriliorem, nec ita fœlicem cernentes, cuius proinde fructibus commodè ali non possent, ad Principem suum Apochapsum Amerumnem adeuntes, coloniæ deducendæ facultatem petiuerunt; affirmantes, se nimium coarctari, & rebus tuendæ vitæ necessariis egere. Qui petitione lætatus, naues longas statim ædificandas curauit, quibus manum imposuit, quæ ad proximas insulas deprædandas sese conuertit. Quas cum multis cladibus afficerent, nemo tamen inueniebatur, qui resisteret; omnes Michaëlem Balbum Augustum auxilium poscebant, qui tum bellis ciuilibus distrahebatur. Hinc multa ex omnibus illis insulis commoda sibi comparabant. Venit tandem Cretam vsque, quam cum incursasset, quantum poterat captiuorum abduxisset, insulæ bonitatem, fertilitatemque animaduertisset, ad suos conuersus dixit, *en terra fluens lacte & melle.* Hæc barbarus de Creta, quam poëta his verbis commendauit; Creta honorata, nutrix Iouis. Magnitudine item, rerum vbertate, & pascuorum abundantia insignis. Verborum nihil adiecit: sed classe omni prædarum genere repleta, in Hispaniam cursum reflexit. Hyeme elapsa, verna tempestate, quadraginta naues probatis bellatoribus complet, ventumq; nactus secundum, Cretam, aliis insulis præteritis adnauigat, & ad promontorium, cui vocabulum Charax, appellitur: nec illi quidquam vel è nauibus exeunti, vel procedenti

hostile occurrit. Progressus stadia circiter centum, iniectis ignibus, naues, ne vna quidem excepta concremat. Milites facto conturbari, & obstupescere, venire, caussam sciscitari, voces seditiosas iactare. Ille iratus respondere, vos huius rei caussa estis, qui coloniam vbere glebæ beatam quæritis. Equidem ego aliam hac meliorem non arbitror; & huc vela dedi, vt voluntati ac desiderio vestro morem gererem. Nunc consilij mei ignorantes, frustrà blateratis. His auditis, conticuerunt. Sed cum nonnulli vxores & liberos domi relictos obiicerent, excepit ille; etiam hic formosæ fœminæ sunt, ex quibus gignite vobis liberos. Inde se fossa altè ducta, & vallo communientes, noctem ibi egerunt; ex quo deinde locus Charax, id est, vallum cœptus est nominari. Michaël Imperator paulò pòst per Photinum Protospatharium, & Præfectum Cretæ certior factus, quæ illic à Saracenis agitarentur, ad hostes abigendos copias submittendas censuit. Itaque Damianum quendam Comitem stabuli imperatorij cum ingenti exercitu, & apparatu in Cretam ad illum adiuuandum mittit. Verum enim vero coniunctis licet viribus, nihil aduersum Agarenos effecerunt. Conflictu quippe inito, Damianus & lethali plaga affectus est; & reliquis fugæ caussa fuit; & Photinus vix in sylua latitãdo animam seruauit, ac nuntium Imperatori attulit. Commissa est hæc pugna haud procul ab vrbe Chandace, stadiis circiter viginti, loco cui Almerus nomen est, anno mundi 6340. Domini 832. Rursum Agarenos curæ, cogitationes ancipites, timor, & angor incessebant. Iis sic affectis, monachus quidam è montibus insulæ descendens, errare illos affirmauit, si se eo in loco securè sedes posse figere existimarent. Simulque locum idoneum, & naturâ ad omnia quæ optares habilem demonstrauit. Ibi oppidum, & velut egregiam arcem construunt, quam Chandacen appellant. Inde erumpentes, totam insulam percursant, cæterasque vrbes vniuersas, præter Gortynen, & Cydoniam ad deditionem compellunt. Hoc modo Creta, vna ex septem nobilioribus insulis ab Hispanis Saracenis occupata fuit. Post annum Michaël Imperator denuo classem aduersus eosdem misit, quæ etiam nihil memorabile gessit. De cætero Agareni curis longum valedicentes, iamque totius insulæ potentes viuebant. Ac multi Christiani tum pro sincera, ac sana fide nostra martyrium obierunt.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Cretæ insulæ descriptio. Gnossum, Gortynam, Cydoniam tres præcipuas ciuitates Minos construxit. Apochapsus è Creta profectus, insulas, & Peloponnesum vexat, cui Nicetas patricius cladem apportat.

Est autem hæc insula montibus & syluis frequentissima, valles habet fertiles. Montes altitudine Taygeto non cedunt. Vrbes antiquas supra nonaginta; amplissimas autem & illustrissimas tres, Gnossum, Gortynam, & Cydoniam. Quarum Minos Cretensium Rex, potens maris, cùm insulam tripartitò diuideret, in qualibet parte vnam condidit. Hunc regem proditum est literis Cretam vastam antea coluisse, & legibus studiosè expoliuisse atque formasse. Quocirca & poëtæ ipsum, propter summam iustitiam cum Rhadamantho à Ioue in beatorum insulis iudicem constitutum esse fabulantur. Et hæc hactenus de Minoë. Gnossus ad Boream, ex aduerso Peloponnesi sita est. Gortyna in planitie, mare Libycum spectans, à quo abest stadiis sexaginta. Hæc antiquitus muris cincta fuit: quos iniuria temporum labefactatos, magistratus reparare occœpit. Sed iis ad octo stadia productis, & magna ex parte absolutis, opus interruptum est. Cydonia verò comparatione fuit maxima, ad occidentem & fines insulæ posita: montes vicini & sublimes, Tityri vocantur. Supra littus iacet, Laconicosque campos respicit, egregia, & mirificè elegans, & ampla in circuitu. In tres igitur partes, vt diximus, insula diuisa est. Latus versus orientem, iuxta Gortynam, Dorienses nominarunt. Latus ad Boream Cretas, quorum & oppidulum Prassum. Latus occidentale Cydonię. Inter ipsos Cretenses sæpius bella & prælia fuerunt. Fertur & hoc de Creta, propter asperitatem soli curuli pugnæ, & iaculationibus non esse idoneam. Idcirco primi Cretes ex equo pugnare docuerunt. Redacta igitur sub iugum suum tam magna insula Agareni, sicut diximus, nauibus longis mare infestum habuerunt, Minoem imitantes; & Cycladas insulas despoliarunt, ac multam quotidie perniciem Christianis inuexerunt. Post annos autem septem & quadraginta, imperante Basilio Macedone, Sael Apochapsus, Cretæ Princeps, Apocapsi Amerumnis filius, qui Cretam occupauit, iterum nauibus piraticis (quas nunc galéas nominare consueuerunt) siue triremibus prope triginta instructis, cum remigibus per singu-

 las

cius Marchio Montisferrati manum nō modicam ad auxilium contulerat, totiusque terrestris exercitus summus dux delectus fuerat, eum Balduinus Imperator regem Thessalonicæ jussit; cui insuper Creta cum aliis locis obuenit, quam posteà Venetorum senatui vendidit. Atque ita vsque hodie in illorum ditione est. Hanc narrationem libro huic nostro illigauimus: nunc ad Isthmi communitionem reuertamur.

CAPVT XXXVIII.

Isthmum instaurat Manuel Imp. Eius latitudo, & longitudo. Scriptura in marmore reperta. Pestis in Ponto, & quorundam affinium Protouestiarij funera. Luctus parentum eius. Inauguratio Ioannis filij Manuelis, & nuptiæ cum Sophia Marchionis Montisferrati filia.

ANNO mundi 6923. Domini 1415. die Martij 13. Imp. incolumis in portum Cenchreorum venit, & 8. Aprilis expurgare, & instaurare Isthmum ipsum cœpit; cuius latitudo est ab vno mari ad alterū orgyiæ ter mille & octingentę: longitudo verò à terra Hellade, siue Attica, postquam descenderis via aspera, quæ vulgò πλάγιον κακὸν, malæ viarum ambages, dicitur, donec in planitiem infra venias, quo in loco muri hi Isthmi ædificati erant, stadia triginta & * A muris autem Isthmi, vsque Corinthum, vrbem præcelsam, colles, & tumulos, & extrema Isthmi, stadia conficiuntur * Videtur Peloponnesus folio platani simillima, cuius caulem exprimit Isthmus, in quo surgunt turres centum quinquaginta tres, & in marmore quodā scriptura huiuscemodi reperta est. ΦΩΣ ΕΚ ΦΩΤΟΣ, ΘΕΟΣ ΑΛΗΘΙΝΟΣ ΕΚ ΘΕΟΥ ΑΛΗΘΙΝΟΥ ΦΥΛΑΞΗ ΤΟΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΝ, ΚΑΙ ΤΟΝ ΠΙΣΤΟΝ ΔΟΥΛΟΝ ΑΥΤΟΥ ΒΙΚΤΟΡΙΝΟΝ, ΚΑΙ ΠΑΝΤΑΣ ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΗ ΕΛΛΑΔΙ ΟΙΚΟΥΝΤΑΣ ΤΟΥΣ ΕΚ ΘΕΟΥ ΖΩΝΤΑΣ. LVMEN EX LVMINE, DEVS VERVS EX DEO VERO, CVSTODIAT IVSTINIANVM AVGVSTVM, ET FIDELEM EIVS MINISTRVM VICTORINVM, ET OMNES HELLADIS INCOLAS, SECVNDVM DEVM VIVENTES. Anno mundi 6924. Domini autem 1416. Imperator Constantinopolim rediit, & cum eo procerum ordo vniuersus. Quo mense post eius aduentum excessit è viuis Patriarcha Euthymius. Et 21. Maij eiusdem anni lectus est Patriarcha

triarcha Ioseph, Ephesi Metropolita. Et anno 6925. Christi 1417. in Peloponnesum autumno abiit Ioannes Imp. quo tempore Thessalonicam transiens, spurium filium Baiazetis, Mustapham illum, quem Ameras frater eius persequebatur, ibi inuentum amouit, & in Lemnum, deinde Mizythram misit. Per hyemem eiusdem anni ad pontum Euxinum, siue nigrum mare sæuiente pestilentia, cum in vrbe quadam cum tota familia esset, eamque regeret affinis meus Gregorius Palæologus Mamonas, vir optimus, filius Magni Ducis Mamonę (qui aliquando Monembasiam cum finitimis oppidis administrauerat) & cum eo soror mea, vxor eius, & proles vnica quam habebant, fœmina, extincta est. Post filiolæ mortem die septimo obiit pater: rursumq; post totidem dies etiam mater, & præterea sex eorum domestici, vtriusq; sexus, duobus tantum superstitibus, viuendi modum fecerunt: & hi Constantinopolim reuersi, vna voce miseris parentibus meis nuntium hunc attulerunt: qui ex magnitudine afflictionis, & dolore inconsolabili in morbũ adeo non leuẽ inciderunt, vt ab interitu non longè abfuerint. Vere & æstate pestilentia Constantinopoli grassante, mortua est Domina Anna à Rhosia, & in monasterio Libis tumulata. Principio autem anni 6926. Christi 1418. in insulam Peloponnesum dominus Thomas ab Imperatore patre suo, Cõstãtinopolim reuerso missus est, qui me in cubicularios allegit, Martij die 17. annos natum sedecim, ipso illo æternę & beatę memoriæ agenti sexagesimum octauum cum dimidio. Anno 6927. Christi 1419. Constantinopolim venit Domina Sophia, filia Marchionis Montisferrati. Et 19. Ianuarij eam solenni cęrimonia duxit Ioannes, inauguratusque est Imperator, in æde S. Sophiæ; quæ inauguratio summam festi diei celebritatem habuit, fuitque reuera solenne solennium, & panegyris panegyreωn.

CAPVT XXXIX.

Manuel prauum consilium auersatur. Ameras honorificè ab eo excipitur. Ad eius animum explorandum legatio Imp. in Occidentem. Mors Ameræ celatur. Difficilis super ea nuntius Constantinopolim. De Mustapha Imp. cum filio deliberat, vtrum occidentem illi ab Amurate petat.

ET anno vicesimo octauo venit Ameras Cyritzes Mahometes, vt per Constantinopolim in Asiam transiret: nam per exploratores, quædã illic correctione egere, certior factus

erat. Ast in reditu vrbem inuadere meditabatur. Omnes igitur consiliarij Imperatoris, quibus hoc secretum est creditum, Principes, & Ecclesiastici suadebant magnoperè, vt ei manus iniiceret. Quod ille renuens, aiebat, non violo iusiurandum illi datum, tametsi eum contra nos venire, nosque deuicturum, & in seruitutem reducturum mihi certò constaret. Sin ipse sacramento suo defuerit, Deus viderit, qui est illo multò potentior. Nullum tamen de filiis impio illi obuiam misit, nisi optimates, Demetrium Leontarin, Isaacium, Asanem, & Manuelem Cantacuzenum Protostratorem, cum multis illustribus, ac militibus, & muneribus regiis. Circa Cutulum ei occurrentes, ad duplicem columnam prosecuti sunt. Toto autem itinere cum Leontari sermo illi intercessit. Illic constitit Imperator cum filiis in triremi quadam, iuxta quam alia triremis regificè parata, qua Mahometes veheretur. Quam cum conscendisset, inter se vtrique in mari consalutarunt, & colloquentes vsque ad Asiæ, seu orientis littus peruenerunt, vbi est quæ nunc Scutaris, prius Chrysopolis dicebatur. Ibi triremi egressus, in tentorium, siue tabernaculum sibi paratum concessit. Imperator cum filiis in triremibus edebat ac bibebat, & inter se ipse, & Ameras partes mittebant. Imminente vespera, Ameras in equo versus Nicomediam abiit: Imperator cum filiis domum se recepit. Vere eiusdem anni reuertens Ameras in occidentem, qua via est Calliopolim, venit Adrianopolim. Imperator Demetrium Leontarin ad illum expedit, vt si quid præmeditatus sit cognoscat, sibique renuntiet: cui etiam gratiam & honorem nauatum: nempe transuectionis, talis legationis, & personarum, inquam, & donorum illi oblatorum exprobret. Eum Ameras amicè admodum, & splendidè accipit, affirmatque, sibi diebus iam aliquot malè esse: vbi conualuerit, inter se collocuturos. Verùm post diem tertium vitam propagare desiit: nec id consiliarij Palatini Leontari patefaciunt. Qui in tentorio suo manens, miratur summopere, cur ab Amera ad legationem exponendam non vocetur. Ipsa autem hora qua eum obiisse audiuit, multos tabellarios ad Imperatorem mittit, qui, quod omnes viæ compendiariæ Constantinopolim ferentes præclusæ essent, eò accedere nequiuerunt. Atque ita dies plurimi abierunt. Ex quo autem arcanum de inuadenda vrbe patuit, tumultuatum est, multaque deliberatio & angor extitit, & vehementer reprehensus Imperator ab iis, qui Ameram comprehendendum suaserant. Imperator in monasterio Periblepti, pestis vitandæ caussa tum versabatur. Vix igitur alia via Mesembriam ferente,

rente, mittere curriculò potuit Leontaris, qui inde per mare literas de obitu Ameræ afferret: Factusque est *in illa die vesperi fletus, & mane lætitia.* Et ecce ad aliam consultationem curamque conuersi sunt, ecquid cum filio eius Amurate pacem & amicitiam inirent, ipsumque imperare sinerent, & ab eo sacramentum exigerent, passurum, vt Mustapha Mizythra reductus, occidenti, sicut ipse orienti præesset. Patre autem Imperatore primùm dicente sententiam, & multis de caussis iustum iudicante, vt penes Amuratem rerum summa esset, filio deinde, & Demetrio Cantacuzeno pro Mustapha nitentibus, & rationem afferentibus, quòd ipsis Calliopolim donasset, tandem, licet ægrè, Imperator filio agendi quod vellet potestatem concessit, his verbis: fili mi, ego senex, infirma valetudine, & morti propinquus sum: imperium, quæque ad id pertinent, tibi trado: quod placuerit facito.

CAPVT XL.

Calliopolitæ Romanis subesse nolunt. Mustapha Beglerbegum prælio congressus occidit. In Oriente ab Amurate vincitur, perimiturque. Eiusdem Amuratis ira in Romanos, & iniuria in Legatos. Byzantium nullo effectu oppugnat. Imperatoris morbus. Mustaphopulus à fratre in Asia iugulatur.

MENSE Septembri, anno 6929. Christi 1421. multis cum triremibus Calliopolim venit Ioannes Imperator. Mustapham à Peloponneso secum ducens, vt eum occidenti Principem daret. Coluit Ioannem ciuitas. Sed vbi intermissis diebus aliquot promissa requisiuit, Turcæ omnes responderunt, ipsorum sacris addictam esse Calliopolim, & impediri se religione: siquidem primus locus, quem in Europa obtinuissent, hoc oppidum esset, in quo primùm omnium inter omnia Europæ loca cærimonias suas tractauissent: nec per Coranum suum ipsam licitum Romanis dare: alios locos & regiones pro ea daturos. Adhæc Amurates quoque ex oriente per Legatos multum instabat Romanis, orabatque, ne Mustapham ad principatum proueherent. Nostri omnia alia sentientes, responsum nullum reddere. Circa initium hyemis eiusdem anni Beglerbegus Baiazetes per superiores fauces in occidentem venit, vir commodus, bello exercitatus, Vezires seu consiliarius patris Amuratæ, cum plena auctoritate, vt si pos-

ſet nimirum, in poteſtatem Amuratis occidentem reſtitueret. Muſtapha Calliopoli abiens, apud Adrianopolim, Baiazetem acie vincit, captumque obtruncat, & vniuerſum impiorum Turcarum in occidente imperium ſibi ſumit. Eodem anno Calliopolim redit, ſuſceptaque aduerſus Amuratem cognatum expeditione in Aſiam, & Pruſam (vbi is tunc erat) victus, in occidentem eſt regreſſus. Eiuſdem anni æſtate ipſe etiam Amurates cum Liguricis, ſeu Genuenſium nauibus patruum perſecutus aſſequitur, & interimit. Morte Muſtaphæ deluſi ſpe ſua Imperatores, turbari ac metuere cœperunt, propterea quod ſe hoſtes Amuratæ declaraſſent, dum modum & viam quærunt, qua concordia, & amicitia inter Turcas, & Romanos reſarciretur. Mittunt igitur ad eum Legatos Demetrium Cantacuzenum, Matthæum Laſcarim, Angelum Notarium, cognomento Philommatem. Ameras ira aduerſus Romanos propter cauſſam indicatam inſaniebat. Quare mox vt Legatos vidit, in obſcurum carcerem vinctos detrudi, diligenterque cuſtodiri iuſsit. Ineunte æſtate, octauo Iunij, anno *6930*. Chriſti 1422. octauo die menſis miſit cum exercitu Michalbegum Amurates, clauſitque & obſedit Conſtantinopolim. Die porro decimo quinto ipſemet cum magnis copiis acceſsit, Legatos in vinculis adducens. Die viceſimo ſecundo menſis Auguſti vrbem totis viribus aggreditur. Die ſexto Septembris anni *6931*. Chriſti 1423. Deo nobis opitulante fruſtratus recedit. Eiuſdem menſis die triceſimo venit Muſtaphopulus eiuſdem Amuratæ frater, & pertranſita vrbe foris, ſeptum dominicum inſedit, tertioque die, qui fuit primus Octobris, ad Imperatorem & filios eius adorandos acceſsit. Eo viſo, Turcæ ex Aſia, admirabundi aiebant, ſimilem eſſe forma auctori religionis ipſorum Mahometæ; quod idem & inimicus eius Baiazetes aliquando de eodem affirmauit: & quicunque Imperatorem non nouerat, è ſolo aſpectu Imperatorem eſſe dixiſſet. Eodem die ſecundum prandium Imperatorem morbus ἡμιπληγίας (ſemiapoplexiæ) corripuit. Muſtaphopulus per dies plurimos propter caſum Imperatoris flagitiis in vrbe deſignatis, poſtremò Selybriam diſceſsit; inde mox Conſtantinopolim rediens, Pruſam poſtea eſt profectus. Vere illius anni frater eius in Aſia aduerſus eum ducens, proditum à ſuis morte multauit.

CAPVT

CAPVT XLI.

Isthmus capitur. Fuga Thomæ Despotæ. Ioan. Imp. Hungariam petit. Legati III. ad Amuratem. Ioannes ex Hungaria redit. Manuel diem extremum claudit. Anni vitæ, imperij, funeris celebritas. Ioannem Imp. Sophia vxor quare deseruerit.

MENSE Maio eiusdem anni captum est Hexamilium, siue Peloponnesi Isthmus à Turachane, multique Albanitarum perierunt. Aestate sequenti Princeps Demetrius cum Hilarione Doria, & Georgio Saulio, ipsius Doriæ genero fugit, veneruntq; Galatam vt ad Turcas abirent; quanquam in Hungariam postea abierunt. Die decimo quinto Nouembris anni 6932. Christi 1424. Imperator Ioannes in Hungariam transiit, fratre suo Constantino Despota instituto, & pro se in vrbe relicto. Die vicesimo & altero Februarij eiusdem anni, cum Amera Amurate amicitiam sacramento constituimus. Tum Legatos dimisit liberos. Rursum Legati missi sumus, Lucas Notaras (qui postmodum Magnus Dux creatus est) & Manuel Melachrenus, & ego, hanc ob caussam. Melachrenus prius ad Ameram venerat, pacemque conuenturam cognouerat: Notaras, vt eam vtiliter ac probè firmaret: ego, vt à sancta Despœna, à materno genere ipsius Ameræ cognata missus, & vt, si quid opus foret, scriberem, chartisque mandatum, ad Imperatorem senem, & filium eius Ioannem in Hungariam perferendum curarem. In exitu Octobris anni 6933. Christi 1425. Ioannes Imperator, regione cui Cellio nomen est, & Istrum respicit, in vrbem rediit, triremibus Constantinopoli eò missis. Hominem quippe alienæ linguæ, & alienigenam ex Hungaria præmisit, qui per terram cum tabella inuoluta, & obsignata ambularet. Is cum venisset, Imperatorem videre cupiebat, affirmans, sibi esse necesse illum videre, & cum eo colloqui. Sed istuc fieri quî poterat, vt talis homo Imperatorem ægrotum videret (decumbebat enim in lecto) & solus cum solo sermonem miscere vellet? Multis igitur vltro citroque dictis, ad virum duo secretarij collegæ mecum mittuntur, qui sic eum compellarunt. Aut ede quid velis huic (me autem demonstrabant) aut vade quò lubet. Tum seducens me, litteras illas inuolutas tradit; ex quibus didici vnde, & quando Ioannes Imp. exiuisset. Quas cum Despœnis recitauissem, ob fœlicem de bona Ioannis, vnius filij, alterius mariti valetudine, & aduentu nuntium

tum ab ipſis, tum ab Imperatore Manuele magnis ſum muneribus affectus. Viceſimo primo Iulij, eiuſdem anni, beatorum ſorte, venerabilis & pius Imp. Manuel obdormiuit, biduo ante obitum per diuinum angelicumque habitum Matthæus appellatus. Corpus ad ſepulturam deportatum eſt in venerandum, & pulcherrimum monaſterium Pantocratoris, cum luctu & concurſu, qualis ante nunquam in vllius Auguſtorum exequiis apparuit. Omnes anni vitæ eius ſeptuaginta ſeptem, dies quinque & viginti. Regnauit annos duos & triginta. Et anno 6934. Chriſti 1426. menſe Auguſto Deſpœna Domina Sophia profugiens, in patriam rediit, quod à viro Ioanne Imp. parum diligeretur, nec inter eos pax eſſet; quoniam alias fœminas amaret, quando Deſpœnæ natura formam negauiſſet.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS, IOANNIS, MANVELIS F. PALÆOLOGI IMPERIVM CONTINENS.

Summa libri.

POSTQVAM Manuel hominem exuit, Ioannes iam antea corona augustali insignitus, imperitare occipit. Eius coniux Maria Trapezuntia. Manuelis animam acturi voluntas vltima, & inprimis quæ super Phranze, vt fideli ministro, & super sacris piacularibus iusserit. Quo pacto Protouestiarius in ministros Constantini relatus sit. Cum eo, & Imperatore in Peloponnesum discedit. Caroli Dynastæ consobrinam Constantinus ducit. Theodorus Palæologus Constantini, & Ioannis frater simulatam monachismi sectandi voluntatem planè deponit. Constātino fratre oppidum Bostitzam ius suum in alia muldonat. De Nicephoro viro nobilißimo, & opulentißimo, eiusq; testamento. Andronicus, etiam Imperatoris frater (sex enim filios Manuel habuit) moritur. Patrenses ecclesiastici, & populus in Constantinum propendent, de qua vrbe occupāda consultatur, cui defendendæ ciues accinguntur. Palmarum Dominicam milites ramis manu præferendis piè colunt. Oppidi oppugnatio infelix. Constantinum cum periculo capitis sui Protouestiarius defendit. Ab hostibus captus, durißimè habetur. De vita & moribus Thomaidis piæ ac religiosæ fœminæ præclara narratio; cuius exemplum apud Constantinopolitanas virgines ad complectendā monasticen vehementer valuit. Protouestiarius è carcere dimissus, à Constantino & laudibus, & muneribus amplißimis ornatur. Pacta Patrensium cum Constantino. A Turcis iubetur ab oppido se remouere. Quid responderit. Camenitzenses ei claues offerunt. Apud S. Andream magnificè ab incolis excipitur, vrbs ei deditur, cuius præfectura Protouestiario mandatur. Eius cum duobus Turcis ad Constantinum ex itinere reuersio. Præfecto Naupacti verba dat. Legatis blanditur, & quas ferebant litteras, ab iis impetrat. Quid à Collega pertulerit. Mors Caroli Principis in Peloponneso. Thomas Despota quam sibi despönderit. Obitus Theodoræ, quam Constantinus duxerat. Protouestiarius iterum captus, & venditus. Ameram Imperator ab obsidione

sidione Thessaliá reuocans, actum agit. Patræ, & Glarentza subiguntur. Macarius quidam commendatur. Legationes Protouestiarij. Templum Deiparæ per imprudentiam puerilem incensum. Mariæ mulieris illustrißimæ dos, & patrimonium diues. Thebæ capiuntur à Turachane. Constantini sociorumq́; apud Euripum per noctem incommoda. Demetrius Despota vxorem ducit domum. Cur Theodorus Constantinopolim venerit. Discordiæ, & motus bellici inter fratres. Ad eos Imperatoris Legati. Longiuscula Imperatoris cum Hebræo de fide Christiana disputatio, qua illum ad nostra sacra adducit. Imperator Synodi caussa in Italiam nauigare contendit. Quæ præcipua caussa captæ Constantinopolis. Verba Manuelis ad Ioannem filium parænetica. Ameræ in Ioannem liberalis animus. Post discessum Imp. Ameram Constantinopolim inuadere meditantem, Halimbassa Consiliarius dehortatur. Describitur pompa, gratulatio, & lætitia, quibus Venetias introductus Imp. Quam sumptuosè instructa fuerit triremis quædam, quæ regia dicebatur. Laus vrbis. Quo pacto idem Imp. Ferrariæ exceptus, & habitus sit; illic enim ceptum est celebrari Concilium, quod postea compellente pestilentia, Florentiam translatum fuit, ibiq́; finitum. Nauis qua Patriarcha vehebatur quàm magnifica, & quomodo à Pont. Max. salutatus. Natus Protouestiario filius, & deinceps alij. Græcorum reditus à Synodo. Bessario Romæ fit Cardinalis. Demetrius auxilio Turcarum adiutus, Constantinopolim obsidet. In Lemno Constantini vxor Lesbia moritur. Protouestiarius tuendæ & gubernandæ Selybriæ præficitur. Pactio fratrum Despotarum. Præfectura Protouestiarij in Peloponneso. Eiusdem legationes. Pugna Hungarorum cum Turcis ad Varnam, & Ladislai regis miserandus interitus. Virtus Ianitzari ab Amera honoratur. Aestus immensi. Protouestiarij Spartana præfectura. Eum eximiè collaudat Constantinus, & quædam illi benè regendi præcepta tradit. Thomas Despota filiam Seruiæ Despotæ nuptum dat. Isthmus occupatur, Patræ vastantur. Theodori Despotæ, & Ioannis Imperatoris obitus.

CAPVT I.

Ioannes Patri succedit. Mariam Trapezuntij regis filiam ducit. Quare in Peloponnesum cum Constantino fratre profectus. Manuelis iußio de palatij instrumento distribuendo, & de ministris, præsertimq́; de ipso Phranze. Eius apud Constantinum locus. Qua conditione eundem in Peloponnesum secutus sit. Pactio cum Carolo dynasta, cui pars Peloponnesi parebat.

ANNO igitur 6934. Christi 1426. mense Augusto, sceptrum imperatorium, & monarchatus omnis ad Ioannem, beatæ memoriæ Manuelis filium trãsit: qui jam antea sollemni ritu Imperator coronatus fuerat. Et anno 6935.

no 6935. Christi 1427. die Augusti vndetricesimo per mare triremibus Mariam Comnenã, Alexio Comneno Trapezuntis rege procreatam inde adduxit. Anno 6936. Christi 1428. mense Septembri fœdera nuptiarum cum eadem iniuit, quã & Augustam appellauit. Mense Nouembri vrbe egressus, 26. Decembris in Peloponnesum cum Cõstantino germano idcirco venit, quod frater ipsorũ Theodorus monachismum cogitaret: vt proinde totam insulam Constantinus cum imperio obtineret. Verùm Theodorus consilium ad factum nõ contulit. Cum iisdem ego quoq; initiò eodem discessi, quod de domesticis Imperatoris eram, & vt Constantinum assectarer, ex caussa huiusce modi. Beatus, & venerandus eorum parens, morti vicinus, mandauit mihi, scripsiq; manu mea, quanquã non vt testamentum: (neq; enim testantur Imperatores, sed iubent.) Ea iussione decernebantur ista, vt de rebus patriis, quæ quidem essent pretiosæ & æstimatione aliqua dignæ, filiorum quilibet, vnus quidem hoc, alius illud sibi haberet. Reliquum rerum palatij, quadripartitò diuideretur, in parastasima (*puta res ad ornatum templi spectantes*) & liturgias (quas pro se splendidius, & sumptuosius, quam pro consuetudine, fieri mãdauit) in mendicos, in medicos, & in ministrorum intimos, siue cubicularios. Curatores autem essent, spiritualis pater eius Macarius, qui in Xantopulorũ, & ex Iudæis Magister Ioseph, qui in Charsianensi monasterio viuebat, & ego. Hæc à me exarata, ipso Manuele, & Despœna, & filio eorum Imperatore audientibus recitaui. Postremò & ipsi filio sic præcepit. Fili mi, audisti quæ vobis super ministris meis, iussa dedi. Qui porrò mihi à cubiculis fuerunt, præclareq; & amanter, atque ad nutum seruierunt, ab omnibus filiis meis charitatem, tutelã, prouidentiam consequantor, vnusquisq; meritis suis congruenter. Inprimis verò Phranzẽ hunc tibi commẽdo, qui ministrauit mihi fideliter ac diligẽter, & in omni vel animę, vel corporis negotio prę̃stò fuit, & nũc in hoc morbo meo præ cęteris mei curã gessit. Quare etiã confido, quæ ad animam meam post obitũ expiandam pertinebunt, studiosè curaturum. Iuuentus enim eius, & senectus mea nihil eius amore, ac studio seruiẽdi, quo erga me flagrauit, indignum in ipsum committi permiserunt. Quocirca eum trado tibi. Atq; vt quæ tibi optocorq; adipiscaris, quod à me in illo remunerando prętermissum est, tute suppleto. Hæc ille dixit, & super me mandauit. Cum Cõstantino quoque magna familiaritas, summa fide diuino beneficio mihi intercedebat, quod patruus meus à moribus & litteris ei fuerat; & filij eiusdem, patrueles mei cum ipso educati, similiter in ami-

cis,& domesticis eius mecum numerabantur. Nam quia res ita ferebat, à beati, & venerandi parentis eius familiari ministerio ad eum transiui, & opera mea quæcunque seria negotia conficiebat. Prorsus siquidem inter aulicos suos habere me cupiebat. Mos namq; & consuetudo vigebat in Imperatorum palatio, per quam patrum celliotis (*hoc est, interioribus ministris*) filiorum cellas (*hoc est, conclauia*) non cõtrà, filiorum ministris patrum frequentare licitum erat. Sed hoc viuis patribus. Postquam igitur sanctæ memoriæ pater eius viuere desiit, secundùm prima iusta omnes cubicularij ipsius in palatium regressi sumus. Nam hoc quoque mos tenet, vt celliotæ Imp. ad sepulcrum eius vsque ad prima sacra funeralia, siue iusta perseuerent. Ita demùm ad ædes, vbi Constantinus manebat, discessimus, foris sedẽtes, vt vni de multis. Quod vbi Despota didicit, mittens patruum meum, pro auctoritate mihi renuntiari iussit, cur non tenuissem locum meum? cur, inquam, non intrassem in cellam eius manè, vt solebam, cũ pater & dominus eius adhuc viueret. Verùm, inquit, quoniam propter amorem, & officia, tum erga nos, tum erga genitorem nostrum tibi multum debemus, in muneris parte accipito, vt quemadmodum parente nostro superstite consueueras: ita nunc eodem mortuo conclaue meum introire possis. Has ob res, vt fratres in Peloponnesum abeuntes sequerer, iussus sum. Cum itaque Constantinus vellet, vt se sequerer, secumque manerem, respondi me illius caussa etiam maiora non detrectaturũ, modò id approbante, & iubente eius germano Imperatore fieret. Tum ille me à fratre precibus petiuit, propositis rationibus necessariis, ob quas me opus haberet. Aegrè tamen & non nisi Despœna & matre suam auctoritatem interponente me impetrauit, quod Imp. patris voluntatem, & commẽdationem obiiceret, qui ore suo illi me tradidisset. Cum igitur in Peloponnesum venissemus, huic (Constantino) perfectè obtemperabam, ab illo (Ioanne) amore, ac spe totus pendebam. Itaq; salui illuc appulsi, vidimus loca omnia, quæ à Carolo Principe tenebantur. Tum primores, & fratres deliberatione habita statuerunt, vt quoniam partem à Carolo occupatam subigere se posse diffiderent, nec ille se totam tueri posse confideret, locis aliquot ab eo acceptis, fœdus percuterent: placuitque Constantino huius Caroli consobrinam vxorem legitimam ducere, sic, vt quæcunque castra siue oppida in Peloponneso haberet, ea illi, quamuis concordia nondum fœdere sancita, dotis nomine addiceret.

CAPVT

CAPVT II.

Theodorus Despota monachi habitum differt. Constantinus Caroli consobrinam sibi iungit. Theodorus personam deponit. Tria oppida recepta. Ioannes Imp. Constantinopolim redit. Theodorus Constantino Bostitzam donat, & ius suum in alia multa, quæ Nicephori Protostratoris fuerant. De eodem Nicephoro, eiusq; testamento. Quare Melisseni in historiis στρατηγοπῦλοι, id est, duces cognominati.

KALENDIS igitur Maij missus ego, Glarentzam, alij alia loca receperunt. Nobis Spartam reuersis, de modo monasticæ professionis Theodori Despotæ, eiusque dilatione agebatur, dum Patræ subigerentur, locus præcipuus & opportunus, vbi fratres domicilium sedemque collocarent, ne Spartæ simul omnes inuenirentur, vbi Theodorus monachum agere deliberauerat. Kalendis Iulij eiusdem anni, egressi tres germani (Ioannes, Constantinus, Theodorus) Patras processerunt, & extra vrbem apud moletrinas tentoria fixerunt. Eò consobrina Caroli, Theodora adducitur, & Constantino sollemni cæremonia coniux datur. Ad Patras porrò subiugandas nihil prosperè gestum est: quin potius festiua quædam simulatio erat à Theodoro suscepta monachismi meditatio, quem non sine fratrum offensione repudiauit. Itaque res Patrensis exitum illaudabilem habuit: tantummodò tria oppida occupârunt, cum incolis pacem ita pacti, vt Principi Constantino in annos singulos nummos aureos quingētos singula penderent. Ita collectis vasis cum Imperatore, & Theodoro versus Spartam proficiscimur: Constantinus alio itinere cũ regina vxore Chlomutzam abit. Breui tempore intermisso domum cogitante Imperatore, Constantinus super ea re admonitus, Chlomutza Spartam venit. Inde conscensa naui cum quatuor fratribus, paucis diebus mensis Octobris, anni 6937. Christi 1429. Corinthum traiecimus. Imp. ex eo loco triremi Constantinopolim vectus est. Theodorus iter quod Spartam ducit relegit, Thoma fratre eum vsque Calabrytam comitante. Nos cum Principe nostro Constantino alia via Bostitzam peruenimus. Quanquam enim Theodorus ad monachos se se non aggregauit, vt quod obtinebat in insula peculium ad Constantinum fratrem secundùm pacta conuenta deuolueretur, nihilominus ei

Bostitzam cum locis adiacentibus donauit. Et ex alia parte quæcunque ad occidentem solem occurrunt, circa montẽ altissimum Taygetum, * castellum, Leuctrum, siue Marinam (quæ olim Cetaria vocabatur) & omnem illum tractum vsque ad Pylum, quæ Itilus dicitur. Ex alio tractu castrum Zarnatiam, Gastritzam, Diasestum, Mele, Dyrachium, Polianum cum locis finitimis. Insuper omnia oppida & castella ad sinum Messeniacum, vbi per medium labitur omnibus odiosus ille fluuius. Hæc tutoris iure vendicabat, quæ Nicephori Melisseni magni Protostratoris fuerant; quem propter multiplicẽ prudentiam, & ingenij celeritatem, dexteritatemque summam ad res nouas quas liberet disertè persuadendas etiam Melissurgum cognominabant. Et erat viri illius admirandi (Nicephori Cæsaris Melisseni nempe) nepos longo ordine: filius autem Leonis Sebastocratoris Melisseni, & dominus iam pridem atque Exarchus munitissimæ Ithomes, cui etiam Messenæ nomen fuit, & totius sinus Messeniaci. Idem post obitum vxoris fuit Metropolita Adrianopolis designatus, communi vtilitate multis & necessariis de caussis id postulãte: tametsi mors intempestiua eum rapuit, atq; ita res effectu caruit. Et quoniam complures hasce caussas copiosè disseruerunt, ego illis supersedebo. Caussa autem huius præfecturæ siue tutelæ, quod ad Theodorum attinet, talis fuit. Quem nominaui Nicephorus Melissenus filium habebat, Nicolaum vocabulo; eum è sacro fonte susceperat Theodorus. Dum igitur filio adhuc trimulo ad mansiones non materiatas transmigrat, testamento condito, eum dominum, & simul Theodorum pueri tutorem instituit; omnium, inquam, facultatum suarum, mobilium immobilium: cum hac conditione, vt si filius & hæres ipsius sine hæredibus decederet, omnia oppida, vici, loca, castella Theodoro cederent, siue ea extra, siue intra Peloponnesum essent. In Peloponneso erant Andrusa, Clamata, Mantinea, Ianitza, Pidema, Mane, Nisis, Spitalis, Grempe, Aëtus, Neocastrũ, Ithome (quæ nunc Messene dicitur) Archangelus, Saulaurus, Ioannina, Ligudista. Extra Peloponnesum Magna Aenos, & eius vicinia tota: vici nimirũ & loca vsque Peritheorium, quæ ego missus recepi. Vt plurimum autem quosdam de genere Melissenorum etiam στρατηγοπύλους, duces cognominarũt, & in descriptione temporum Melissenos duces inscripserunt, ob caussam huiuscemodi. Alexium Cæsarem Melissenum, qui Constantinopolim à Latinis asseruit, hoc nomine propter matrem ejus afficiebant. Ex eo istuc cognomenti quibusdam de familia illius perpetuò mansit. Nicephorum verò & magnum Protostratorem,

torem, & Melissurgum appellabant. Supradictam procurationem etiam Leo Francus, Theodoro ita volente, ad tempus gessit. Deinde eam fratri Constantino cum omnibus priuilegiis donauit: hoc est, si legitimus ille hæres ante moreretur, quam in tutelam suam peruenisset, omnia huius præfecturæ, Constantino cederent.

CAPVT III.

Mors Andronici filij Manuelis. Consilium Constantini de Patra incolenda. Patrensium Cleri, & vulgi in Constantinum voluntas. Præfecti instituuntur. Deliberationes, & machinationes de Patra occupanda. Patrenses mittunt exploratores, & ad vrbem tutandam viriliter accinguntur.

EODEM anno, quarto die Martij è vita discedit Despota Andronicus, qui per diuinum & angelicum habitum dictus est Acacius, & in monasterio Pantocratoris, vbi degebat est conditus. Occultè autem Constantinus de Patris petendis consilium suum mecum communicauit, quibus potiti in Peloponneso maneremus, & locus quem habebat ad Maurothalassam (*pontum Euxinum*) fratri eius Imperatori relinqueretur. Quod si nos Patræ frustrarentur, Constantinopolim reuerteremur, & ipse quidem dotis vxorię castra, quæq; ad pontum Euxinum sunt, retineret: â fratre autem Theodoro sibi donata, & omnia ad sinum Messeniacum, quæ nomine tutelæ Melisseni administrabantur, Imperatori redderētur, quando illi videretur. Secutum est porrò, quod clandestino consilio inter nos agitatum confirmauit. Nam cum Bostitza Patram transiremus, vt Glarentzam, & Chlomutzam abiremus, vbi etiam regina morabatur, Andronicus Lascaris interim arbiter ad magistratus Patrenses super quibusdā negotiis missus, cum ibidem aliquandiu hæreret, partim principes sacerdotum, partim profani, & priuati eum conuenerunt super eo, si dominus eius velit, se modum ac viam inuenturos, qua se in vrbis possessione collocet. Vbi Lascaris inter alia, secreta hæc Patrensium renuntiauit, reiecta sunt, vt qui impossibilia, & superuacanea nuntiaret. Idem itaque ad Ithomen & Andrusam, alij præterea viri primarij ad castra finitima pro Præfectis regenda missi sunt. Quin etiam è proceribus domus eius præcipuus, Alexius Lascaris Bostitzæ gubernator creatus, ibiq; relictus est. Pertransit igitur, vt significaui, Constantinus mecum so-

lo,in re Patrensi adiutore & consiliario. Cumq; Glarentzæ essemus, sæpius scripsimus ad eos qui cum Padiate *(præcipui magistratus nomen videtur)* egerant:illique frequenter nobis rescripserunt. Veruntamen iudicabamus ea fieri non posse, id quod tempus docuit. Tandem constituimus, noctu ambulantes, in locum ad fines Patrensium nos conferre,qui Vineta nuncupatur,ad tres veteres Ecclesias:eodem se conferrent homines illi, & quæ scripsissent, latius coram exponerent:ac si quidem essent eiusmodi, vt fieri possent,fierent:sin autem, fortunæ nos permittentes, apertè ad oppidi obsidionem graderemur. Scripsimus item mandata ad omnes in circuitu Ithomes, & Andrusæ, & sinus Messeniaci, & intra & extra agrum illum, vt primo die Martij eiusdem anni cum armis, manuque militari non exigua ditionis suæ quilibet adessent, & ita instructi locum Principis transirent,occurrerentque,& nouum dominum in sinum Messeniacum, & adiacentia venientem susciperent. Idem Alexio Lascari Bostitzam significatum est. Vbi affuerunt,haud viam circa Asum,sed eam,quæ est à sinistris tenuimus. Mirari omnes,percunctarique inter se,quonam proficiscerentur. Sub galli cantum ad condictum locum venientes mortales illos inuenimus. Quos cum animaduerteremus inefficaces,& polliceri quæ præstari nequirent,dimisimus. Manè consultatione habita quonam facto opus esset,decreuimus, vti miles ad suburbanos, & quotquot illic domicilia haberent Hebræos capiendos discurreret. Cum istuc multis de caussis placuisset, ecce oppidani nos videntes, quid hoc rei sit dubitant; nihil enim huiusmodi opinione præceperant. Vnum è magistratibus, & alium Canonicum, nomine Marcum,cum alio quodam, ex aliis percunctatum mittunt, qui sint qui veniant, & quam ob caussam. Postquam igitur nos esse, oppidumque à nobis quæri cognouerunt, seu conditione, seu alio quocunque modo possemus, festinè reuersi,tubis canunt,arma bellica expediunt, & vniuersi, quique intra, quique extra mœnia erant, ad vim arcendam concurrunt. Nos sequenti luce oppugnationem ordimur.

CAPVT

CAPVT IV.

Ramos gestant milites die Palmarum. Equites eruptione facta repelluntur. Constantinus fugit: equo ex ictu teli lapso, à Protouestiario contra hostes defenditur. Idem Protouestiarius cum equo vulneratur. Capitur, in turrim compingitur, vinculis arctatur, habeturq́; pessimè.

POSTRIDIE, quoniam palmarum celebritas incidebat, myrti ramos amputamus, quos manibus gestat totus exercitus, progreßsiq́ue castri portas adorimur. Die Martij 26. post officium magni Sabbati, siue diuinam mystagogiam, à prandio in tentorio domini nostri considentes, varios sermones miscebamus, cum repente aliquot equites per portam, cui nomen Hebraica & Zeugalatia, erumpunt. Iidem mox repulsi, per portam littori oppositam refugiunt. Ad eam omnes incolæ ab arcubus, sclopis, gladiis parati visebantur. Statim igitur Despota, & ego, antequam illi nos persequerentur (quoniam casu equi nostri parati erant) iuxta portam viæ, quæ ad S. Andream ducit, occupamus fugere. Tum Patrensis quidam sagitta equum Constantini figit, qui mox humi collabitur. Hostes ipsum aut capturi, aut occisuri accurrunt: sed à me defenditur. Ac ille quidem equo se expediens, pedibus fugam carpit: ego aduersum hostes decertans, cuiusdam Satmetelli filium capio. Vulnera habebam ego & equus sanè generosißsimus, qui defectus viribus concidit. Collapsus igitur sub me equus, & multis plagis affectus, in potestatem venit; me abductum in turrim domus tenebrosæ coniiciunt, vbi formicæ, & gurguliones, & mures; quondam enim apotheca, siue granarium fuerat. Brachia & pedes vinculis constringunt, catenaq́ue grauißsima, & solida ad palum in terra defixum alligant, in quali custodia parum bene dormiui, propter plagas, vincula, & alia à me indicata illius incommoda acerbè vitam exigens.

CAPVT V.

Thomais Asiatica mulier Constantinopolim ducta, à sorore Cabasilæ educatur. Cum ea Thessalonicæ monasterium S. Theodoræ incolit. Palæologinæ laus. Cypriani cuiusdam vxor fit monacha, Thomaidi subest, vitam sanctè traducit. Monasterium Cypriani Constantinopoli. Thomais Lemnum abit. Eius & sociarum paupertas Constantinopoli. Augetur ibidem eiusdem exemplo monacharum numerus. Earum disciplina rigida. Thomais in quanta veneratione. Piè moritur.

HOc loco de sanctissima Thomaide narrandum est. Ex honesta familia orientis in Asia progenerata fuit. Quam parentibus orbatam, cognati Constantinopolim perduxerũt, & sorori trium Archiepiscoporum ac fratrum, & Imperatorum, matrique sapientissimi viri Nicolai Cabasilæ commendarunt, à qua educata, & instituta est. Interiecto tempore Thessalonicam visendi Cabasilæ filij, & fratris Archiepiscopi cum ea proficiscitur, abduntque se in monasterium S. Theodoræ, vbi degebat Palæologina, virtutis cultrix, literisq; perpolita fœmina: quam ego venerabilem dominum Manuelem sæpenumero multis laudibus prædicantem audiui. Eiusdem non paucos Canonas vitæ spiritualis, inq; S. Demetrium, & alios cœlites poëmata legi. Habebant autem secum sanctam quoque Thomaidem, quam ad virtutis & literarum disciplinam erudiebant. Cum instaret ipsis viuendi finis, eidem quæ habebant omnia, vnà cum vxore Cypriani reliquerunt. Ea mulier importunam & asperam viri sui naturam non ferens, ad nominatum à me monasterium profecta, inter monachas nomen dederat. Postquam igitur illæ diem suum obierunt, rursum earum qua facultatibus, qua vitæ hæredi, Thomaidi scilicet, & omnimodis virtuti ac sanctimoniæ subiicitur, & huius subiectionis suæ cursum præclarè vsq; ad obitum conficit. Cypriani coniux, inquam, erat hæc, qui Constantinopolim venit, & monasterium sub nomine gemini Theodori construxit, quod Cypriani cognominatur. Thessalonica ab impiis (Turcis) occupata, sancta Thomais cum alumna sua Cypriani coniuge in Lemnum discedit, vt inde Cõstãtinopolim redeat. In Lemno auus meus per id tempus erat, cum vxore & liberis. Maxima igitur natu filiarum eius cernens sanctam hanc fœminam, & virtutem

ac ſermonem eius obſeruans, valere iuſsis parentibus, fratribus, ſororibus, & quo cum coniuncta fuerat marito, atque liberis, Theſſalonicam diſcedit, & monachis adſcribitur, ibiq́ue ſub imperiis huius ſanctæ viuit. Inde hæ tres, & ſolæ Conſtantinopolim emigrantes, principiò in monaſterium Clerenæ appellatum venerunt. Cum autem fama eius virtutis (Thomaidis puta) ſanctitatis, & exercitationis diuinarum ſcripturarum ad Imperatoris, & Patriarchæ, vniuerſæq́ue ciuitatis aures perueniſſet, Imperator aliud ei, & maius, ſalubriusq́ue monaſterium attribui iuſsit. Patriarcha verò in fœminas eius ſe diſciplinæ volentes ſubmittere, ſpirituale imperium illi conceſsit. Ciues autem poteſtatem liberam quærendis vitæ neceſſariis: Nec enim illis erat vel aurum, vel argentum, nec aliud quippiam, niſi opus manuum, & diuina per magiſtratus prouidentia. Cùm verò non ita amplum domicilium ad habitandum accepiſſet, ad vitam ſub eius obedientia agendam adeo multæ confluxerunt, vt ſedes illa non omnes caperet, & in monaſterium Libis, & Dominæ Marthæ, deniq; in plus duodena monaſteria ſuſciperentur. Et paupertatem eius, obedientiam, caſtitatemq́ue, & quidquid demum Deo gratum præſtaret, imitabantur. Ac ciues iam non *ſancta*, ſed *ſanctæ*, dicebant, & nomen ipſum hoc *ſanctarum* in ore habebant; eratq́ue monachis illis fœminis communis cibus, communis veſtitus, & nihil poſsidere proprium, nihil, etiam modicum, vel ad communem, vel ad priuatam vtilitatem facere, niſi conceſſum foret ac permiſſum. Ingrediebantur item ſine calceamentis, exiguo victitabant alimento, vilibus ſtratis humi cubabant. Cætera quæcunque cum virtute fieri conſtat, & ab illis præſtita ſunt, ſuperuacaneum eſt commemorare. Similiter ad ipſarum ſanctam & ſpiritualem matrem concurſum, & viſitationem Imperatorum, Imperatricum, principum virorum fœminarumq́ue, quarum aliæ benedictionis, aliæ eius ſalutandæ, & precibus ipſius ſeſe commendandi gratia ventitabant, quis hæc, inquam, & virtutem illius pro dignitate declarauerit? Vbi annos ſuos ita præclarè exegit, & Deus ſanctimoniam eius multis rebus demonſtrauit, tandem mors ei pretioſa in conſpectu domini obtigit, & è rebus humanis exiuit. Aliquot enim diebus cum leuiter ægrotaſſet, & monachas communiter ad perfectionem hortata eſſet, ſororem matris meæ, quæ in eius integritate imitanda, & ſubiectione prima erat, & omnia in cella illius procurabat, in locum ſuum deligit. Deinde pro conſuetudine ſedit, oculis clauſis os ad Dei laudes, & gratiarum actiones ſemper mouens. Seruabat enim planè ſancta hæc, quod à pa-

tre aurea verba fundente dicitur. *Ne contentionem, & magnitudinem vocis noueris (clamor enim ſanctos haud decet) verùm attentionem, & intelligentiam mentis, & feruorem animæ, & perpetuitatem precationis, ſecundùm quam etiam tacentes Deus audit.* Sancta igitur, cum nec eſculētum, aut poculentum quippiam accepiſſet, nec locuta quidquam eſſet aliud, præterquam cum ſacerdote, qui ad eam diuinis myſteriis impertiendam quotquot diebus accedebat, manus & oculos in cœlū tollens, & veniam delictis petens, accepit. Quin etiam Imperatori Ioanni, & Deſpœnis, & aliis ipſam frequenter inuiſentibus, & qui tum propter vltimas eius preces inuiſebant, viris & fœminis illuſtribus, & probatis hieromonachis, & Deo conſecratis virginibus veniam annuebat, preceſque pro illis faciebat. Atque ita cùm perduraſſet diebus ſeptem, ad dominum abiit, & ſepulturæ mandata eſt honorificè, omnibus propemodum hieromonachis, vocatis non vocatis, & illuſtribus vtriuſque ſexus concurrentibus. Hæc ita ſanè, & verè ſe habent.

CAPVT VI.

Somnium Protoueſtiarij, & liberatio è carcere. Qua conditione Patrenſes cum Conſtantino amicitiam pepigerint. Protoueſtiarius ſqualore pœnè confectus, humaniſſimè, & cum multis laudibus à Conſtantino accipitur, & donatur.

CVM iacuiſſem in carcere diebus quadraginta, adeſſetq; lux dicata memoriæ magni martyris S. Georgij captiuorum liberatoris, ſuppliciter eum rogaui, vt nominis cōſors, & cultor eius à puero, vinculis me eriperet. Tum ſomno correptus, viſus ſum mihi ad pulcherrimum templum, eius nomine in Manganis ædificatum, & inde appellatum conſiſtere, habereq; pateram in manu, & vincula in pedibus, ac tranſeuntem forte Imperatorem, vt Eccleſiæ ſacris intereſſet, obſecrare, vti me catenis leuaret. Ingreſſo iam Imperatore in Eccleſiam, reuerſus vnus de proceribus ſic me compellauit. Imperator, & dominus noſter iuſsit te vinculis iſtis ferreis abſolui; id quod etiam Domina noſtra Deſpœna, & omnes nos eum rogauimus. Et ecce circa matutinum noctis eiuſdem, hora conſueta, turris præfecti, & fabri catenis me expediunt, & excuſant ſe mihi, aiuntque, non hoſtili odio tam parcè ac malignè victum præbuiſſe; ſed quæ meliora darent, non habuiſſe. Poſt biduum adſunt iterum, meque de lytro interrogant. Ego per literas

teras dominum meum oraui, mitteret viros honoratos, qui de conditionibus liberationis meę transigerent cum his, à quibus captiuus detinebar: id quod factum est, & composita amicitia castellum Sarabole ei tradunt, hoc pacto, vt domum suam apud Glarentzam recedat. Et, si quidem per Maium venerit Metropolita & Dominus ipsorum, faciat quod ei libuerit: si non venerit, Patras illi dedant. Vtrinque igitur dictis sacramentis, & quinto Maij Sarabole accepto, Sclabitzam vsque, & fines Terioli se remouit. Propter me autem adducendum Ioannem Rhosotanum misit: me enim saluo & libero, quæ acta essent, tum demum rata fore existimauit. Liberatus igitur, saluus quidem, sed propemodum semimortuus redij, vbi Constantinus morabatur: qui me multo cum gaudio, & dolore vidit. Hoc, quia mortuo quam viuo apparebam similior: illud, quia libertatem receperam, multaque ad laudem & consolationem meam prolocutus est. Postquam abij in tentorium meum, in muneris loco pretiosę vestes, cum tiara Thessalonicensi, & gladio auro gemmisque conspicuo, & nummûm aureorum tribus millibus mihi oblatæ sunt.

CAPVT VII.

Nuntius infaustus de Patra. A Constantino responsum. Constantinus cum fratre Patram tendit. Camenitzæ claues oblatas recusat. Incolæ S. Andreæ eundem augustè venerantur. Factio Metropolitæ vt hostem è superiore loco appetit. Indigenæ sacramento subiectionis ei se adigunt. Protouestiarius oppidi Præfectus renuntiatur.

POSTRIDIE Glarentzam contẽdimus. Ecce autem paucis post diebus quidam ex Ameræ optimatibus narrat nobis, Patram Ameræ factam tributariam. Abstineret proinde obsidione illius & abiret: alioqui contra se exercitum missum iri. Respondit Constantinus in hęc verba. Atqui nos audieramus, velle ipsam se tradere Catelanis. Quare mihi consultũ non est visum, nos communes fratris mei magni Ameræ, nostrosque hostes tale castrum siue oppidulum in medio finium nostrorũ occupare perpeti. Itaque ne istuc fieret, & vt negotium impediremus hoc iter suscepimus. Et ecce, sublatis sarcinis domũ nos recipimus. Propediem nauigandi dabitur occasio, quæ ad fratrem meum magnum Ameram hunc illustrem virum (me autem ostendebat) mittam, qui

illi etiam alia multa inter nos agenda exponet. Turca his auditis, & muneribus amicè affectus, læto animo discessit. Vbi dies præstituta illuxit, nec Metropolita venit, Kalendis Iunij eiusdem anni Patram mouemus. Per eosdem dies & Thomas Despota Principis Centerionis (cuius etiam postea factus est gener) oppidulum Chalatritzam obsidebat. Constantinus porrò, & frater Theodorus itinere versus Patram pergentes, Camenitzam diuerterunt. Ioannicius igitur Balotas de Principis illius optimatibus vbi hoc didicit, ambos dominos adorandi sacram petiuit, & illico veniens claues oppidi profert, easque Constantino tradens subiicit: oppidum illud proprium esse domini sui, & æquè generi, vt ipse sit (etenim Principis filius ante sororem reginæ, dominæ Theodoræ legitimis nuptiis sibi coniunxerat) eumque sibi mandasse, vt maiestati eius id dederet. Respondet Constantinus. Ita se res habet, locus iste affinis mei est, at non fratris mei, qui mihi est germanior, quique pluris me facit, quam vt quidquam meum contra me occuparet: sicut quæ mea sunt, si ab ipso & domino tuo occuparentur, iniustè tenerentur. In præsens igitur si oppidum accipio, inter me fratremque meum dissidium exoriri necesse est, quod ne magnæ quidem rei caussa, nedum tantillæ fieri oportet. Sed ipsum conueniens, quod potes effice. His auditis orauit, vti placatè, & citra damnum vrbem iniret. Iussus ego vnà perrexi cum manu militum. In itinere in Thomam Raulum incidimus, is facilè se posse Ioannicium Legatum à me distrahere ratus est, quò rem in discrimen turbarum & litium inter fratres deduceret. Tamen Deo fauente illum saluum restitui domum. Reuersus, Constantinum in templo ad sepulchrum S. Andreæ (qui primus vocatus est ad apostolatum) saluum & incolumem inueni, quarto die Iunij ad vesperā. Die quinto eiusdem, mane, dominica, omnes oppidi primores, & plebs vniuersa egrediuntur, & ad templum, de quo dictum est, progressi, Despotam & dominum meum venerabundi salutant, eique claues oppidi porrigunt. Et ita lætitia maxima pars vtraque, & domini mei, inquam, & oppiduli, illi equestres, hi pedestres, quilibet conuenienter statui suo procedunt. Introeuntes, vsque ad ædiculas iuxta templum S. Nicolai progredimur, tota via constrata omnigenis floribus & odoribus, cum è domibus insuper vndique dextra læuaque aqua rosacea, & rosę, & odorifera folia spargerentur. De summo autem castelli, siue arce tzangris *(genus arcus, aut teli est)* petebamur quidem infestè: sed non lædebamur tamen. Nam qui à Metropolita stabant, castellum tenentes, præterea palatia iuxta ædificata,

cata, Præfecti annonæ, & sacrati viri, sperabant, vbi Metropolita rediisset, eius auctoritate oppidum, quod & prius obtinebant, recepturos. Postera luce nobis, totaque ciuium frequentia in æde D. Nicolai congregatis, concepto sacramento se Constantino fideliter subiectos fore spoponderunt. Deinde me Præfectum & gubernatorem suum decerni poposcerunt. Quibus ille, & se hoc meritis meis admodum debere, & eorum petitioni libenter concessurum respondit.

CAPVT VIII.

Protouestiarius cum duobus Turcis Legatis ad Constantinum redit ex itinere. Metropolita Patrensis de re Patrensi certior fieri studens, Naupacto succedit. Protouestiarius ibidem cur diem amplius manserit. A Præfecto vrbis conuenitur, & cum vulpe vulpinatur: qui astus fabella quadam declaratur. A Legatis vino sepultis litteras aufert. Quid responsum ab Amera. A collega vt inutilis, & damnosus reprehenditur.

OCTAVO die eiusdem Mensis Iunij Naupactũ discedens, vt ad Imperatorem primùm veniens, de rebus apud Patram transactis ei narrarem, deinde vltra cum illo ad Ameram proficiscerer, ad diem quartum in templo S. Andreæ moram traxi. Tum improuiso Turcæ duo Naupacti adsunt, vnus ab Amera, alter à Turachane, nuntiantes cum imperio, ne Patram in ditionem nostram acciperemus. Qui mecum reuertẽtes, tale à Constantino responsum referunt. Quoniam præsens hic de nobilitate nostra ad fratrem meum magnum Ameram proficiscitur (hæc autem cũ illis diceret, me oculis designabat) vt ille mandauerit, ita faciemus. Sic recedentes, apud Naupactum consistimus. Antequam porrò diluxisset, ecce tibi illic adest veterum Patrarum Metropolita Pandulphus Malatesta, triremi Catelanica seu Hispanica aduectus. Suæ namque diœceseos insulas dum rerum ordinandarum gratia obit, medio itinere, vt oppidum Despotæ traditũ audiuit, cursum per sinum illum proximè terram Aetolicam flexit, Naupactumque vrbem Aetoliæ, vt factum exploratè cognosceret deuenit. Rogauit igitur me quoque, vt in crastinum illic manerem. Quod illi duabus de caussis promisi: vna, vt indicarẽ domino meo

quod contigerat, quò id ex me primùm sciret: altera, vt Metropolitæ scopum atque consilium discerem. Ob hasce duas rationes cum illo mansi; Interueniente autem Becardo Cello Naupacti Administratore mutuùm cognouimus; quem intuitus sum admirans, ita per omnia Sidæ Metropolitæ imaginem gerebat. Accumbimus simul, & confabulamur. In ipsa autem confabulatione conatur expiscari, cur nam mihi iter ad Ameram susceptum sit. Ego vicissim ex illo quæro, quid ipse de rebus aduersus Patrã gestis sentiat. Cumque alter ex altero elicere nihil posset, accidit nobis perinde vt quæstuariis quibusdam mercaturam facientibus, quorum alter onus portabat, pro serico, maris * alter pro pipere lentisci baccam aridam. Cumque sibi fortè occurrissent, quæsierunt vicissim, quidnam mercium portarent. Vnus ait, sericum porto; alter, ego piper. Et vterque deludere alterum cogitabat. Atque ita consensu merces permutant, & vterque ignarus alterius onus accepit, festinatoque gradiuntur ambo, vt cùm longius inuicem recessissent, machinatio manifesta nè fieret. Diuersi cum abiissent, & longo iam interuallo distarent, apertis sarcinis quod quærebant haud repererunt. Tale quid nobis etiam vsu venit. Deinceps Metropolita Turcis, ab Amera, & Turachane missis, qui nobiscum erant, ad dominos eorum, à quibus missi venerant litteras dedit. Ac mihi vehemens incessit suspicio, ne fortè oppida quædam, aut vim pecuniæ illi promisissent, si se in Patris recipiendis adiuuaret. Nec suspicari destiti, donec intelligerem, quid eæ litteræ continerent, multumque in eo laborans, & inuitans eos, inebriaui largissimè (quanquam repugnantes) cum vnà potarem, parumque abfuit, quin vino sepelirer. Eò demùm ebrietatis processerunt, vt epistolas illas ab eis auferrem. Quas vt legi, transcripsi, rursumque obsignaui, & reddidi. Postquam in vrbem (Constantinopolim) veni, Marcus Palæologus Iagrus, qui & postea Protostrator creatus est; tunc Protouestiarij dignitate fungebatur, legationis socius mihi adiungitur. Ac pro eo vt me iuuaret in negotio, cuius ergô veneram, nescio qua de caussa factus est præuaricator; nisi quod inuidia vtilitati honorem habere non consueuit. Simul itaque ad Ameram profecti, responsum abstulimus, vti Patram iis quorum fuisset restitueremus. Ego igitur ad principem consilij Ameræ, nomine Braëm Bassam, aio me huiuscemodi responsum referre ad dominum meum non audere. Veruntamen quandoquidem ad Magnum Ameram ille me misisset, ipse quempiam mecum iuberet abire, qui Ameræ decretum renuntiaret.

tiaret. Quam petitionem approbans, prudenter, inquit, commodeque dixisti. Iagrus autem calumnians me, pro inepto habebat, quique ad nihil nisi ad damnum parandum valerem. Ego verò Deo bene volente hoc effeci, venitque mecum ab Amera legatus. Atque hæc prima caussa fuit, quare Patrense negotium mutaretur.

CAPVT IX.

Caroli dynastæ obitus. Sponsalia Thomæ Palæologi cum filia Principis Zachariæ Centerionis. Regina Theodora spiritum finit. Nuptiæ Thomæ. Protouestiarius ad dissidium componendum aduocatur. Capitur, & venditur. Imp. Ameram ab obsidione Thessalonicæ conatus reuocare, surdo canit. Constantinus Patram subigit, Catelani Glarentzam, quam ei vendunt. Legati Ioannis Imp. à Papa redeunt. Protouestiarius Præfectus Patrensis decernitur. Macarius moritur. Eius elogium. Muri Isthmi euertuntur. Patræ pestilentia conflictantur.

EODEM mense Iulio eiusdem anni Carolus Despota apud Ioanninam inter mortales esse desiit. Anno autem mundi 6938. Domini 1430. mense Septembri, Despotæ fratres Thomæ, connubium inter ipsum & filiam Principis Asanis Zachariæ Centerionis conciliarunt; quo mense ego Larissam ad Turachanem reuerti, & Patrensem controuersiam ad finem perduxi, omninoque composui. Mense Nouembri deinceps Regina Theodora Stameri è vita excessit, ingenti desiderio sui cum marito, tum nobis omnibus domesticis propter eximiam morum probitatem relicto. Corpus in æde quadam sacra apud Glarentzam ad tempus conditum, postmodum Spartam in monasterium ζωοδότου *vitæ datoris* delatum est. Et mense Ianuario eiusdem anni Dominus Thomas sollemni ritu Catharinam dicti Principis filiam Spartæ vxorem duxit. Die Martij vicesimo sexto, die & hora, qua me Patrenses comprehenderant, pro legato, rogatu Caroli Despotæ, domini mei affinis (fratris quippe vxoris eius Theodoræ) & germanorum eiusdem, Herculis, & Memnonis, in despotatum veni, vt eos dissidio laborantes in concordiam restituerem. Conuenerant quippe, & iurarant, si quid vir Princeps à Constantino missus (ego videlicet) de litibus quas haberent decerneret, se id simul firmaturos. Cum itaque

que prope S. Mauræ insulam venissem, à Catelanis cum quibusdam aliis,& rebus magni pretij captus sum. Vbi aliquandiu me retinuerunt, in Cephaleniam abduxerunt,vt videlicet Neapolim proficiscentes. Tandem Glarentzam reuersi sumus. Me porrò & comites, quinque aureorum millibus vendiderunt. Quo tempore (mense Martio videlicet) etiam Ameras Amurates Thessalonicam obsedit,quam tum Veneti tenebant. Misit Imperator Legatos Protosebastum Nicolaum Choniaten,&Francopulum Protostratorem, qui hæc ei renuntiarent. Pace & amicitia vigente inter eos,non licere ipsi obsidere quæ amici essent. Respondit Ameras. Vera dicere illos. Si istuc de rebus Imperatoris esset, non inuasurum fuisse; &,si inuasisset, dimissurum. Veruntamen constare omnibus, & ipsum quoque Imperatorem fratrem suum non latere, iam pridem Thessalonicam cum locis adiacentibus omnibus, vt peculium ab Andronico venditam esse Venetis. Nunc in medio vtrorumque imperij Venetis relinquendam non esse. Atque ita mense Aprili eiusdem anni inclytam Thessalonicam armis subiugauit. Constantinus,mense Maio eiusdem anni oppidulum Patram in potestatem redegit,quem ad id pestilentia intus sæuiens,& aliarum rerum incommoda afflictionesque ciuium adiuuerunt. Decimo septimo Iulij, Catelani Glarentzam obtinuerunt. Quam aliquandiu retentam, duodecim aureorum millibus domino meo vendiderunt: qui non ita multò post tota mœnia instaurari iussit. Eodem præterea mense ab Imperatore Ioanne ad Papam Martinum legati redierunt, Marcus,inquam, Iagrus,& Stratopedarcha, & Magnus Protosyngelus, & venerandæ basilicæ Præfectus in monasterio Pantocratoris, & hieromonachus ac spiritualis pater eius Macarius μακρὸς, id est, longus, vir & eloquentia, & virtute animi, & intelligentia præstantissimus. Hi in Peloponnesum profecti, Thomam, prout statuerat Imp. Despotam seu Principem instituerunt. Anno 6939. Christi 1431. Præfectura Patrensi cohonestatus sum. Eiusdem anni mense Octobri Beglerbegas Turca, nomine Sinanes Ioanninam, & ad fines eius discessit. Et vicesimo sexto Martij, die & hora eadem, qua narrata mihi acciderunt, per litteras domini mei, Bostitza scriptas,tristem nuntium accipio,nempe præteriti Ianuarij die septimo ex hac luce pestifera lue amicum meum optimum Macarium, qui & μακρὸς vocabatur,sublatum esse. Qui quanquam oculis Patriarchæ superbis & insatiabilibus, & cordi illius fero, & agresti hæreticus haberetur, tamen oculo omnipotenti

potenti semperque vigili, & in veritate iudicanti orthodoxus erat. Qui quodam tempore Constantinopolim à sancto monte reuersus, me auctore & adiutore monasterium Pantocratoris regendum accepit, quod omnes nôrunt. Et auxilio quidem primùm omnipotentis Dei, deinde studio & diligentia vtriusque nostrum monasterij illius rationes præclarissimè ac decentissimè constitutæ sunt. Exeunte vere eiusdem anni Turachanes venit, muros Isthmi rursus deiicit, & Patræ pestilentia multos absumit.

CAPVT X.

Legatio Protouestiarij. Ditiunculas Constantinus & Thomas permutant. Mors Cleopa reginæ. Rursum triplex legatio. Imprudentia puerorum Deiparæ templum Constantinopoli incenditur. Antonij Comneni Dynastæ abitus è vita. Mariæ illustrissimæ fœminæ dos, & patrimonium, à qua locorum quorundam commutatio petitur. Turachanes Turcicus Satrapa Thebas capit. Constantinus Venetas triremes exspectat. A Turachane responsum. Incommoda apud Euripum noctu à Constantino & sociis tolerata.

DIE primo & vicesimo Ianuarij, anni 6940. Christi 1432. ego Legatus ad Imperatorem (à quo tum Protouestiarij dignitate ornatus eram) & simul ad Ameram mittor. Quo anno, mense Martio etiam permutatio locorum inter duos fratres & Principes, Constantinum, & Thomam facta est. Quorum ille ad Calabrytam & vicina quæque: hic Glarentzam, & circumiecta loca discessit. Anno 6941. Christi 1433. domina Cleopa, filia Malatestæ, vxor Theodori Despotæ Porphyrogennetæ vitam finiuit, & in monasterio ζωοδότου sepulta est. Anno 6942. Christi 1434. die Ianuarij septimo rursum legatione ad Antonium Comnenum, Athenarum dominum, nec non ad Ameram, & ad Imperatorem denique functus sum: cuius mensis die vicesimo nono noctis hora tertia, pueri quidā nobiles templum in Blachernis Dei matris nomine ædificatum, templum illud pulcherrimum, sacratissimum, & miraculis nobilitatum incēdunt, quosdam pullos columbinos comprehendere laborantes. Quod quidem templum Constantinopoli in littore prope sinum ceratinum est positum. Hec

cum essemus Constantinopoli, audiuimus. Discéssimus Kalendis Februarij hora prima post meridiem, festi dominici, quod ὑπαπάντη (*Purificatio Mariæ apud nos*) dicitur. Ineunte æstate anni 6943. Christi 1435. Athenarum & Thebarum dynasta Antonius Lantzioles Comnenus naturæ concessit. Orante autem coniuge eius Maria Melissena, filia Leonis Melisseni senioris è patruelibus Nicephori Melisseni, cuius supra mentionem induximus, ego cum litteris bulla argentea insignitis, & iureiurando firmatis, & multo milite, missus sum, vt Athenas & Thebas in potestatem accipetem, & pro iis alium eidem locum in Peloponneso darem, in regione Laconicā, finitimum iis, quæ ex hæreditate à patre, & dote sua habebat. Sunt autē regiones, vrbes, atq; vici infra recensiti. Astrum, S. Petrus, S. Ioānes, Platamonas, Meligon, Proastion, Leonides, Cyparissia, Rheontas, Sitanas. Atq; ita, vt prope ista ei locū darem, qualis quantusq; mihi videretur, & ad sententiam ac voluntatem ipsius. Sed quoniam Turachanes anteuertēs Thebas iam obsidebat, quas etiam paucis diebus expugnauit, ego ab Isthmo re infecta redij, id quod in mandatis habebam. Inueni autem dominum meum Styllariæ triremes Venetorum exspectantem: quibus in vrbem veheretur. Nihil igitur effeci, vt dixi. Conscensis triremibus illis, vbi Euripū tetigimus, visum est domino meo mittere me ad Turachanem Thebis morantem, vt ei de Athenis significarem. Is me hilariter excepit, fideiq; faciendæ sacramentum addidit, si istuc scisset, prius quam domo huc profectus esset, pro amore quo in Despotam esset, atq; adeò propter notitiam mei, libenter quod peterē facturum fuisse; & id potuisse, siquidem iniussu magni Domini hoc fecisset. Nam domi, inquit, plurimas poteram caussas, & prætextus inuenire, & excogitare: nunc nullam queo. Tractauit autem me humaniter & honorificè, ac filios etiam me venerari adorabundos iussit, quos mihi, & Domino meo commendauit; è quibus vnus fuit, qui hodie potens, & magnus est Ameras. Hoc modo inde nullo effectu redij. Et quoniā Euripum accolentes, licet inuiti, pontē sustulerant (dies Augusti 29. agebatur) nos illam noctem extra pontem inter saxa mansimus, & multa aduersa à frigore, fame, & petrarum ariditate ac duricie, à timore item latronū, & exercitus Turachanis pertulimus. Equites enim nostri peregrini erāt, quos è Liethro pro mutuis sumpseramus. Idque procemium quoddam malorum fuit, quæ postea experti sunt, qui tunc mecum erant. Conscensis itaque mane triremibus, vicesimo tertio Septembris, anni 6944. Christi 1436. Constantinopolim peruenimus.

CAPVT

CAPVT XI.

Demetrius Despota iungitur vxori. Theodorus Constantinopolim quare venerit. Constantinus in Peloponnesum redit. Theodorus cum copiis sequitur. Magni bellorum motus inter fratres. Legati Imp. ad arma compescenda iterum missi. Constantinus Constantinopolim ex pactis conuentis contendit.

VICESIMO quinto Martij eiusdem anni in vrbem (Constantinopolim) venit Paraspondyli Magni ducis filia, vocabulo Zoë, in triremi imperatoria, ad quam adducendam Imperator Manuelem Palæologum miserat. Eam post dies aliquot Demetrius sacra cum cærimonia vxorem duxit. In eadem triremi venit etiam Despota Theodorus, quòd in vrbis & imperij possessione fratri propter ordinem nascendi succederet, quod ei ius Imperator quanquam inuito abrogabat; Constantinum quippe magis secum habere in vrbe cupiebat, quod procedens oratio declarabit. Quia verò sic euenerat, dedit operam, vti in Peloponneso cum tribus fratribus habitaret. Constantinus igitur, & Thomas nitebantur, vt duo alij apud Imperatorem manerent (Demetrius & Theodorus) ipsi duo in Peloponnesum discederent. Hinc Iunio mense eiusdem anni Constantinus velut fugitiuus, paruo nauigio Constantinopoli in Peloponnesum maturauit, & ego ad Ameram mittor, vti ab ipsis stare velit. Sic discedens mihi impositum negotium fœliciter transegi, & per terram in Peloponnesum reuersus sum. Inueni autem fratres ac dominos magnis bellorum turbis implicitos. Constantinum enim cum triremibus secutus est Theodorus, vt cum duobus fratribus suis decertaret. Et vtrinque ingentibus copiis collectis, anno 6945. Christi 1437. bellum exarsit, missique legati ab Imperatore ad fratres, probissimus ille Dionysius hieromonachus, qui appellabatur Metropolita Sardiensium, & Georgius Dysypatus. Et hi impetum Martium aliquantum sedauerunt. Tandem alij legati, Gregorius, inquam, Melissenus hieromonachus, & pater Imp. spiritualis, qui & Patriarcha Constantinopolitanus postea fuit, & à nonnullis Strategopulus dictus est, & cum eo rursum Gregorius Dysypatus & ego, qui eos in amicitiã concordiamq; reduximus sic, vt dominus meus discedens, Constantinopoli habitaret, Theodorus, & Thomas in Peloponneso manerent. Et 5. Septemb. anni 6946. Christi 1438. à Patra per terrã dominus meus ad Euripum nobiscũ abiit, conscensaq; Venetorum triremi, ab vrbe

Euripi Eubœa dicta, die quarto & vicesimo Septembris, incolumes Byzãtium delati sumus. Quoniam autẽ hoc ipso tempore habita est memorabilis quædam disputatio inter Ioannem Imperatorẽ, & Hebræum nomine Xenum, qui postmodum sacro baptismo regeneratus, Emmanuelis nomen accepit, eãdem litteris ad posteros mandare non omittam.

CAPVT XII.

Disputatio Hebræi cum Imperatore Ioanne, & Matthæo Hieromonacho super his capitibus. De partu Virginis. De morte Christi volũtaria. Adhuc de partu virgineo, & explicatio loci Isaiæ. Caussa aduentus Eliæ, & Enoch ante diem iudicij. De Antichristo. Quatenus Christus mortalis. De descensu ad inferos, resurrectione, ascensione, aduentu ad iudicium. Iudæi ad Christianam religionem transitus, baptismus, nomen Emmanuel.

PRIMVM omnium Hebræus Imperatorem sic interrogauit. Quî tandem Maria Christum generare potuit, cùm esset virgo? IMPERATOR. Quomodo Adamus Euam citra vsuram mulieris, citraque semen genuit? Quomodo petræ superficies percussa aquas scaturiuit? Quomodo virga Aaronis fronduit? Quomodo cœlitus manna demissum est? Quomodo impleta est hydria farina? Quomodo in vasa fictilia Elisæi oleum manauit? Quomodo Sampsoni è mandibula aqua saliit? Quomodo tres pueros incombustos caminus seruauit? Quomodo sub Manue petra absque materia arsit? Quomodo rubus sub Mose flagrauit, nec consumptus est? Quomodo Elias conscendens currum igneum exustus non est? Quomodo Isaias dominum in throno excelso, & eleuato sedentem vidit? Quomodo Daniel occultum somnium Nabuchodonosori aperuit? Quomodo cœlum astrorum pondus continet, cum non sustentetur? Quomodo nox diem genuit, & gignit? Quomodo lumen solis totum mundum illuminat? Hæc mihi si explicaueris, te etiam virginis partum putabo assequi posse. Verùm tu nec illa, nec istum comprehendis. HEBRAEVS. Si non coactus, sed sponte ac volens mortuus est Christus, vt asseris, meritò suiipsius interfector, & idcirco inferni pœna dignus existimetur. IMPERATOR. Magnum est, Xene, inter hæc duo discrimen: nec mirum, te hoc quoque vt alia ignorare. Interfector enim sui iure dicatur, qui semet sua manu occiderit; non qui propter charitatem in amicos sibi non parcit, eorumque caussa mortem subit. Talis enim non homicida sui, sed sincerus amicus nominari debet, qui semetipsum

metipſum pro dilectis tradit, vt eos, ſi ita poſsit, à morte ipſis impendente eripiat. Quare Chriſti humanitas gratiam potius, quàm iſtiuſmodi criminationes meretur. HEBRAEVS. Quam multa ſemper mala creauit mendacium? Non enim ait Propheta, *virgo concipiet:* ſed, *adoleſcentula*, virum experta videlicet. Vos autem portenta veſtra nobis volentes perſuadere, pro adoleſcente muliere virginem ſupponitis. Quis porrò verbis aſſequatur, quantam iſtuc dictu tantùm dubitationem, & auditu incredulitatem pariat? Quis enim poſt hominum memoriam audiuit, virginem matrem extitiſſe? Si quiſpiam mihi vnam proferre poterit, in nullo tibi amplius aduerſabor. IMPERATOR. Bene habet. Oſtende tu mihi alium Deum ante de cœlo deſcendiſſe, & corpus induiſſe: & ego tibi oſtendam virginem, vt tu vis, è qua ille generatus ſit. Quoniam autem deſcenſus ille, & aſſumptio corporis humani exemplo caret, ſi illud credis, etiam hoc (de virgine matre) quod primum, & ſolum eſt, admittere debebis.

SCHOLION Græci cuiuſdam. *Audi & intellige, Xene. Si nos Chriſtiani hanc vocem ita interpretati eſſemus, aliquid diceres. Sin autem veſtri generis erant interpretes illi, & eam annis trecentis præceſſerunt, fruſtra nos reprehenditis. Sed non cadit in tantam ſapientium virorum multitudinem mendacium. Numero enim duo & ſeptuaginta fuerunt, ex ſingulis tribubus delecti.*

Doce autem tu me, quomodo Moſes patres veſtros mare rubrum tranſire fecerit: & quo pacto tanta vis aquæ de petra profluxerit, vt vniuerſus populus inde ad ſatietatem biberet. Et quomodo arca à ſacerdotibus portata, fluento Iordanis diuiſo per ſiccum delata ſit: & Hierichuntina mœnia concuſſa ſint: & poſtea melote, ſeu pallio rurſus Eliſæus Iordanem perruperit, & aquarum facto diuortio, ipſe per aridam ambulauerit. Nunquid horum aliquod vi naturę factum dici poteſt? Nequaquam. Si illa ſupra naturam ſunt, etiam hoc eſt. Cæterùm incredulitatem veſtram magniloquentiſsimus Iſaias bene prodidit omnibus, *tota die*, inquit, *extendi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* Et ad omnia de Chriſto vaticinia, quanquam euidentia, & apertiſsima inſtar furioſorum afficimini. Aut ſimiliter vt ij, qui tritas vias declinantes, per præcipitia ſæpenumero ſemetipſos impellunt. Id quod in loco, de quo nunc ſermo eſt, magis committitis. Verumenimuero paulò ſupra repetamus, vt quis ſit verborum Prophetæ ſenſus, & de quibus loquatur, clarius perſpiciamus. *Appoſuit*, inquit, *Dominus loqui ad Achaz, dicens: pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, ſiue in profundum infra, ſiue in excelſum ſupra. Et dixit Achaz, non petam, & non tentabo Dominum. Dixitq́ Iſaias. Propter hoc Dominus ipſe dabit*

vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel. Butyrum (boum) & lac (ouium) & mel comedet, antequam sciat reprobare malum, & eligere bonum. Iterum igitur, & distinctè quod dictum est considerantes exponamus. *Apposuit Dominus loqui ad Achaz dicens: pete tibi signum à Domino Deo tuo siue in profundum, siue in excelsum. Respondit Achaz, non petam, & non tentabo Dominum.* Par est primùm nos exquirere caussam inobedientiæ Achaz, cur facere noluerit, quod ei à Deo mandabatur. Arbitramur itaque, quod cum homo esset, vanitate, & amentia obstrictus, ac Pseudoprophetis, & seminiuerbiis, & istiusmodi circumforaneis impostoribus auidissimè attenderet, diuina mandata contempsisse. Vnde Isaias quasi spiritum istum contemptorem, & impudentiam eidem exprobrans, *propter hoc,* inquit, *Dominus ipse dabit vobis signum:* qui videlicet misit me ad te profanum & impium, & diuinis iussibus insultantem. Noli enim existimare, me ad te missum, quia dignus sis: multum abest. Quare non propter te, sed propter domum Iuda, & vniuersos filios Israël missus sum. *Propter hoc igitur Dominus ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel.* Si quidem, vt tu affirmas, Propheta adolescentulam imminutam à viro, concepturam vaticinatus est, ineptum prorsus, & â ratione alienum erat, istuc signum appellare. Præterea vocem hanc *νεάνις adolescentula*, pro *παρθένος* virgo positam inuenies, si quæras, in Deuteronomio, vbi sic legitur *ἐάν τις βιάσηται ἐν τῷ πεδίῳ νεάνιδα παρθένον. si quis in agro oppresserit adolescentulam* (id est virginem.) Et alibi, *ἐάν τις εὕρῃ τὴν παῖδα τὴν μεμνηστευμένην, καὶ βιασάμενος κοιμηθῇ μετ' αὐτῆς, ἀποκτενεῖτε τὸν ἄνθρωπον, καὶ τῇ νεάνιδι οὐ ποιήσετε οὐδέν. Si quis inuenerit filiam desponsatam, & vim fecerit, dormieritq; cum ea, occidetis hominem illum: adolescentulæ autem (id est virgini) nihil facietis.* Et Esdras virginem illam cum Dauide rege ac Propheta iam senio confecto cubantem, non ob aliud, nisi vt annis iam frigentem foueret atque calefaceret, *νεάνιδα* vocat, ait enim scriptura, à rege non fuisse cognitam. Quoniam igitur, vt diximus, fœminam virili compressu concipere nouum nihil erat, parumq; conuenienter hoc signum Propheta nominasset, relinquitur, vt sentiamus ipsum dixisse, signum à Deo datum iri, istuc nempe, vt virgo, virum minimè passa, filium ederet: quod sanè portentosum erat. Et tamen vos Iudæi veritatem putidis, maleque cohærentibus, aut, vt dicam rectius, stolidis sermonibus euertere conamini. Nec istud fas est nos præterire. Nisi in virgine Maria hoc signum euentum ac finem suum habuisset, quomodo ex ea natus, non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Spiritu

ſancto, ſecundùm Prophetę oraculum Emmanuel vocatus eſt, id eſt, nobiſcum Deus? Nimirum ita Deum fore nobiſcum, qui ſumus homines dixit, vt eſſet ſimilis nobis homo, & idem Deus ſimiliter, quod & factum eſt. Et idcirco *καλέσουσι, vocabunt*, inquit, vt totam hominum vniuerſitatem ſignificaret. Cum his item, quę ſunt apud Baruch Hieremiæ ſcribam, penitus conſentiunt. Ait enim, *iſte Deus noſter, & non reputabitur alius ab eo. Inuenit omnem viam ſcientiæ.* Vt ſi quis diceret, nouit omnem ſcientiam, vt qui ſit ipſa ſapientia, *& omnes ſermones earum*, vt repertor & conditor earum. *Et dedit eam Iacob puero ſuo*, ſiue ſeruo ſuo, *& Iſraël dilecto ſuo. Poſthæc autem in terris viſus, & cum hominibus conuerſatus eſt.* HEBRAEVS. Cum poſt homines natos, Imperator, nullus vnquam vltra annos mille vitam propagarit, quo pacto ipſum Meſſiam iam annis plus mille, & quadringentis elapſis adhuc viuere opinamini? Fieri non poteſt. Sin autem mortuum affirmetis, hoc rurſus, ipſum Meſsiam eſſe, manifeſtum erit mendacium. Non enim Elias venit, qui natum vnget, vt fertur. IMPERATOR. *Erratis*, Xene, *neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei.* Venturum ſanè Eliam Thesbiten & dicitur, & creditur: non tamen vt Dominum vngat: ſed quia futurum eſt, vt naſcatur homo execrabilis ex gente Hebræorum, vt quidam volunt, qui capiet omnem vim, & operationem diaboli, & per eam ſigna & portenta efficiet, Deum ſeſe, & Chriſtum nominans: vt non ſolum multi tunc viuentium Chriſtianorum, ſed etiam quæ reſtabunt reliquiæ Iudaicæ gentis Antichriſti illius impoſturis tranſuerſim abripiendę ſint, venturos illo tempore aiunt Eliam, & Enoch à Deo miſericordiæ viſcera accipiente miſſos, vt doceant, & cum alios, tum etiam infœlicem Hebræorum nationem ad Chriſtum conuertant: aut quod idem eſt, ad S. Trinitatis fidem redigant, ne tota à diabolo abſorbeatur. Quamuis enim propter necem Chriſto illatam ſemet Dei, & Euangelij hoſtes fecerint, tamen propter charitatem Dei erga patres eorum ab eo diliguntur. Quos igitur prouidentia diuina pœnitentiam planè auerſaturos nouit, eos deſeruit: quos contrà ſacroſanctam Euangelij prędicationem complexuros præuidit, eos non deſpexit. Tunc ergo Iſaiæ vaticinium implebitur, hoc ſcilicet. *Si fuerit numerus filiorum Iſraël ſuper arenam maris, reliquiæ Iſraël ſaluabuntur.* Et hanc ob cauſſam Elias tunc à Deo mittetur, non, vt vos iactatis, Meſsiam vncturus. Nam tales confingere fabulas, rudium, atque imperitorum, & ſcripturæ prorſus expertium eſt, vt dixi antea. Chriſtus autem qua Deus, in cœlo & in terra, & in vniuerſo, & extra vniuerſum eſt. *Cœlum enim & terram ego impleo, dicit Dominus.* Qua

autem

autem homo, neque mille annos vixit: neque hîc, id eſt, in terris eſt. Sed vixit annis amplius triginta. Deinde à ſceleratiſsimis maioribus veſtris in crucem actus, ſpiritum exhalauit. Et ſanctum corpus eius in monumento repoſitum eſt. Ac interitum quidem admiſit, corruptionem neutiquam. Diuina autem hypoſtaſis inſolubili vinculo cum eo quod aſſumpſerat vnita, cum anima diuina ad inferos deſcendit, omneſque è diuturno carcere liberauit. Rediuiuum deinde diuina virtute corpus quod aſſumpſerat, interitu & morte abiecta, incorruptionem, & immortalitatem induit. Chriſtus itaque cum hunc in modum die tertio reſurrexiſſet, & Adamum vinculis exſoluiſſet, eique vitam priſtinam, quam in paradiſo degebat, reſtituiſſet, & cum reliquis diſcipulis vndecim ſæpe verſatus eſſet (Iudas enim abierat in locum, de quo Prophetæ dixerant, in ſupplicium puta ſempiternũ) poſt dies à reſurrectione quadraginta, omnibus diſcipulis, & ſanctiſsima ipſius matre præſentibus, ſpectantibusq; in cœlum aſſumptus eſt. Et nunc in cœlis Deo ac patri aſsidet, & cum eo ab vniuerſa cœleſtium hierarchia adoratur. Cum huic diſputationi intereſſet Matthęus Hieromonachus, & magnus Protoſyngelus, iuſſu Imperatoris Matthæus, quæ ſequuntur dixit, ac reſpondit.

HEBRAEVS. Quomodo Meſsiam iam veniſſe dictitatis, Thesbiten ſecundùm voces Prophetarum non veniſſe? MATTHAEVS. Audi, Xene, & intellige. Geminum aduentum Prophetæ prænuntiant, illum qui iam præteriit; & qui mundo deſinente futurus eſt. Et vnius quidem, ſecundi nempe, præcurſorem Eliam fore canunt: priorem enim præcucurrit Ioannes, quem Propheta Malachias angelum nominauit: non ſolum quia priorem domini aduentum iam vicinum promulgauit: ſed etiam quia vitæ inſtitutum ſectatus eſt, quod cum angelica vita propemodum certaret. Hunc etiam Eliam Chriſtus appellauit: non quod Elias eſſet: ſed quod eodem miniſterio fungeretur, quo ille fungetur. Sicut enim ille ſecundum antecedet, ſic iſte primum aduentum anteceſsit. Nec iſtam ob cauſſam tantum: ſed quia vitam colebat illius vitæ, & moribus æqualiſsimam. Et ſanè vtriuſq; horum Prophetæ meminerunt, & vt qui ambobus viam præpararunt, eos prædicarunt. At vos priorem quidem aduentum nequiter ſilentio præteritis, qui tamen ſcripturæ ſenſu prorſus continetur: de poſteriore ſolo loquimini, quem Eliam præcurſurum indubitatum eſt. Verumenimuero ipſum oraculum audiamus. Diuinus Malachias de Saluatore affuturo nos docere volens, & quale futurum ſit tempus retributionis, prius quidem de priore eius aduentu va-

tu vaticinatur, Ioannemque Baptistam illum præcessurum ostendit: sic enim ait. *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, & præparabit viam tuam ante te. Et statim veniet ad templum suum dominus.* Omnibus enim nesciis, partus salutaris contigit. Templum quippe naturam humanam à Deo Verbo susceptam appellauit. Cum primo autem aduentu etiam secundum describit. *Ecce veniet Dominus omnipotens, & quis sustinebit diem ingressus eius, aut quis subsistet ad videndum eum?* Inexorabilis iudex sedebit, reddens cuique iuxta opera sua. Deinde rursus ad priorem pertinentia ponit. *Quoniam ipse veniet vt ignis conflans, & sicut herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum & aurum.* Quibus verbis Propheta emũdationem per Spiritum sanctum futuram insinuat, quam Verbum θεανδρικῶς, id est, vtraque natura, diuina & humana nobiscum conuersatum nobis donauit. In hoc enim accedentes ad se mysticè conflat ac renouat Dominus, ignem spiritus, artificis cuiuspiam instar adhibens, & aqua baptismatis peccatorum sordes, vt herba aliqua, abstergit, igneque spiritus ex illa herba existentis, animas nostras in libertatem vindicat. Post quem rediens, iis qui animas suas à labe puras non custodierint, terribilis & implacabilis vindex apparebit. Mox de secundo iterum loquitur. *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbiten* (& indicans tempus, addit) *antequam veniat dies Domini magnus, & manifestus,* (alterius nimirum aduẽtus.) Exponit prȩterea quid facturus sit Elias cum aduenerit. *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Quoniam enim patres Apostolorum Iudæi erant, hoc videtur dicere, conuersurum per doctrinam filiorum ipsorum, siue Apostolorum corda patrum, id est, mentem animumque generis Iudaici. Conuertet autem quos tunc inuenerit ad bonam & probam Christi fidem, quasi ad paternam pietatis sortem, vnde pridem per infidelitatem exciderunt: *& cor hominis ad proximum suum,* fratres enim sensus, propensionesque fraternas induere faciet. Et demonstrans scopum ac finem, ob quem Elias prior (Ioannes) venturus sit, subiicit, *ne, forte veniens, percutiam terram penitus.* Ne vos omnes infideles reperiens, in supplicium nunquam desiturum mittam. His verbis secundum, & horribilem domini aduentum clarius expressit. Priore siquidem non venit percutere terram, sed saluare. An non igitur manifestè, & plenè vtrumque Saluatoris aduentum significauit? Vnus enim iam euenit, nosque admirandis charismatum imbribus irrigauit: alter ad finem mundo imminentem eueniet, & rationes totius vitæ peractæ ab vnoquoque exiget. Si itaque eum aduentum, qui propter salutem tantummodo hominibus affe-

rendam ſuſceptus eſt, pro nihilo ducitis: illum contrà, qui ad rationem Meſsiæ reddendam deducit, requiritis, cauete, ne ante eundem imprudenter in lupum pro paſtore, & in fauces Antichriſti incidatis, & cum ipſo in ignem æternum miſsi, incaſſum lachrymas fundatis. Annon hunc poſt temporis definiti periodum, & elapſum dierum numerum Daniel Propheta venturũ prænuntiauit, tropo quodam beſtiam, propter animum impotentem & effrænatum, omniq; diſcordia & impietate refertum nominans, & eum fluuio igneo, ante conſpectum iudicis labenti, prę aliis iniectum iri affirmans? Sicut enim diabolus toto huius ſæculi ſpatio nobis ad vexationem mentis, & ad exercitium liberæ volũtatis relictus eſt (ſi modò honeſtatis & virtutis compotes eſſe cupimus: ſtrenuos enim lucta & certamen prodit) ita & Antichriſtus, qui ab Enoch & Elia redargui non ferens, tyrannicè eos iugulabit, & martyrij coronam ipſis conciliabit. Igitur & ſanctiſsimi ſpiritus fulgore, & ſapienti Imperatoris, ac Matthæi Hieromonachi diſſertatione illuſtratus Hebræus, ſanctam Trinitatem palam confeſſus, omneſque orthodoxæ fidei articulos amplexus, diuino baptiſmate regeneratus, & pro Xeno Emmanuel nominatus eſt. Sed iam ad propoſitum redeat oratio.

CAPVT XIII.

Ioannis Imper. profectio in Italiam propter Synodum. Manuelis ad Ioannem filium oratio de timore Turcarum, & Synodo non cogenda. Eam filius paruipendit. A patre arrogantiæ reprehenditur. Ameræ humanitas in Ioannem. De itinere Imp. deliberatio. Conſtantinopolis oppugnationem Halimbaſſa diſſuadet. Thomas Palæologus ad Imp. nuntius legatur.

DIE viceſimo ſeptimo Nouembris eiuſdem anni Imperator Ioannes cum Patriarcha Ioſepho, & Demetrio Deſpota, multiſque tam profanis, quàm ſacratis primoribus, & vniuerſis propemodum Metropolitis, atque Epiſcopis, propter meditatam, & cui non profuit, ſeu, vt aptius dicam, quæ ipſa nihil profuit, Florentiæque coactam ſynodum diſcedit, vbi nõ omnes omnibus aſſenſerunt. Venerandus Imp. Manuel aliquãdo Ioannem filium ſuum Imperatorem ſolus ſolum, me vnico aſtante, cum fortè de ſynodo mentio incidiſſet, ſic eſt affatus. Fili mi, verè ac certò ſcimus ſceleratos (Turcas) intimis ſenſibus vehementer angi, ac

ac formidare, ne aliquando cum Christianis occidentalibus coniungamur, & ad idem sentiendum conspiremus. Hoc enim si fiat, ab iis quos dixi occidentalibus magno sese damno & malo propter nos mactatum iri putant. De cætero cogita de synodo, & modum quære, maximè, cum tibi impios illos timere necésse sit. Cogere autem illam ne aggrediare. Nam, vt apparet, nostri ad excogitandam rationem modumq; coniunctionis, consensus, pacis, charitatis, concordiæ non valent: nec solliciti sunt, vt eos retrogredi faciant, occidentales, inquã, & simus, quemadmodum vnà fuimus antiquitus. Quod profectò (vt regrediantur nimirum) nequit fieri. Ac timeo magnoperè, ne deterius schisma contingat. Et ecce interim impiorum tyrannidi sumus expositi. Cum Imperator sibi patrem audiendum nõ putaret, tacitus surrexit, ac discessit. Tum paulùm secum reputans beatæ memoriæ, & venerabilis pater eius, meq; intuens, ait. Videtur sibi filius meus præclarus Imperator: at non hac ætate præclaro Imperatori locus est. Spectat ille, & sapit magna, & qualia fœlicia tempora maiorum ipsius postulabant. Nam vt hodie res sunt, non Imperatorem principatus noster, sed œconomum, siue administratorem quærit. Et metuo, ne quando facinora eius, aususque temerarij domum hanc euertant. Vidi enim ante cogitationes eius, & quæ se cum Mustapha viriliter confecturum sperauit: & vidi in quæ pericula sacra nos dogmata præcipitarint. Visum tamen postea patris consilio obsequendum. Postquam ergo ad synodum proficisci decreuit, Andronicus Iagrus ad Ameram legatus missus est, vt hoc ei tanquam amico, & fratri videlicet significaret. Respondit Ameras, non sibi probari, eum abire, tantoque labore semet conficere. Et quid inde, inquit, emolumenti reportabit? En ego, si pecuniis ad abitum & reditum, & ad alios vsus indiget, paratus sum ei commodare. Denique multis sermonibus & consultationibus agitata res est, vtrum Ameræ auctoritati parendum, an ad synodum iter ineundum esset. Sed enim quod Imp. voluit, id factum est. Egresso igitur illo, & iter prosequente, Ameras missis copiis Constantinopolim oppugnare constituit, id quod omnes consiliarij eius pro recto confirmabant, & approbabant, vno Halimbassa excepto, qui repugnabat, quòd oppugnationem illam detrimentosam fore autumaret. Fortassis enim Imperatorem latinorum imploratis auxiliis, eorum de religione doctrinam complexurum, & ita euenturum quod vereantur ne eueniat: sed exspectaret, dum videret, quid Ioannes efficeret. Et si quidem in concordiam redierint, ipse amicitiam cum eis ac fœdus sanciat,

 ciat,

ciat,progreſſuque temporis,quod è re ſua iudicauerit,id agat.Si inter eos non conuenerit, tum magis poſſe explicare cogitationem ſuam,confidentiusq; facturum quod velit.Hoc conſilium Ameram cœpto prohibuit.De Halimbaſſa porrò,auctore huius conſilij,cętera narrandi alia dabitur occaſio. Conſtantinus igitur, & Principes Thomam Palęologum excitarunt,atq; ad Imp.miſerunt.Interea ancipites cogitationes, & fluctus curarum ingentes Conſtantinopoli, dum ſciremus,quid conſilium Halimbaſſæ promouiſſet. Et ecce factum, quod ſuprà dixi. Vtinam ne ſynodus iſta vnquã fuiſſet, ſi tantas offenſiones, & detrimenta paritura erat. Ac iter quidem Imper. Conſtantinopoli in Italiam vt ſuperuacaneum quippiam,&longum nimis tradere literis ſuperſedebo. Ingreſſum eius cum comitibus Venetias, vt ſplendidum ac ſuſpiciendum, & cognitione dignum, quomodo ex ore Deſpotæ Demetrij accepi,commemorabo.

CAPVT XIV.

Ioannes Venetias appellitur. A Duce & Senatu perhonorificè ſalutatur. Singulari magnificentia in vrbem introducitur. Deſcriptio bucentauri nauis Venetorum. Alia deſcriptio quadriremis, qua regia dicebatur. Laus Venetiarum. Ciuium plauſus & gratulatio ad Imper.ingreſſum. Iterum laus vrbis à ſplendore ædificiorum. Admirationes denique, quibus hoc caput refertum eſt.

SEPTIMO die menſis Februarij omnes triremes ſimul Parentio ſoluerunt.Imperatoria verò,vtpote cæteris celerior,alias Venetias anteuertit,& ad S.Nicolaum ſalua, die octauo, hora ſecunda applicuit. Ei obuiam volant nauiculæ tam frequentes, vt mare totum nauibus coopertum propemodum crederes.Mittit rogatum ſenatus,ſiue Conſilium reipub. ne ante craſtinum triremi ſua exeat, quò Dux, & Patrum collegium pro dignitate ipſum honorare queant. Breui Dux cum proceribus ſuis,& ſenatu adeſt, Imperatorem ſedentem adorat: idem primates, atque adeo omnes nudatis capitibus præſtant. A dextris frater eius Deſpota Demetrius, humiliore ſella, à ſiniſtris Venetorum Dux conſidebat. Poſtquam conſalutarunt, & alia ſecretiora collocuti ſunt, Dux ait Imperatori, ſe luce ſequenti, Deo volente, affuturum cum omnibus, debitumque eius maieſtati honorem habiturum, & occurſurum celebrius, Venetiasque introducturum. Ita cum illuſtribus ſuis receſsit.Vbi dies Dominica illuxit,5.Idus Februarij,hora quin-

ra quinta adest, magna cum pompa, cinctus proceribus, & consiliariis suis, & senatoribus, aliisque viris summatibus non paucis, in nauigio quodam, quo senatum vehi sollemne erat, & illorum lingua Bucentoro appellatur. Id serico rubro circumquaque conuestitum, & ornatum visebatur. In puppi leones aurei, & aurea emblemata. Totum denique nobilissimum illud nauigium variarum, pulcherrimeque depictarum historiarum imaginibus intebat. Cum eo adnarunt, quę latino idiomate quadriremes vocantur, circiter duodecim, & illæ similiter, vt Ducis nauigium ornatæ, atque intus & foris ad eundem modum depictæ, quibus portabantur nobiles quàm plurimi, & in circuitu nauium vexilla aurea, & tubicines innumeri, & musicorum instrumentorum omne genus. In his vidisses vnam planè eximiam, quæ regia quadriremis dicebatur, quam variè, & ad summum ornauerant. Remiges gerebant vestes frondibus aureis intertextis, & supra pileos signum celebratissimi Euangelistæ Marci, retro autem in iisdem pileis aquilam, imperatorium symbolum videlicet. Zangratores (genus sagittariorũ) alterius generis ac formæ vestes, & insignia habebant. In ambitu nauis, & in ipsa puppi aurearum aquilarum ingens numerus. Viri item quatuor auro illusas induti tunicas, cum capillis purpureis auro intermicante. In medio horum quatuor vir decorus aspectu nunc sedebat, nunc stabat, in veste splendida, & aurea, manu sceptrum præferens, quo se quasi quadriremis dominum esse declarabat. Alij nobiles velut peregrini & exteri (propter varij generis, & peregrinum quem gestabant habitum, videbantur) & Imperatori reuerenter apparebant. Ante prorã columna erecta stabat, quæ quadratam mensam, vlna aliquanto breuiorem sustinebat, cui insistebat cataphractus, instar solis coruscus, sinistra gladium tenens horribilem. Vtrinque duo pueri alati in angelorum schemate sedebant. Atque hi non opinione & imaginatione, seu ficti, sed re ipsa homines erant, mouebanturque. In puppi itẽ duorum leonum simulacra conspiciebantur, & inter eos aquila biceps; & quamplurima denique spectacula huiuscemodi. Alia insuper, quæ describere nemo possit. Velox erat hæc tetraëris, & nunc imperatoriam antecedebat, nunc in obliquum currebat, & cum lætis vociferationibus tubarumque cantibus in orbem se se agebat. Accurrerunt etiam acatia nauesque infinitæ, quas scilicet non magis quam stellas cœli, aut folia arborum, aut arenas maris, aut pluuiæ guttas numerares. Ac ne longus sim, Dux ad imperatoriam nauim cum senatu accedit, surgensque Imperatorem in throno se-

dentem adorat, cui dextrâ (paulo tamen demiſsiore ſolio) frater eius aſsidebat, vt diximus. Conſidens igitur Dux ſiniſtrà, inferiore ſcamno, vti Deſpota, prehẽſa manu eius, humanè & amicè colloquitur. Et ita paulatim, cum feſtiuiſsima pompa, tubis & omnibus muſicis inſtrumentis perſtrepentibus, ad inclytam, & amplam Venetiarum vrbem procedunt. Vrbẽ verè admirandam, & ſummè admirandam, opulentam, multifariam, auream, tornatilem, variegatam, & mille meritò afficiendam laudibus. Vrbem ſapientem, immò ſapiẽtiſsimam, quam non falsò alteram terram promiſsionis nominaueris. De qua reor Prophetam dixiſſe, Pſalm. 23: *Deus ſuper mare fundauit eam.* Quid enim quærat quiſpiam, quod illic non inueniat? Quocirca multis & ampliſsimis digna eſt præconiis. Erat porrò hora circiter ſexta, cum cœptus eſt Venetias introitus, & durauit vſq; ad occaſum ſolis. Venetum eſt ad ædes Ferrariæ Marchionis. Tota autem ciuitas commota, ſe obuiam Imperatori effudit, datiq; plauſus, & iactatæ lætitiæ voces ad ſidera; licebatque ſpectare eo die ad ſtuporem templum illud S. Marci, admiratione digniſsimum, palatium Ducis immenſum, aliaſq; Principum domus longè maximas, multo auro, & minio illuſtratas, elegantes, & elegantibus elegantiores. Qui oculis ipſi ſuis non viderunt, non credunt: qui viderunt, pulchritudinem illam, & formam, virorumque ac mulierum prudentiam ſcribendo conſequi nequeunt: ſicut nec hominum frequẽtiam incredibilem, ſtantium, & gaudentium, & exultantium ſuper aduentu Imp. Omnium tale & tam commune gaudium intuentium animi obſtupeſcebant, vt dicere liceat, ipſum quoque cœlum, terram, & mare illo die obſtupuiſſe. Certum eſt, quemadmodum quæ in cœlo condita ſunt, & creaturas Dei nemo intelligentia comprehendere poteſt: ſed eas tantummodò obſtupeſcit: ſic illius diei ſpectacula tantum obſtupefaciebant intuentes: quanquam non mediocris eſt inter hæc differentia. Cum igitur ad magnum illum pontem veniſſent, quem Realtum (*voce corrupta à riuo alto*) vocant, eum ad triremis ſub eo tranſitum ſuſtulerunt. Ibi quoque hominum cateruæ ſe effuderunt, cum vexillis auratis, & tubis, ingeminabantq; plauſus, & clamores lætitiȩ plenos edebant. Atque vt ſummatim dicam, quidquid eſt ſpectabile, ibi tum ſpectares. Ipſas porrò laudes, & honores quibus Imperatorem exceperunt, quis explicabit? Diuertit, vt ſuprà narraui, in ædes Ferrariæ Marchionis, & illic ſole iam occumbente triremem ſtiterunt, dictoque vale, Dux & primores domos ſuas abierunt.

CAPVT

CAPVT XV.

Ferrariam disceditur. Imperatori ab equitatu obuiam misso salus dicitur. Vrbem eques cum nobilissimo comitatu intrat. A Pontific. Rom. honorificè & paternè excipitur. Cum eo secretò de pace Ecclesiarum agit. In diuersorium regificè instructum deducitur.

DIE Februarij vicesimo egressi Venetiis Imp. & Despota Demetrius, omnisque clerus cum comitibus, versus Ferrariam nauigarunt, Patriarcha propter penuriam nauigiorum Venetiis remanente. Venerunt (vt quæ in medio acciderunt, quia minoris momenti sunt, sileam) ad castellum Francolinum, vbi quidquid nauium erat, reliquerunt. Per continentem Ferraria aduentarunt viri illustres in equis, prope quinquaginta, Imperatoremque venerabundi salutarunt. Cum ipsis Legatus veniebat, qui triremi Papæ vectus, in Cretam, & Constantinopolim venerat. Ipsum siquidem Papa ad explorandum Imperatoris animum miserat. Petiuit igitur Imp. die sequenti curari sibi equos centenos quinquagenos, quibus terrà Ferrariam iret, vbi Romanus Pontifex tum erat. Nocte illa eodem in loco manserunt. Luce altera per aridam, vt dictum est, iter fecit, & hora sexta vrbem cum honore, magnaque omnium voluntate ac lætitia ingressus est. Multi eum Archiepiscopi, & Episcopi Papæ, & ipsius loci Dominus, nempe Marchio, deducebant. Aderant eidem sacerdotes sui, & spiritualis pater eius Gregorius Magnus Protosyngelus, & alij fermè ducenti. Ita igitur clangentibus tubis, & omni genere musicorum instrumentorũ resonante, introiuit. Vniuersi porrò ciues ad videndum sacratissimi Domini nostri & Imperatoris introitum, cum honore & reuerẽtia concurrerunt. Sedebat Imp. in equo nigro, eoque bellissimo, stratorio ex purpura auro intertexto, quem Principes, & alij quidã stipabant, vmbellam cœlestini coloris supra eum deportantes. Ducebatur sine sessore ante ipsum alius equus candidus, æquè vt alter ornatus, habens in stratorio aquilas aureas, & reliqua ornamenta aurea. Beatissimus autem Papa in palatio suo, cum toto clero, Cardinalibus nimirum, Metropolitis, Episcopis, sacerdotibus, cæterisq; ecclesiasticis, & viris principibus ac dominis multis, Imperatorem exspectans residebat. Cumque intra vrbem essent, qui præcedebant

ſeptimo, anni 6948. Chriſti 1440. ex hac inani vita Deſpœna Maria Trapezuntia emigrauit. Deinde primo die Iunij eiuſdem anni etiam Deſpœna Eugenia Catelufia, Lesbiorum Principis filia mortem obiit, ambæque in monaſterio Pantocratoris ſepulturam acceperunt. Sæuiit tunc hyems, ſi vnquam antea. Die decimo ſeptimo eiuſdem menſis commune debitum perſoluit domina & regina Zoë, in monaſterio dominæ Marthæ ſepulchro illata. Menſe Februario eiuſdem anni, quotquot in Italiam Synodi cauſſa profecti fuerant, Conſtantinopolim redierunt, Imperator, inquam, Deſpota Demetrius, & reliqui; tribus demptis, qui in Italia manſerunt: Ioſepho Patriarcha, qui Florentiæ ad dominum hinc exceſsit; & Sardienſium Metropolita, qui Ferrariæ obiit; & Beſſarione Niceæ Epiſcopo, qui Romæ ſedem fixit; quem quidem Imp. & Synodus poſt defunctum Ioſephum, Patriarchā creauerant. Poſtea propter perturbationes rerum, & ſcandala neſcio quæ Conſtantinopolim non venientem, ſed Romæ hærentem, Princeps Archiepiſcopus (*Papa Romanus*) cum penſionibus liberaliſsimis ad numerum & ordinem Cardinalium adſcripſit. Viceſimo ſeptimo Martij, Dominica Reſurrectionis, alter filius mihi natus eſt, Alexius. Vixit diebus non plus triginta. Vere eiuſdem anni Metrophanes, ex Metropolita Cyziceno Conſtantinopolitanus Patriarcha renuntiatus eſt. Die ſexto Decembris anni 6949. Chriſti 1441. in Lesbum iuſſus diſceſsi. Dominus enim meus Conſtantinus Aecatharinam, Domini Notaræ Palæologi Catelufij, eiuſdem inſulæ Principis filiam connubio ſibi ſociare decreuerat, & ego ſponſalia feci. Eiuſdem anni Aprilis die decimo ſexto, ſancta Paſchæ Dominica, ſuſcepi filiam, nomine Thamar, quam ſimiliter Conſtantinus è ſacro baptiſmate ſuſtulit. Eadem luce Paulus Aſanes, aſſumpta filia ſua Aſanina, Lesberiam profugit; quam eius amore captus Deſpota Demetrius, thori ſociam expetebat. Quod Imp. & Conſtantinus Deſpota eius germani fratres, cum Deſpœna matre nec audire ſuſtinebant. Quam tamen, eodem Paulo Meſembriam reuerſo, occultè illuc profectus, legitimam vxorem ſibi copulauit. Die viceſimo ſeptimo Iulij eiuſdem anni Conſtantinus regiis triremibus in Lesbum profectus, dominam illam Aecatharinam Catelufiam ducit. Drungarius, ſiue præfectus harum triremium erat Notaras, qui poſtea Magnus Dux eſt declaratus. Et Septembri menſe anni 6950. Chriſti 1442. Conſtantinus Deſpœnam & vxorem ſuam, in patria ipſius reliquit, & in triremibus dominorum, aliaque triremi Lesbica in Peloponneſum venimus. Viceſimo Octobris, ego ex

go ex mandato legationem ad Ameram & Imperatorem obiui, mysterium apportans, quod si permitteret fieri Imp. ad Despotam Demetrium Mesembriam ascenderem, eique oppida & loca omnia, quæ in Peloponneso Constantinus possideret, addicerem: ipse Constantinopolim rediret, Selybriamque cum locis finitimis ad Maurothalassam, siue mare Euxinum, vsque ad Dercum haberet: vt ita esset vrbi vicinus propter spem imperij, quod & Imperator volebat, qui me humaniter excepit. Mense Ianuario Mesembriam ad Despotam Demetrium saluus perueni, qui sese ad bellum Constantinopoli, Imperatorique ac fratri suo inferendum instruebat: qua de caussa me infecto negotio dimisit. Diebus quibus illic sum commoratus, Paulus graui apoplexia tactus exspirauit. Reuerso me in vrbem, & exspectante, vt auctoritate Imperatoris ad dominum meum in Peloponnesum redirem, ecce vicesimo tertio Aprilis eiusdem anni Demetrius Despota vrbem incursat, & ei obsidendæ exercitum, magnam partem auxiliis Turcicis constantem admouet, & quidquid mortalium extra mœnia reperit, malè habet, ac disperdit. Quo mense illi nata est filia, quam postea Ameras Mahometes pro vxore habuit. Mense Iulio eiusdem anni Constantinus vrbem petens, & per Lesbum iter habens, coniugem secum duxit. In Lemnum vt venit, vniuersa illum classis Turcarum, quæ diutius ibi steterat, oppugnauit. Verùm diuino auxilio factum est, vt conatu irrito abnauigaret. Despœna porrò coniux eo casu in morbum incidens, abiecto partu, Augusto mense eiusdem anni Palæocastri, in eadem insula defuncta ac tumulata est. Et duodecimo Septembris *6951*. Christi 1443. peperit mihi coniux alium filium, Alexium. Mense Nouembri Despota, & dominus meus in vrbem aduentauit, & primo die Martij ab Imp. Selybriam accepit, meq; administrationis ergô mittens, mandauit, vt eam diligenter custodirem, propter eos quos suspectos habebamus, Ameram nempe, Demetrium, atque adeò Imperatorem ipsum.

CAPVT XVIII.

Protostratoris Francopuli Constantinopolim aduentus. Constantinus, Ioannes Imp. Theodorus germani ad pactionem veniunt. Constantinus in Peloponnesum nauigat, Theodorus Constantinopolim: à quo Protouestiario præfectura locorum Peloponnesi defertur. Papæ Legatus ad Imp. Protouestiarij propter bellum regis Hungarorum in Turcas legationes. Marci Episcopi Corinthiorum laudatio. Hungarorum cum Turcis conflictus. Rex à pugna per se conserenda deterretur. Ianci summi ducis animosa pollicitatio. Rex ipse fortißimè præliatur. Cadit. Hungari dißipantur. Virtus IanitZari. Ab Amera honoribus colitur.

MENSE Iunio eiusdem anni Francopulus Protostrator, filius sororis Magni quondam Protostratoris Nicephori Melisseni, de quo alibi in hac historia disseruimus Cōstātinopolim venit, & vt iam nominati magni Protostratoris nepos, iussu Despotæ Theodori Messeniaci sinus præfecturam obtinuit, donec eam Constantino tradidit, vt suprà scriptū est. Tum ego quoque iussus, Selybria Constantinopolim accesi, factaque sunt inter fratres pacta huiuscemodi. Vt Constantinus in Peloponnesum discederet, & ditionem Theodori omnem occuparet. Theodorus Constantinopolim veniret, Selybriam acciperet. Quod etiam factum est. Decimo Octob. 6952. Christi 1444. ab vrbe in Peloponnesum soluit, eadem naui Theodorus mense Decembri eiusdem anni saluus in vrbem est transuectus, cui mense Martio Selybriam tradidi, ingressusque nauim Cretensem Antonij Hyalinæ Caristrum ad Euripum delatus, tertio Iunij pedestri itinere Spartá veni, sumq; rogatus à Theodoro vehementer, vt & Selybrienses gubernare vellem, qui primi fuissent illius subditi. Aggressus itaq; iter, Isthmum à domino meo æstate præterita ædificatum inueni. Cum Spartam post dies non ita multos rediissem, multis triremibus Constantinopolim Cardinalis ac Vicecancellarius, & Catholicus Papæ legatus, propter expeditionem regis Hungariæ aduersum impios (Turcas) appulsus est. Tum ego rursus ad Imperatorem, Ameram, ipsumque regem Legatus iui. Quin etiam ad ipsum Legatum, & ad Præfectum Aloysium Lauredanum super officiis necessariis, quò res procederent. Vt veni Corinthum die Augusti tricesimo, vt triremes apud

apud Euripum soluturus conscenderem, pium & bonum Marcum Corinthi Episcopum, qui & in aula nostra natus, & nobiscum familiariter versatus est, & ab iniusta nouerca sua multum cruciatus, à parentibus meis non mediocria solatia, & auxilia est expertus: qui item aduersissimis casibus exagitatus patriam fugit, & in Xantopulorum monasterium secessit, vbi vitam egit laudatissimam, hunc, inquam, sepultum inueni. In Euripum vt veni, nec triremes inueni, alia nauigatione in Lemnum traieci, ibique reperta triremi quadam imperatoria, Constantinopolim incolumis tetigi, ineunte Nouembri anni *6953*. Christi 1445. Eiusdem mensis die decimo Rex Hungariæ apud Varnam ab Amera cæsus est. Inter Hungaros enim & Turcas bello excitato, regis exercitus exultabat omnimodis. Ameras, & consilium eius recedendi opportunitatem quærebant, si possent: multus quippe timor & tremor impios perculerat. Hungari contra lætabundi cum audacia, & virilitate fidenter stabant, victoriam sperantes, Ameramque & copias eius oppressuros confidentes. Die altera cum Hungari pugnam capessere cuperent, deliberatione habita iudicatum est à rege & aliis quibusdam, vti rex per se prælium consereret, & vsque ad tentorium Ameræ, si posset, penetraret, vt fama victoriam ipsius virtutemque toto orbe prædicaret: Nullo quippe negotio victorem euasurum arbitrabantur. Ast Iancus magister militiæ, vt vir prudens, & bello expertus, sentire alia omnia; fortunam incertam esse, nec postulare necessitatem, vti tam periculosum facinus aggrederetur. Se, quidquid maiestas eius iussisset, facturum. Ac, si mihi fortuna fauerit, inquit, vsque ad Ameræ tabernaculum pugnando enitar. Quod si vsque ad extremum nobis arriserit, gloria Dei, victoria maiestatis tuæ est eritque. Sin occumbam, nihil idcirco vos remorabitur. Intuemini serpentis prudentiam, vt semper caput tegens totum corpus conseruat. Sin caput percussum sit, corpus omne perit. Eodem modo, si maiestas tua impressionem fecerit, & secus res ceciderit (quod Deum rogo vt auertat) certum est nos omnes perituros. Rex Ianci consilium aspernatus, sequenti luce prælio valido & horribili commisso, cum multa effusione sanguinis, Turcis magna multitudine fugam arripientibus, vsque ad Ameræ tentorium dextra audens accessit. Ameras fugere volens à Ianitzaris prohibitus est: timebat enim malè, regem tam animosè dimicantem aspiciens. Et quò minus posset fugere, catenas equo iniecerunt, salutem eius fortiter defensantes. Rex aliunde viriliter pugnans, Ameram cum omni eius apparatu in potestatem redigere annitebatur.

tur. Tum quidam de Ianitzaris, Chamutzas vocabulo, & Peloponnesiota, posteriorem pedem equi regis securi vibrata vulnerauit. Labitur ille cum equo. Ianitzarus accurrens lapsum obtruncat, & vt ipsis mos est, lætis clamoribus caput hastili præfigunt. Id videntes Hungari, huc illuc diffugiunt, multique in fuga capti & interfecti sunt. Atque hic mali consilij euentus fuit. Camutzam Ianitzarum Ameras, eius fortitudinem & imperterritum animum remunerans, Drungarium Biglæ, seu Præfectum excubitorum honoris caussa creauit; quod munus eorum lingua Ianitzaragas dicitur, ac breui interuallo ad Veziratum euexit.

CAPVT XIX.

Calores maximi. Gregorius fit Patriarcha. Filio Protouestiarius beatur, creaturq; Præfectus Spartani Principatus. Testimonium de ipso Constantini, & præcepta politica. Filia Thomæ Lazaro Seruiæ Despotæ nubit. Ameras Isthmum occupat, Patras igni vastat. Legatio Protouestiarij Constantinopolim. Mors Theodori Despotæ apud Selybriam. Mors filij Protouestiarij. Mors Ioannis Imp. ætas, tempus imperij.

DECIMO SEPTIMO die Iulij eiusdem anni, toto orbe æstus immensus, & memoratu dignus extitit; qua æstate spiritualis pater Imp. Gregorius Melissenus patriarchatu donatus est. Decimo quinto Augusti, genitus est mihi filius Andronicus, qui diebus tantum octo superfuit. Anno 6954. Christi 1446. mense Decembri senescente, mercatorum Venetorum triremibus in Peloponnesum vectus perueni. Primo Septembris anni sequentis Spartæ, oppidorumq; omnium adiacentium in circuitu, id est, Culæ, Ebraicæ, Tripes, Tzeramij, Pancotorum, Sclabochorij, & aliorum denique locorum, omniumque redditutum vectigaliumque Præfectura & administratione cohonestatus sum: quam latè patentem gubernationem nemini aliquando contigisse arbitror.
„ Idem dominus meus tali me sermone compellauit. Tua obsequia fi-
„ delia, meaque erga te voluntas & amor fecerunt, vt tibi Spartanam
„ Præfecturam committerem, quam Corinthiacæ, & Patrensi similem
„ esse cupio: quarum illam Ioannes Cantacuzenus, hanc Alexius La-
„ scaris obtinet. Et scito me alium Præfectum non creaturum, præter
„ Ioannem Sophianum Eudæmonem. Sed neque hic semper ero: ve-

rùm

rùm regionem meam multis & vtilibus de causis obibo. Cumque Corinthi fuero, reuisam leges meas, ad locũ illum pertinentes, cum Ioanne Eudæmone & Cantacuzeno, easque discuti & seruari iubebo. Rursum cum Patris fuero, cum Lascari & Ioanne eodem, relicto Cantacuzeno in Præfectura sua. Cum hîc tecum, & cum Ioanne, & aliis fuero, vbi Deo placuerit, vxorem ducam, & tu cognitus & probatus mihi in omnibus, ei inseruies. Nunc ego ad meliorem ædificationem quam Isthmi discedo: tu hîc manens bene guberna prouinciam tuam. Nemini fac iniuriam, tolle dominatus, & fac, vt ne aliud imperium extra tuũ habeant, teq; perinde ac me, seu pro me dominum agnoscant. Quod si præter fas nullum læseris, nec ad personam respexeris, nec latum digitũ à legibus discesseris, præmia Deus retribuet, & nos tibi gratias agemus. Abstine ab accipiendis muneribus. Nam de his qui munera accipiunt sic Chrysostomus. *Ignis comburet domos, & corda dona accipientium: & acceptio donorum peruertit iustitiam, adeoq́ excæcat, vt & insontes damnet.* Præterea hisce tribus virtutibus prędítum esse oportet iudicem populi Domini, & consortes Christianismi. Fide recta erga Deum, & erga eum, à quo dignitatem est consecutus: veritate in lingua; temperantia in corpore. His omnibus præclarè te inde vsque à iuuentute tua præditum noui. Et in Apostolicis constitutionibus scriptum extat. *Esto iudex non acceptor personarum, nec diuitem reuereatur, aut indecore aduletur, nec pauperibus parcat. Non enim respicies, inquit scriptura, vultum potentis, nec pauperibus misereberis in iudicio. Quoniam iustum Dei iudicium iustitiam persequetur, nec placebit vnquam iusto iniustitia.* Adorato igitur illo, & gratiis actis, die vicesimo octauo eiusdem Septembris in Isthmum contendi. Mense autem Octobri eiusdem anni, Glarentza abiit domina Helena, Thomæ Despotæ filia, vt in Seruiam proficisceretur, & Lazaro filio Georgij Despotæ nuberet, vt etiam nupsit. Quare & ipsum Lazarum Despotæ honore Imperator Ioannes propter patrem eius, virum humanissimum honorauit. Vicesimo septimo mensis Nouembris eiusdem anni Ameras oppugnatum venit Hexamilium Isthmum, quem decimo Decembris occupauit. Reuersus, Patram duntaxat cepit, incendioque deleuit. Augusto mense eiusdẽ anni rursus Constantinopolim multas ob caussas missus sum: insuper de Trapezunte & Gotthia, & de quodam coniugio Domini mei: quoniam de vxore inde capiunda iam ante egeram, quo etiam eadem de caussa hieromonachos, & quosdam de meis domesticis miseram, præsertim autem hieromonachum

nachum Iſidorum, qui & poſtea Athenarum Metropolita delectus eſt, per quos ſcripſi. Ibi cùm degerē, menſe Iulio *6956*. Chriſti 1448. dominus Theodorus peſte conſumptus eſt Selybriæ: cuius corpus vectum in vrbem, & in monaſterio Pantocratoris ſepultum eſt. Decimo quinto Auguſti eiuſdem anni, mortuus eſt mihi Alexius filius, cum vixiſſet quinquennium, & menſes vndecim; cuius obitus vehementer me afflixit, quando miſer neſciebam, quæ mihi acerbiora euētura eſſent. Triceſimo primo Octobris, *6957*. Chriſti 1449. etiam Imper. Ioannes vitæ curſum expleuit, annos natus ſeptem & quinquaginta, menſes decem, dies quindecim, primoq́ue Nouembris in monaſterio Pantocratoris funeratus eſt, poſtquam imperauit annos viginti tres, menſes totidem, dies decem.

Finis Libri Secundi.

LIBER TERRIVS,

IMPERIVM CONSTANTINI, MANVELIS FILII, PALÆOLOGI, IMPERATORVMQVE ORIENTALIVM POSTREMI, ET HISTORIAM CAPTÆ CONSTANTINOPOLIS POTISSIMVM EXPONENS.

Summa libri.

ADVENTVS Thomæ Despotæ Constantinopolim res turbulentas in tranquillum confert, quiescitq́; Demetrij fratris importuna ambitio. Ciues Constantinopolitani Despœnæ, siue Augustæ, & filiarum eius auctoritatem & voluntatem complexi, Constantinum imperio præficiendum esse consensu statuunt. Eorum consilium Ameras haud improbat. Mittuntur certi quidam proceres in Peloponnesum, qui eidem Constantino diadema imponant. Venit Byzantium, & summa omnium gratulatione, hilaritatéque, ludis, & triumphis accipitur. Thomam fratrem despoticæ dignitate exornat. Thomas & Demetrius in Peloponnesum discessuri, antea sacramētis conceptis iurant, vicißim sibi detrimenta non illaturos. Protouestiarij in Iberiam propter filiam regis Iberorum Constantino despondendam splendidißima legatio, magno cum apparatu, comitatu militum, instrumētis & artificibus musicis. Iberorum ad cantus fidium, & organorum audiendos facti concursus. Narratio longiuscula cuiusdam senis super captiuitate sua, & rebus in India mirabilibus; de caußis item incrementi fluminis Nili. Naufragium Protouestiarij. Mors Irenes Augustæ, quæ coniux fuit Manuelis. Mors Amuratis, & succeßio filij, Mahometis II. de quo peßimè ominatur Protouestiarius. Dona ex Iberia ad Constantinum mittit, cui coniugium cum Amerissa defuncti Amuratis vxore, filia Principis Seruiæ suadet; tacitasq́; obiectiones aliquot dissoluit. Amerissa oblatum matrimonium propter votum castitatis recusat. De moribus & institutis quarundam gentium dissertatio. Dos filiæ danda à rege Iberiæ explicatur. Sermo Protouestiarij cum Imperatore, prædicante illius erga se studia ac merita, & condigna præmia pollicente. De connubio Seruiano. Conscribitur bulla super nuptiis cum filia regis Iberiæ, & deferenda Ibero homini traditur. Agitur de altero fratrum è Peloponneso aduocando, qui, si quid conetur Ameras, ad

occidentis Principes auxilia petitum abeat. De nauigationibus à Protouestiario suscipiendis in Peloponnesum, Cyprum, Iberiam. Excusanti se propter vxorem, Imp. respondet humaniter. De eodem honoribus, bona pace Mag. Ducis Notaræ afficiendo. Promissa Imp. de collocanda ipsius Protouestiarij filia, & de præfectura ditionis Melisseni. Sermo longior, ex quo satis apparet, quantum de Imperatore meruerit. Colloquium Imp. cum Notara, super honore Protouestiarij. Quibus de caussis Protouestiarius filium in Peloponnesum ducere secum voluerit. Creatur Magnus Logotheta, iubeturq́; titulum hunc vsurpare in literis. Modestè honorem recusat. Mandatur Notario, vti eum in epistolis sic appellet. Iter eius ab Amera Adrianopoli aduersus Byzantium copias educente impeditur, & in nihilum recidit. Sequitur deinceps historia expugnatæ, vastataq́; Constantinopolis, à cap. 7. vsque ad 19. sanè luculenta, & fide inprimis digna. Oculis enim pœne omnia conspexit, ac præsens tantæ calamitati interfuit, omnium Imperatoris consiliorum arcanorumq́; inprimis conscius. Multi sunt cæteri in commemorandis cladibus, miseriis, ignominiis, quas captæ vrbi intulerit tyrannus: sed de apparatu hostium, de oppugnationibus, & defensorum virtute constantiaq́; parum differunt, quia videlicet illa comperta minimè habuerunt, vt Protouestiarius habuit, qui etiam pro mœnibus stetit, & ab aliis omissa accuratissimè explicat. Illa verò pœne lachrymis prosequenda calamitas fuit, quod ad vrbem tam amplam & frequentem contra infestissimum hostem tuendam ne septem quidem millia omnino inueniri potuerunt, quorum maiorem partem Ligures, & Veneti conficiebant. Oppugnantium autem tanta fuit multitudo, vt non, quemadmodum Agamemno apud Homerum de numeroso exercitu suo glorians, & Troianorum paucitatem contemnens dicit, vni Troiano decem Græcos opponi posse, sic decem Turcæ aduersus vnum oppidanum pugnarent, sed (vt historicus affirmat) contra vnum quingenti propemodum. Omnino oratori campum latum suppeditat lamentandi tam inclyta, & rebus omnibus florentissima ciuitas. Anni à Constantino ad Heraclium. Ab Heraclio ad Constantinum Palæologum. Quamdiu Palæologi imperarint. Item quot annis imperium Constantinopoli fuerit. Humanitas Ameræ in Christianos. Cærimoniæ in Patriarchis inaugurandis. Quos honores nouo Patriarchæ Ameras habuerit. Templum S. Sophiæ in Meschitam conuertit. Patriarchæ domicilium in monasterio Ioannis Baptistæ attribuit. Colonias Constantinopolim deducit. Protouestiarius cum vxore & liberis capitur, & venditur. Liberos, adolescentulum & puellam videlicet magno ab Hippocomo Ameras mercatur. Christiani de subsidiis nõ allatis accusantur. Veneti quare opem negauerint. Cardinalis Russiæ cur patriarchatũ recusauerit. Constantinus Imperator quid pro salute vrbis egerit. Cometa quid portẽdere iudicatus sit. Noctibus serenis fulgura & tonitrua. Mane terræmotus. Æstus insolitus. Albanitarum aduersum Despotas rebellio. A filio Turachanis domantur. Protouestiarij filium Ameras sua manu occidit. Vxorem cum eius nutrice pecunia redimit Protouestiarius.

Filia

Filia in Saraio moritur. Res Ameræ in Peloponneso. Quorundam Principum interitus. Ab Amera partim vi, partim deditione occupata. Thomæ Despotæ in oppidis dedendis temeritas. Ameras Demetrij filiam vxorem poscit. Qui Thomam ad fratrem armis lacessendum sollicitarint. Thomas quæ loca receperit. In discordiarum auctores inuectio. Oppida à fratribus inuicem obsessa: Vtriusque administri & fautores. Albanitarum infidelitas. Turcarum insolentia. Melisseni calamitas. Georgij Rauli fortuna. Ameras Dei carnifex. Fratres dictis sacramentis pacem faciunt, quam Demetrius rumpit. Ameræ ad Monembasiotas de vrbe dedenda legatio: illorum Præfecti responsum magnanimum. Laus vrbis à pluribus locis. Prærogatiuæ à diuersis Impp. in eam collatæ, nouißimè ab Andronico iuniore. Filia Demetrij sponsa Ameræ Constantinopolim deducitur. Bardoniam optimates deserunt. Castritzentes primùm repugnantes, postea se hosti permittunt, necanturq́. Gordiensibus data fides non seruatur. Crocontelo dynastæ malè gratia refertur. Cuiusdam Palæologi misera mors. Ameræ in Præfectum Calabrytæ, ciuesq́ sæuitia. Loca ab Amera subacta. Pacis cupidum se simulat. Legatus Thomæ Despotæ in vincula traditur. Venit Romam Despota, caput S. Andreæ Pio II. Pontifici donat, à quo pensiones ei constituuntur. Venetiis Romam reuertitur. Vxor Corcyræ moritur: Sinopium, Cerasus, Trapezus, toparchiæ ab Amera occupatæ. Demetrius & rex Trapezuntis Adrianopoli viuunt, certis sibi redditibus attributis. Veneti Turachanem vlciscuntur, Isthmum & Monembasiam capiunt. Thomas Despota filios Romam accersit, & antequam eos videat, vita defungitur. Epistola Bessarionis Cardinalis ad eundem Pædagogum Anconam. Protouestiarius Romæ sanctorum monumenta colit. Epirus vastatur, & capitur. Veneti Imbrum insulam, & Athenas occupant. Præfecti Veneti in hostibus persequendis audacia punitur. Metropolita Patrensis suspectus, palo infigitur. Demetrius vacationem petit, pedibus obuiam ei procedens, misericordiam mouet. Pestilentiæ lues compluribus locis, qua etiam Amerissa Demetrij filia extinguitur. Protouestiarius victu quotidiano eget. Monachis allegitur, & mutato nomine Gregorius appellatur. Vxor item fit monacha, & Eupraxia dicitur. Fidem orthodoxam, vt solenne erat, profitentur. Symboli Nicæni voces omnes ex veteri & nouo Testamento fluxisse ostensum à Protouestiario. Helena Thomæ filia, & Seruiæ Principis coniux prædatores Venetiis accusat. Res Venetæ. Niuium in Peloponneso copia. Eubœam vicinasq́ insulas Turcæ armis, & deditione accipiunt. Demetrius & vxor moriuntur. Protouestiarij morbus. Bessario Cardinalis in reditu è Francia diem obit, Romæ sepelitur. Helena, de qua paulò ante, fato suo perfungitur. Ameræ fortuna sinistra in Valachia. Catarrhus & querimonia Protouestiarij super miseriis & ærumnis suis. Eiusdem humilis peccatorum confeßio, & pia ad Deum precatio. Ameras contra Naupactum & S. Mauram nihil potest. Operis totius epilogus.

CAPVT I.

Thomæ Despotæ aduentus Constantinopolim. Demetrij ambitionem comprimit, cui populus minimè fauet. Constantinus imperio dignus iudicatur. Populi iudicium Ameræ suffragio confirmatur. Legati ex Peloponneso cum Thoma. Legati rursum in Peloponnesum ad Constantinum coronandum, qui Byzantij summa lætitia & gratulatione excipitur. Thomæ fratri Peloponnesi Despotatum tradit. Thomas & Demetrius de finibus mutuò non inuadendis, inter se fidem & iusiurandum dant. Protouestiarius in Iberiam, & Trapezuntem legatur cum illustri comitatu, & varij generis musicis. Insularum quarundam in India ex cœli temperamento fertilitas. De origine & incremento Nili. De alio fluuio, & bellua eiusdem vastissima. De variis illorum locorum bestiis: omnia ex narratione senis, qui ibidē captiuus fuerat, & quomodo euaserit.

DIE tertio decimo Nouembris, anni 6957. Christi 1449. naui Constantinopolim venit Thomas Despota, necdum sciens Imperatorem vita functum, quod primum apud Calliopolim didicit. Quo præsente lógè sedatiora erant, quæ Demetrius cum factione sua, imperij (vt Porphyrogenitus) obtinendi caussa moliebatur. Cæterùm Constantinopolitani eum imperare viuente seniore ipsius, ac tali fratre, qui quanquā infortunatus, in omni tamen virtute primas teneret, pro indigno ducebant. Sic decoro & iustitiæ parebant, ita iubente sancta Despœna, & filiorum eius Despotarum, principumque consilio, ac sententiæ obtemperare volebant. Ipsa siquidem mater, & fratres, & generationis tempus, & virtus, & omnium propemodum ciuium studia Constantino ad imperium suffragabantur, quod nec ipse Demetrius ignorabat. Sexto die Decembris ego ad Ameram istis nuntiandis legatus sum. Quæ cûm audisset, rata habuit & approbauit, meq; cum honore ac donis dimisit. Iisdem diebus illustres quidam in Peloponnesum missi sunt, & Alexius Philanthropænus, & Lascaris Constantinopolim à domino nostro legati cum Thoma Despota, ob quædam negotia cum Imperatore transigunda: nihil siquidem adhuc de eius obitu compererant. Vbi vrbem imperantē intrarunt, Imperatorem è custodia corporis elapsum, & dissensionum turbas non modicas inueniunt, quisnā è fratribus pro Imperatore coronaretur. De quo cum

cum conſpiraſſent iam omnes, vt dictum eſt, Alexius Philanthropænus, & Manuel Palæologus, cognomento Iagrus, in Peloponneſum mittuntur, vti Conſtantinum corona auguſtali exornent; quod fecerunt Spartæ, ſexto die Ianuarij. Die duodecimo Martij eiuſdem anni Conſtantinopolim cum domino noſtro recens coronato peruenimus in triremibus Catelanicis, & exceptus eſt ab omnibus humaniter hilariterque, completique ſunt exultatione & lætitia vniuerſi, & ludos ac triumphos egerunt, pro eo ac nouis Imperatoribus fieri conſueuit. Diebus aliquot lapſis, fratrem germanum Thomam ad dignitatem Deſpoticam extollit: qui eodem anno, menſe Augusto ex vrbe in Peloponneſum diſceſsit. Kalendis Septembris anni 6958. Chriſti 1450. egreſſus eſt etiam Demetrius Porphyrogenitus, ſimiliterq; Peloponneſum petiuit. Antequam porrò Conſtantinopoli excederent, horribilibus ſeſe ſacramentis coram matre Auguſta, ipſoque fratre Imperatore, & vniuerſis ex procerum ordine delectis deuouerunt, ſi alter alterius loca fineſq; inuaderet, ac niſi concordiam pacemque agitarent. Verùm poſtea iuratis non ſteterunt, & pacta pro nihilo putarunt, viciſsimque malè animati, irruptionibus detrimenta palàm, mihi quoq; his oculis conſpecta intulerunt, vt deinceps inter ipſos acta narrando patefaciemus. Quarto die Octobris eiuſdem anni à Conſtantino Imperatore ad Principem Iberiæ, Georgium Mepen (qui apud nos rex dicitur) & ad regem Trapezuntis Ioannem Comnenum, cum donis ſplendidis, multoque apparatu, cum viris nobilibus, & ſatellitio, cum hieromonachis, & monachis, cum cantoribus & medicis, & quibuſdam organicis, & alia muſica inſtrumenta tractandi peritis miſſus ſum. Vbi in Iberiam venimus, paſsim cum lætitia excepti ſumus, pulſatiſque organis, & inſtrumentis muſicis reſonantibus, indigenæ concurſantes admirari, ac profiteri, audiſſe ſe quidem de his, cæterùm, vt nunc, antehac ſenſibus ea neutiquam vſurpaſſe. Nec modò ex vrbe Iberia, verùm ex circumiacentibus quoque vicis, & oppidis ad videndum audiendumque approperarunt: quoniam ſonitum quidem auribus percipiebant: quid autem illam harmoniam efficeret, haud intelligebāt. Multis confluētibus, fuit inter eos ſenex quidam, circiter annorum centum, nomine Ephrem, ex clariſsima ciuitate Iberia oriundus, qui hæc mihi narrauit. Se puerum à barbaris, & impiis illis gentibus captum, in interiora Perſidis cuidam mercatori fuiſſe venditum: cum aliis multis mercatoribus in Indiam, ad ſollennem mercaturam faciendam proficiſcentem, vbi diebus non paucis ambulaſſet, Indiam

 attigiſſe.

attigiſſe. Ibi tum ſe effugiendæ ſeruitutis opportunitatem captauiſſe,& nocte quadam luna plenis cornibus lucēte,domino ſuo,aliiſq; comitibus ex itinere laſsis, fortunam ſecutum ſurrexiſſe, fugiendoq; loca commutantem,diebus compluribus per deſerta, & inuia pergendo,tandem in inſulas quaſdam veniſſe, vbi degerent μακρόβιοι (μακροβίους enim nominant,quia vitam vltra centū quinquaginta annos ſinguli producunt) quod ex optima cœli temperatione & puritate aiunt contingere. Qua etiam de cauſſa in regionibus illis toto anno fructus omnis generis reperiuntur,quorum alij in flore,alij iā crudi,alij iam maturi ſunt, & colliguntur. Ibidem & magnæ nuces Indicæ,quæ à nobis nō feruntur, & aromata optatiſsima, & magnes lapis.Indigenæ ſunt pij, viuuntq; tenui re familiari,& Deum colunt. Illis locis Nilus quoq; oritur. Cauſſam verò,cur hic fluuius mēſibus Iulio & Auguſto,non alio tempore inſtar fluminum cæterorum increſcat,& exundet,hanc proferunt. Quoniam duo iſti menſes ibidē aliis menſibus frigidiores ſunt,quod ſol ad nos, & ſeptentrionem aſcendit. Ideo tum æſtate media Aegyptū inundat,vtpote tota vi ſolis magis borealem Zonam percurrente, & alia flumina æſtu ſuo cōtrahente. Tranſit autem & alium fluuium, vt inde ad macrobios labatur,valde periculoſum,propter animal quoddam amphibiū immenſæ molis,in eo flumine habitans,& ipſorum lingua appellatum, quod apud nos eſt ὀδοντύραννος, quaſi *denti ſæuientem* dicas: quod & elephantum quantus eſt deglutire poſsit. In iiſdem ſolitudinibus aliæ quoq; animantes & beſtiæ formidandæ magno numero cernuntur,è quibus multi dracones longiſsimi,cubitorum ſeptuaginta,altitudine & craſsitudine imprimis horrēdi,ſcorpij cubitales, formicæ vnius ſpithamæ & amplius, veſpertiliones inſtar coruorum æſtiuorum,muſcæ vt paſſeres ſuper tectis. Quare etiam ob huiuſcemodi terribiles venenataſq; beſtias,loca illa ſunt inhabitabilia. Elephantorum illic armenta, vt apud nos boum, & greges ouium viſuntur, quæ & gregatim paſcendo vagantur. Cum Ephræm ſenex hic in regione illa aliquandiu vixiſſet, & linguam gentis probè didiciſſet, de reditu in patiam cogitaſſet,& cuidam incolæ mentem ſuam aperuiſſet, ductus eſt ab eo in locum,quo ab exterioribus Indis nauiculæ aromatis onuſtæ allabebantur. Eorum vno conſcenſo nauigauit, inuenitque nauim grandem Ibericam,qua in Portugalliam eſt delatus. Et inde alij naui in inſulas Britannicas,& poſtremò in Iberiam, quo & ego veneram. Atque hæc ad iſtum modum mihi ab illo narrata ſunt.

CAPVT

CAPVT II.

Naufragium Protouestiarij. Obitus Irenes Augustæ, vxoris Manuelis. Mors Ameræ Amuratis. Pax inter regem Trapezuntis, & Ameræ filium Mahometem. Dolor & lamentatio Protouestiarij de successione Mahometis, propter tyrannicos eius spiritus, & timorem futuræ obsidionis Constantinopolitanæ. Eiusdem dona, & litteræ ad Imperatorem Trapezunte. Cum Amerissa coniugium Imperatori suadet, & quatuor oppositiones dissoluit. De Legato ad Despotam Seruiæ coniugij nomine mittendo.

DISCESSI ergo in Iberiam Asiaticam, propter conciliandum coniugium, ex alterutra quæ mihi videretur familia (*Iberica nimirum aut Trapezuntia*) Et necesse habebam vtriusque statum per litteras significare, quò culpa vacarem, & responsum exspectarem. Ad Amisum feci naufragium, vbi responsum exspectans, mansi in terris illis annis duobus, & diebus triginta. Eo tempore, die tertio decimo Martij eiusdem anni ad beatorum sedes moriens transiit veneranda Despœna Irene, per diuinum angelicumq; habitum dicta Hypomene, monacha, & in monasterio Pantocratoris, iuxta beatæ memoriæ, & venerabilem Imperatorem maritum suum tumulata est. Mense Februario anni 6959. Christi 1451. abiit in communem locum Ameras Amurates, quod in Iberia degens, auditione accepi. Trapezuntem vt veni, sic me rex compellauit. Domine Legate, volo te bono afficere nuntio: pro quo donum aliquod grati animi rependere te oportebit. Ego surgens illum adoro, & aio. Deus maiestati tuæ annos adaugeat, qui nobis multimodis benefacis, & per hosce nuntios etiam benefacies. Nobis verò nil suppeditat, quod sacræ maiestati tuæ pro dignitate rependamus. Mox de interitu Amuratæ mihi nuntiat, & quo pacto filius eius (*Mahometus II.*) rerum potiatur, qui sibi plurima beneficia præstiterit, & de pace inter ipsos denuo confirmata; quemadmodum & antea domus Trapezuntica cum ipsius parente pacis fœdera coluisset. Quæ cum audissem, obmutui, tantusque dolor me incessit, ac si de morte charissimorum liberûm audissem: vultuque in terram aliquantisper deiecto, Despota mi, inquam, hic nequa-

„ nequaquam iucūdus, ſed acerbus potius eſt nuntius. Tum ille, quo-
„ modo bone vir? quia, inquam, demortuus Ameras ſenex erat, & vr-
„ bis obſidionem tentauit ille quidem, verùm deinceps nihil aduer-
„ ſus eam inceptare, ſed pacem quàm bellum maluit. Succeſſor au-
„ tem eius, iuuenis adhuc, & à puero Chriſtianorum inimicus eſt;
„ quos contumelioſè tractauit, adiecitque minitabundus, ſe occaſio-
„ nem nactum, & regno patrio in manus accepto, Romanorum, & to-
„ tum Chriſtianorum imperium perditurum, ac deleturum fundi-
„ tus. Præterea vrbs in præſens pecuniarum eget, propter dominum
„ meum nuper ſceptra imperatoria adeptum, qui de vectigalibus
„ imperij grande æs, propter expeditiones, & donatiua in milites,
„ & in omnes aulicos liberaliter collata impendit. Quod cum ita
„ ſit, temporibus pacificis opus habet, vt ad bellum & pugnam i-
„ doneis, & neceſſariis rebus ſe ſe inſtruat. Quod ſi Deus peccatis
„ noſtris iratus permiſerit, vt Aleterius (Mahometes) iuuenili auda-
„ cia, & animi peruerſitate incitatus vrbem armis adoriatur, quid
„ nobis futurum ſit, haud ſcio. Profectò fœlices nuntij forent, ſi iu-
„ uenis ille, qui nunc Ameras eſt factus, occidiſſe nuntiaretur (ſi-
„ quidem pater eius alium filium non habebat) cuius mores ſeni ex
„ dolore morbum, ex morbo interitum accelerarunt. Atque ita in
„ diſcrimen, & diſcordias ingentes impiorum Turcarum imperium
„ deuolutum eſſet, interimque omnia noſtra refici, & conſtitui potu-
„ iſſent, & imperium non paulò honoratius euaſiſſet. Tum Rex Tra-
pezuntius ita excepit. Tu cùm ſis de numero optimatum, & Procu-
ratorum illius aulæ, melius vtique iſta noſti. Tamen Deus qui po-
tens eſt, illum bonum, & humanum reddet. Hîc ego, magnas a-
go gratias integritati, & conſilio potentiæ tuæ. Sanè non ſum tan-
tus, quantum me maieſtas tua cenſet. Acceperam autem, Ame-
ræ ſenis defuncti vxorem Seruiæ Deſpotæ filiam, poſt viri mortem
ad parentes domum præclaro, & honorifico comitatu reuerſam.
Cum porrò ob cauſſas non parui momenti Trapezunte neceſſariò
commorarer, reperiſſemque nauim, quæ Conſtantinopolim ſol-
uebat, in ea equos aliquot, & pueros duos, à rege Iberiæ de capti-
uis & præda, & alia complura à quibuſdam mihi liberaliter donata
ad dominum meum Imperatorem miſi; ac ſimul de iis certiorem
feci, quæ egiſſem in Iberia, & quæ Trapezunte effecturum me confi-
derem. Omnia demum quæ acciderant, eidem expoſui, datiſque e-
piſtolis cuidam de nobilibus, qui mecum erant, eum dimiſi, & præ-
cepi, vt vnam redderet Imperatori, dum adoraret eum, & de rebus
noſtris

nostris coram narraret omnia: alteram rursus die sequenti eidem porrigeret, in qua sic scriptum erat.

" Postquam saluus Trapezuntem veni, ex ore regis huius de excessu Ameræ, & Amerissam eius ex sorore neptem in patriam ad parentes magnifico apparatu rediisse cognoui. Itaque decreui apud animum, rectè me facturum, si hæc potentiæ tuæ significarem. Nam duobus matrimoniis, quorum conficiendorum caussa peregre abij, hoc maiestati tuæ multo illustrius, multisque de caussis ad omnia vtilius futurum est. Placeat igitur potentiæ tuæ, modum atque excusationem inuenire, quò Amerissæ huius connubium assequatur. Quatuor duntaxat caussas perspicio, quibus id maiestati tuæ repudiandum videri queat. Prima, quia genere ac nobilitate inferior. Altera, ne fortè Ecclesia nuptiarum istarum sacra propter cognationem non patiatur. Tertia, quoniam vir eius Turca fuit. Postrema, quia cùm sit quinquagenaria, si fortè conceperit, periculosè pariet, vt physici affirmant, & pœne semper contingit, præsertim cum hactenus sterilitate impedita, partum nullum effuderit. His quatuor obiectionibus occurramus. Primùm, nihil est nouum ac singulare, si hanc vxorem ducas, quæ nobilitate dominæ meæ, venerandæq; matri tuæ nihil cedit. Ad secundam caussam quod attinet, si Trapezuntij regis filiam duceres, speraremus Ecclesiam legis de affinibus & cognatis non miscendis gratiam facturam, modò in mendicos, & orphanos stipis nomine pecunia erogaretur. Hoc tanto magis & facilius filiæ Seruiæ Despotæ concedetur, Amerissæ, inquam, propter tam multas erogationes, & merita, quæ quotidie in Ecclesiam, in hieromonachos & monachos, & in totum clerum confert. Venio ad tertiam. Non est præter opinionem, & inauditum, illam cum Turca nuptam fuisse: quãdo & auus tuus Ioannes Eudociam duxit, quæ cum Turca prius fuerat, paruæ ac modicę regionis domino, cui liberos etiam pepererat. Hæc autem multis partibus maioris domini, & Ameræ coniugium tenuit, & vt fertur, ille corpus eius non tetigit: quare nec liberorum quidquã genuit. Superest vltima ratio. Quanquam annosa est, si conceperit, Dei deinde voluntas fiat. Certè his quatuor de caussis iam prædictis hoc matrimonium maiestati tuæ nihil incommodabit, & parentibus eius accidet iucundissimum, annuentque perlibenter. Tu illico fidelem quempiam de primoribus palatij: aut de hieromonachis, siue monachis mittito, qui rem effectam det, quò omnis mora tollatur. "

CAPVT III.

Aprorum venatio. Ex Protoueſt. lit. triſtitia & lætitia Imp. Manuel Palæologus ad Deſpotam Seruiæ Legatus ſuper nuptiis filiæ Amerisſæ. Eius votum caſtitatis. Protoueſtiarius redit Conſtantinopolim. Mos Iberorum nuptialis. Locus Cæſarij de legibus ſcriptis, & non ſcriptis apud varias gentes. Dos ampliſſima, vnà cum filia ab Iberiæ rege Conſtantino promittitur. Filiam Protoueſtiarij filiæ ſuæ adoptat.

CVM ij qui literas apportabant ſalui ad vrbem adnauigaſſent, Maij die viceſimo octauo, & Imperator apros venaretur, de nonnullorum ex Iberia aduentu illi indicatum eſt. Relicta igitur venatione palatium lætabundus petit, quem adierunt qui epiſtolas ferebant. Vbi animaduertit dominus meus non adeſſe me: ſed de comitibus tantùm meis, & priorem epiſtolam legit, non mediocriter diſcruciatus animi, tarditatemque & moram meam ægre ferens accuſauit. Aſt vbi alteram die ſequenti legit, indeque me venturum didicit, acquieuit, & exhilaratus eſt, ſtatimque cum Manuele Palæologo Cantacuzenæ Protoſtratoriſſæ conſobrino egit, eumq; ad Seruiæ Deſpotam miſit, vti ſuper coniugio, de quo ſcripſeram, inquireret ac videret. Parentes iucundè & libenter ea de re audiuerunt, atque ad eam præſtandam paratos ſeſe oſtenderunt. Nihil quippe aliud impediebat, niſi quod Ameriſſa Deum rogauerat, & viuo etiamnum Amera votum nuncupauerat, conſtitueratque, ſi Deus quocunq; tandem modo ſe è manibus impiorum illorum liberaret, alij præterea quamdiu ſuperaret, nemini nubere: ſed in caſtitate virginali quod reſtaret æui traducere, Deoque, liberatori ſuo pro viribus ſeruire. Ob hanc cauſſam hoc matrimonium non eſt initum. Eius anni menſe Auguſto, ab vrbe, inſtar exulis diſceſsit Patriarcha Georgius: & ego decimo quarto Septembris anni *6960*. Chriſti 1452. Conſtantinopolim incolumis reuerti, in naui optimi viri Antonij Ritzi, qui poſtea propter Chriſti fidem martyrium pertulit. Confeci igitur coniugium in Iberia (nempe vt dominus meus regis Iberiæ filiam duceret) quia videlicet Ibericum hoc Trapezuntico præſtabat. Sic enim mihi rex. Non eſt apud nos conſuetudo, vt fœminæ dotem dent viris, quibus nuptæ ſunt: ſed viri contrà fœminis. Ego præfatus veniam, nunquam me talem conſuetudinem, aut legem auribus accepiſſe confirmo, qualem

qualem maieſtas ipſius proferret, ſeruarique vellet. Tum rex arri- "
dens, & verba mea velut admirans, an neſcis, inquit, vir honoratiſsi- "
me, quid magnus dicat Cæſarius? In libello, quo diuerſarum gen- "
tium mores, & leges comprehendit, ſic habet. In qualibet regione & "
gente quædam ſcripto, quædam non ſcripto, ſeu more & conſuetu- "
dine continentur. Quæ enim patria ſunt, vim legis exiſtimantur ob- "
tinere. Itaque primum Seres, vltima terrarum incolentes, conſue- "
tudines patrias legum loco habent, ne fornicentur, ne furentur, ne "
ſint maledici, ne occidant. Apud Bactrianos autem lege à maioribus "
lata hæc diſciplina & pietas ſeruatur, ne comedantur carnes, nec bi- "
batur vinum, nec laſciuiæ & libidini, nec vlli generi improbitatis lo- "
cus relinquatur: finitimis Indis impunè contra peccantibus, apud "
quos mediterranei vorant homines, & aduenas interficientes, pro "
cibo habent. Chaldæis, & Babyloniis lex eſt petulantia & turpitudi- "
nis plena. Apud Pelęos mulieres lege agriculturam exercent, domos "
ædificant, & opera virorum exſequuntur. Adulteriis item ſe conta- "
minant quãdo volunt: nec id vlla ratione viri interdicunt. In iis plu- "
rimæ ſunt bellicoſiſsimæ, & beſtias venatu capiunt validiſsimas. In "
Britannia plurimi viri cum vna vxore thorum tenent communem, "
& fœminæ non paucæ vnius tantum viri complexum patiuntur. A- "
mazones quodam tempore viris carebant, & beſtiarum inſtar, ſemel "
anno, circa æquinoctium vernum finibus ſuis excedentes, cum vici- "
norum locorum maribus Venerem tractabant, ac tum panegyrim, "
ſeu conuentum frequentem & illuſtrem ſe celebrare cenſebant, ex "
eoque fœtibus conceptis, domum omnes ſe recipiebant. Cum por- "
rò parerent, pueros quidem necabant, fœminas conſeruabant, nu- "
triebantque, & educabant omni diligentia. Ita quoque nobis hîc "
eſt conſuetudo noſtra, ſicut à me audiſti, & à viris fide dignis intelli- "
ges. Nec id mirari debes, Georgi, vir ſpectatiſsime. Idcirco hoc con- "
nubium reuerenter, nec inconſultò inſtituimus, polliceorque datu- "
rum me filiæ meæ præter pretioſam auri argentique ſupellectilem & "
gemmas, & armillas vnionibus inſertis, & auro lapilliſque ornatas: "
præter veſtes & textilia varij generis ad vſum ipſius, nummûm inſu- "
per aureorum millia quinquaginta ſex. Adhęc in annos ſingulos ac- "
cipiet alia aureorum quina millia, quæ in eleemoſynas pauperum, "
aut pro arbitratu inſumat. Te verò audio habere geminam ſobo- "
lem: maſculam, quam Imperator è ſacro fonte ſuſceperit, quæ illius "
eſt, eritque: fœmineam, quæ ex die hodierno eſto filiæ meæ, à qua vi- "
ro collocabitur, vbi tu locorum collocandam exiſtimaueris. "

CAPVT IV.

Constantini in Protouestiarium, vt administrum fidißimum animus gratißimus, & eximia eius commendatio. Narratio Constantini de connubio Seruiano. Bulla aurea super ducenda regis Iberiæ filia, quam Protouestiarius sit adducturus. Timor Ameræ Constantinopoli. Consilium de aduocando fratre ex Peloponneso, qui ad Principes Christianos in occidentem pro corrogandis auxiliis mittatur, si res ita flagitet.

POSTEAQVAM igitur omnia in Iberia, & Trapezunte gesta domino meo & Imperatori subtiliter, & enucleatè à principio memoraui, de Seruiano ipsum connubio percunctatus sum. Respondit ille mihi. Equidem tibi pro-
„ pter tuam erga me à puero beneuolentiam, fidemque & tanta obse-
„ quia nimiopere obligatum me confiteor. Verùm quod in Seruiana
„ re egisti, id hodie tuum in me amorem & officia magis confirmat,
„ communit, & obsignat: & remunerationem tibi debeo, quandoqui-
„ dem mea caussa tantis semper in laboribus molestiisque versatus es.
„ Quinimmo domum tuam tamdiu reliquisti, ac procul à patria, in
„ regione extera spiritum ducere non dubitasti. Vnde cum qui illic
„ regnant, magnos tibi honores, & dona promitterent, Iberiæ & Tra-
„ pezuntis reges, inquam, vterque rogans te, vti societatem inter
„ me, ipsorumque filias conciliares, tu vt prudens & fidelis minister,
„ elegisti, & fecisti, quod mihi foret conducibilius, & quæ visa sunt ti-
„ bi, mihi per literas consuasisti. Magnum hoc testimonium tuæ erga
„ me propensionis & charitatis fuit. Velim autem tibi certissimò per-
„ suadeas, me digna virtuti tuæ præmia persoluturum, quamdiu vixe-
„ ro. Quod porrò de Seruiano connubio ex me sciscitaris, ita res ha-
„ bet. Postquam Ameras vitam cum morte commutauit, & coniux
„ eius ad Despotam Seruiæ patrem suum rediit, cognata eius Proto-
„ stratorissa me super hoc negotio adiit, cumulatissimaque dona, &
„ dotem maximam mihi spopondit: alia item multa vtilissima propo-
„ suit, & in futurum promisit, quæ ego multas ob caussas vera, & ex re
„ mea fore duxi. Cæterùm alio consilio, & consideratione in tali re o-
„ pus erat, nec habebam qui cum cogitata mea conferrem, quod om-
„ nes motionibus animi turbidioribus indulgerent. Domina & pa-
„ rens mea Despœna die suo perfuncta est. Cantacuzenus, qui vnus
„ omnium incorruptè, & tranquilla mente iudicabat, ipse quoque ad
plures

plures abiit. Lucas Notaras palam & occultè dictitare, qui norit " quid facto opus sit, extra se vnum reperiri neminem: quæ ipse dicat " & faciat, nobis pro veris, & bonis confirmanda & amplectenda esse, " iuxtaq; prouerbium, omnem solet ob id mouere lapidem, id quod " & ipse non nescis. Magnus Domesticus oderat Seruianas istas nu- " ptias, assentiebaturque Ioanni Cantacuzeno, & ad Trapezuntinum " matrimonium ambo me iterum iterumque ac sæpius abhortaban- " tur. Qui cum igitur tum deliberarem? Cum monachis? at ab huius- " modi consultationibus abhorrent. Cum proceribus? at nemo non " aliquem sequebatur, & periculum erat, ne mysterium non celaret. " Hinc ego moras tuas iniquius ferebam. Cæterùm vbi epistola tua " mihi est reddita, & te, & sententiam tuam cognoui, quæque & nos " prius fixa & constituta habebamus, ea prudenter & commodè ex- " pediuisti. Confestim Palæologum cum Ioanne Eudæmone mitto, " per caussam aliarum rerum: sed reuera, vt hoc Protostratorissæ ma- " terteræ suæ renuntiaret. Et ecce, quid obstaret, quò minus fieri pos- " sent istæ nuptiæ, intelleximus, & quieuimus. De reliquo, quod Deus " fortunet, regi Iberiæ satisfaciemus. Fit bulla aurea, cui manu sua subscribit; & fit in hanc sententiam, vt filia regis esset sibi vxor, & Despœna Constantinopolis; & ipse Imperator esset maritus illius, secundùm omnia pacta & conditiones, quas cum eo idem rex Iberiæ fecisset. Vocatur in conspectum Imperatoris, qui mecum ex Iberia legatus aduenerat, & Imperator manu sua eo vidente tres cruces cinnabari in fronte bullæ ad confirmationem pro consuetudine exprimit, bullamque auream in manus Legato tradit, hæc subiiciens, iste (me ostendebat) Deo propitio vere proximè venturo cum triremibus aderit, meamque sponsam & thori sociam abducendam accipiet. Legatus adoratione præstita discessit. Quoniam verò ab initio anni illius rumor serpebat, Ameram ad angustias, propè superiora vici Asomati venturum, vt ibi oppidum exædificaret, re in consilium adducta visum est, vt Imperator in Peloponnesum ad fratrem accersendum mitteret, vtercunque illorum venire vellet, & is cum Imperatore sententia, ac voluntate omnino congrueret: vt si necessitatem id exigere cernerent, si Ameras, puta, aliquid aduersus imperium conaretur, ad occidentales Principes profectus, ab iis opem auxiliumque flagitaret.

CAPVT V.

Dantur mandata Protouestiario de nauigatione in Peloponnesum. Denuntiantur alia bina in Cyprum, & Iberiam. Faceta illius propter vxorem excusatio. Imp. responsio humanissima. Dignitatem vicariatus illi promittit, qua Notaras Magnus Dux cedit. De filia Protouestiarij cum Nicolao Melisseno dynasta Peloponnesi coniungenda promissio Imp. De sequestro fratrum in Peloponnesum mittendo anceps Imp. cogitatio. Caussa in Cyprum mittendi Protouestiarij.

DIES aliquot in his cogitationibus dum versamur, effluxerunt. Deinde me accitum, Imperator sic alloquitur. „ Protouestiarie, ex consilio à nobis habito, compara te, „ vt in Peloponnesum nauiges, ibiq; negotium ita trans- „ actum reddas, vt alter fratrum meorum huc veniat. Inde in Cy- „ prum ad reginam, fratris mei filiam proficisceris. Nos hic nauiga- „ tioni necessaria prouidebimus. E Cypro cum redieris, Iberiam pe- „ tes, vt sponsam nouam, & lecti consortem, futuram posthac domi- „ nam tuam inde tollas. Tum ego sic orsus sum. Non possum præter- „ ire mandatum tuum, quo minus faciam quod iubes. Verùm com- „ mater tua, & famula maiestatis tuæ coniux mea, metuo, ne propter „ tam crebram absentiam meam indignata, ad monachas se adiun- „ gat; aut deserto me, alteri nubat. Nuperrimè enim ex Iberia reuersus „ sum, illic contrito toto biennio. Si paucos post dies iterum domo „ abiero, caussam verisimilem & æquam suo iudicio inueniet faciendi „ alterum horum quę dixi. Et Imperator subridens, at tu, inquit, hanc, „ & solam adhuc profectionem ab ea impetrato, & promitto (ita me „ Deus amet) non tibi amplius super discessu è patrio solo molestiam „ creaturum. Et eò minus, quandoquidem tenes memoria, quæ tibi „ commoda sim pollicitus, quæ inter nos locuti simus, & quid face- „ re cogitemus. Atque hoc etiam citra sacramenti religionem stabile „ ac firmum est, legationes & itinera tua finem in posterum habitu- „ ra. Dicam porrò Magno Duci Notaræ, cum hoc fungatur munere, „ non posse eum quoque agere Administratorem. Et hoc dico, vt te „ officio illo munerem. Veruntamen spoliare nunc illum ea dignitate „ haud decet, ne contemnere hominem videamur: sed procrastine- „ mus, & modum excogitemus, quo eam ipse sponte sua deponat, ha- „ beatque rursum primas in statione, & in consilio, & aliunde illi red- „ ditus

ditus compenſentũr. Nam me quoque exemplo fratris mei duos de "
nobilitate creare conſiliarios neceſſe eſt, qui toto die mecum ſint in "
palatio,qui prouideant,conſtituant,& agant,quę ad imperij guber- "
nationem faciant. Atque ita cum Magno Duce per meum, & ipſius "
compatrem hieromonachum & ſpiritualem patrem Neophytum è
monaſterio Charſianitarum actum eſt. Audito Notaras de alio officio,non repugnabat:volens an nolens,equidem neſcio. Quin præ ſe
ferebat, ſe iſtuc facere cogitaſſe etiam antequam verbo appellaretur, vt & Imperator alias dignitates filiis eius impertiretur.

Sed enim hæc ad exitum perducta nõ ſunt,quod nos breui communis calamitas obrueret. Rurſum mihi affirmauit Imper.ſe & hoc beneficio velle me ornare, vt filiam meam Nicolao Meliſſeno, filio Nicephori Meliſſeni (quem & Meliſſurgum cognominabant, qui & Magnus Protoſtrator poſtea, & Metropolita fuit, vt libro ſecundo hiſtoriæ noſtrę explicatum eſt) vinculis iugalibus copularet. Et vicariam adminiſtrationem illius oppidorum locorumq́ue mihi datum,donec filia mea annum quartum decimum attingeret,& nuptię fierent. Atque hoc fuit,cur legationes & itinera mea finem habitura Imperator diceret.Hoc inſuper mihi dixit:velle ſe in Peloponneſum alium ſenem de optimatibus ſuis mittere,vt illic res,de quibus diximus, fratrum ipſius componeret, & ad ſe referret, quid facto opus foret.Quod ſi nequiret primum caput exequi,ſaltem ſecundum,aut tertium,aut quartum,& ſi neceſſe foret,quintum exequeretur.Rurſum, ſed ſi, inquit, alium præter te miſero, timeo, ne debitam mihi beneuolentiam, ac fidem non præſtet, ac fortaſſe illum circumſcribant Principes ac fratres mei, per bullam aureã vicum, aut regiunculam ipſi, & hæredibus eius per ſucceſsionem pollicentes, quò perſuaſus, reiectis quatuor capitibus, ſecũdum quintum agat,quod mihi moleſtiſsimum accideret. Tute inſuper recordaris, quemadmodum monachus è Cypro à reginã cognata mea miſſus ad me venerit, à quo iſta accepi. Quoniam hominem fidum non haberet,cuius ore magni momenti res mihi indicaret, neque poſſet,vt optaret, per ſe mecum miſcere colloquium, quempiam ex aula mea probatum & fidelem ad ſe deſtinarem. Quocirca cum alio præter te nullo arcana noſtra communicanda videntur; nec eſt te aptior quiſquam, qui ſolus etiam aliâs cum ea egiſti, conſtituiſti,verſatus es, pleneq́ue illi perſuaſiſti omnia. Quamobrẽ per alium iſtuc negotij nequit abſolui.Adhæc ita reſponſum reddidi.Vti cenſes,Imperator,ita res habet.Ac propter cauſſas iſtas rationi tam affiues, coniux mea famula

tua

tua vnà cum propinquis meis non obſtabit fortaſſe, quò minus iuſſis tuis morem geram: quam beabo, narrans illi quæ maieſtatis tuæ bonitas de filia noſtra maritanda decreuerit, deq́ue ditione, & donatione honorifica, qua illam aliis fœminis nobilibus antepoſuit. Ita cum tempus prandij admoneret, ego domum diſceſsi.

CAPVT VI.

De Phranze nouis honoribus ornando. Deliberatio eiuſdem cum amicis de filiæ connubio. In Peloponneſum & Cyprum abire parat, adiuncto filio duabus de cauſsis. Fit Magnus Logotheta inuitis æmulis. Mentio honoris eius in literis Imperatoriis facienda. Ameras Adrianopoli contra Byzantium ducit.

SECVNDVM prandium Magno Duci in palatium venienti Imperator retulit, quæ de obeunda legatione mecum egiſſet, cauſſam tamen non aperuit. De nouis etiam honoribus, quibus pro dignitate cohoneſtarer & augerer, multa adiecit, illumq́ue mecum agere iuſsit. Conſultante porrò me cum cognatis, amicis ac familiaribus de promiſsis Imperatoris, itum eſt in eam ſententiam ab omnibus, vti familia mea nuptum daretur: ad officium honoresúe quod attineret, vt fortunæ me permitterem. Ita in Peloponneſum, & Cyprum proficiſcor, mecumq́ue duco filium meum, adoleſcentem optimum, ac propemodum dixerim meliorem æqualibus ſuis vniuerſis, & de facultatibus meis mobilibus maiorem partem ſumo, vt dum per terram iter facimus, ipſe quoque mores hominum, & vrbes videret, & ad omnem vitæ honeſtatem erudiretur: &, vt, ſi Ameram in nos quippiam moliri videremus, ipſum in Peloponneſo cum facultatibus illis apud maternos conſanguineos meos, in ditiuncula proſoceri mei habitantes relinquerem. Si nihil moliretur, mecum in patriam rediret. De cætero propter omnes haſce cauſſas à me allatas, nempe propter filiæ matrimonium, ſuſpicionem belli, & reliquas, coniux me diſcedere paſſa eſt. Poſtquam igitur de filię matrimonio, de dote rem confecimus, ſacrasq; preces ſubarrationis, & gaudia ſponſalitia peregimus, omniaq́ue ad iter prouidimus atque inſtituimus, tantummodo mandatum Imperatoris ſcriptum (*ſeu patentes, vt vocant*) exſpectabamus. Palatium, & conclaue Imperatoris pro cõſuetudine mea ingredior, ipſum non inuenio. Præſtolor aliquantum, cum ecce prodiens, tu ex

hoc,

hoc, inquit, Magnus Logotheta esto. Hoc solùm tibi mando, vt propter temporis euenta, & varias procerum voluntates, & alias ob caussas in sacris festorum dierum solennibus, pro more officij tui ne me adores. Veruntamen Notarius in epistolis ad fratres meos, & cognatam meam reginam, omninoque ad omnes, ad quos de tua profectione scripturus sum, huius dignitatis tuæ mentionem faciet. Tu inde vicissim ad me, & ad domesticos tuos scribens, titulum illum vsurpabis. Et si interea audierint, qui tibi nolunt, visumque fuerit durum & acerbum, volentes nolentes acerbitatem illam deuorent. Tum ego hunc in modum locutus sum. Cœleste numen producat imperium tuum. Sacram maiestatem tuam suppliciter rogo, ne mea caussa scandalum aliquod enascatur, vnde imperium tuum pessumeat, quod in sempiternum Deus prohibeat. Sed si ad pacem & lætitiam maiestati tuæ pariendam conducere videatur, potius mihi pellem detrahe. Et Imperator, vt fidelis minister locutus es. Sed ne tibi istuc curæ sit vllo modo. Dolet mihi, eos tam multa tua erga me obsequia, & amorem non considerare: vt comparatione tuorum meritorum à suspicionibus resilirêt, & conuenientes officiorum gradus tibi non inuiderent. Verùm accerse huc, cui ministerium istuc creditum est Notarium. Venientem sic affatur Imp. Indicauimus tibi ante sigillatim, quid, & ad quos fidei publicæ literas scriberes. Iis scribito rursum, eos omnia ex Magno Logotheta Georgio Phranze cognituros. Si vita suppeditauerit, deinceps etiam affinem meum nominabis. Cui istuc displicuerit, ringatur licet, & pro nectare, aut potu aromatite fel hauriat. Tu quoque Notarie, hoc ad tempus tacitum serua. Rebus iam adornatis, propediem adorato Imperatore abeundi potestatem exspectabam: & ecce tibi, Adrianopoli procedens Ameras aduersum nos tendit. Moramur aliquandiu, ne fortè in itinere nobis quippiam infaustum ac detestabile occurreret.

DE EXPVGNATIONE, ET VASTATIONE CONSTANTINOPOLIS.

CAPVT VII.

Quid mouerit Mahometem ad hanc obsidionem. Propositum tegens, iuxta Asomatum in faucibus castellum construit tribus de caussis. Imperatoris consilium de impedienda ædificatione quare non processerit. Suburbani à Turcis capiuntur. Castellum absoluitur. In eo tres turres: earum latitudo. Præsidium impositum. Exercitus in Peloponnesum ad Despotas ab auxilio ferendo impediendos. Isthmum Turachanes occupat. Magna vtrinque strages. Ad Corinthum, & sinum Messeniacum, & Mantineam progrediens, obuios capit, spoliat, seruitute multat. Matthæus Asanes à Despotis missus, multos interficit. Turachanis filius capitur. Thomas Princeps filio augetur.

AMERAS Mahometes cum patris sui, maiorumque suorum execratissimorum præclara bella, illustres victorias, res denique gloriosè gestas audiret, & perpenderet, apud animum cogitauit, quidnam ipse quoque perenni dignum memoria perpetrare posset. Hæc voluentē subiit consilium improbum, vt armis vrbem Constantinopolim inuadendam susciperet. Sic enim tacitus ratiocinabatur: si hanc vrbem subegisset, omnes auorum suorum laudes rerum gestarum gloria obscuraturum, quando ipsi non semel iugum ei imponere annixi, frustra laborassent. Cum istiusmodi occulta, & dissimulata cogitatione, visum est expedire, iuxta Asomatum ad angustias castellum siue arcē construere, vt supra diximus, in quod, dum meditata in opus conferret, tutum receptum ac perfugium haberet, nec vllum seu paruum, seu grande nauigium è ponto Euxino Byzantium posset appelli: atque vt Turcis ex Asia in Europam facilis transiectus esset. Cumq; vellet, & instaret ab se cogitatis dare initium, en 26. Martij, anni 6960. Christi 1452. angustias illas ad castelli ædificationem per vim insidet. Calliditatem hominis non ignorans Imp. ad eum impediendum prior arma mouere constituit: cuius consilio cum sacri, tum profani proceres aduersabantur, hoc opponentes, non esse bellum ab ipso ordiendum, donec constaret, quorsum ille tenderet. Si oppidulum conderet,

conderet, non difficulter ipſum propter vicinitatem in poteſtatem redacturos. Atqui poſtea planiſsimè cognouerunt, amentes ſpe vana paſci. Ego in voluntate propoſiti ac parati itineris perſeuerabam, dicebamusque inter nos, & hodie, & cras videamus: & quia per terram propter periculum non conuenit, per vndas viam inueniamus. Menſe Iunio ecce promulgatur bellum, & incurſante nos hoſtili exercitu, omnes ſuburbani pro captiuis abripiuntur. Interim perfectum eſt caſtrũ, & in eo turres tres firmæ ac ſolidæ, duæ continentem verſus, tertia reliquis paulo minor, verſus mare conſtructæ. Murorum eorundem latitudo pedum vicenûm quinûm. Interius ſpatium duorum & triginta. Eas plumbo texit, oppidum totum bene communiuit, pręſidioque firmauit. Auguſti 28. inde exiens, agrum Conſtantinopolitanum vaſtare occœpit. Primo Septembris anni 6961. Chriſti 1453. Adrianopolim conceſsit, fortè vt biduo mœnia vrbis, & foſſas, & ſi quid aliud volebat, contemplaretur. Eodem autumno, primo Octobris Turachanes, & duo filij eius, Achumates & Amarinus cum copiis ingentibus in Peloponneſum mittũtur, vt pede cum Deſpotis fratribus Imperatoris collato, à ſubſidio ferendo ipſos prohibeant. Dederatque in mandatis Ameras, vt hyeme quam longa eſt, eos armis diſtinerent, ne áduenientes, & cum fratre Imperatore coniuncti, vrbem defenſarent. Turachanes igitur vt adnauigauit, Iſthmi propugnacula cepit, & ex vtraque parte, Chriſtianorum, inquam, & infidelium quàm plurimi cæſi: ſed illorum plures, qui & fugæ ſe tradiderunt. Turachanes cum reliquis Corinthum per mediam inſulam vadens, capit, ſpoliat, in ſeruitutem redigit quoſcunque obuios, & vſque ad præfecturam ſeu prouinciam Arcadiæ, ſinumque Meſſeniacum pertendit, viaq; ab Ithome progrediens, totum illum ſinum vſque Mantineam depopulatur. Perſpectis autem locorum anguſtiis & difficultatibus, per quas totus ſimul exercitus tranſire nequiret, parte, & quidem ſtrenuorum Achumatę filio commiſſa, Leontarin procedere iuſsit, ipſe aliam viam tenuit. Eo comperto Deſpotæ & fratres Matthæum Aſanem cum exercitu occultè mittunt, qui ad locum veniens, vnde tranſmiſſuri erant, improuisò in illos impreſsione facta, non paucos partim occidit, partim viuos capit. Capitur etiam Achumates Turachanis filius, quem Spartam ad Demetrium Principẽ mittunt. Decimo ſeptimo Ianuarij, auctum eſt Palæologorum genus, & imperij ſucceſſor, paruæq; Romanorum ſcintillę hæres natus, Andreas Palæologus, Thomę Deſpotę Porphyrogeniti filius. Ac res quidem Peloponnenſes ita ſe habuerunt.

CAPVT VIII.

Vrbs obsidetur. Turres extra vrbem, & in vicis ante euertuntur. Ibidem latentes quid passi. Apparatus bellicus aduehitur. Aduentus Ameræ, locus tabernaculi, castrorum situs, multitudo natium. Catena portui obtenta. Naues intra catenam hostibus oppositæ, & aliæ auxiliares. Oppugnantium, & resistentium ardor. Magna helepolis diffracta in frusta dissiliens multos necat. Dolor Ameræ. Plurium nauium accessio. Earum statio. Numerus nauium & militum in terra. Propugnatorum paucitas. Subductus à Protouestiario defensorum armorumq; numerus.

POSTQVAM ver affuit, Ameras ædificata iam, & ornata classe helepoles & helebolicas, & alias insuper machinas oppugnatorias distribuit. Deinde Charate Bassa cum exercitu pręmisso, ipse superueniens, vrbem premit. Ante eius aduentum Turcæ turres extra vrbem in agro Byzantino, & in vicis (in quas se nonnulli propter repentinam hostium irruptionem abdiderant) expugnatas euertunt. Hominum pars in seruitutem rapta, pars fame, & aliis incommodis periit, non pauci Christiani captiui facti. Interea ad bellum requisita, & commeatus, & machinæ magno numero aducta. In his complures helepoles, ex quibus aliquot tantæ vastitatis, vt à quadraginta, aut etiam quinquaginta iugis boum trahi singulæ nō possent: hominum autem supra duo millia. Secundo Aprilis etiam Ameras cum pedestribus, equestribusque copiis innumerabilibus affuit, & tentorium ex aduerso portæ S. Romani fixit. Exercitus vt arena maris, sex milliaria per terram, ab vno mari vsque ad alterum occupauit. Ac orientalis quidem à dextris Ameræ, vsque ad littus, qua porta est Aurea, castrametatus est. Europæus à sinistris, vsque ad portam Xylenen, & littus sinus Ceratini. Erat Ameras vallo & fossa, & palis in terram depactis cinctus vndique, extraq; vallum stabant Ianitzari, cum aliis è palatio nobilibus. Bassa item, Ameræ cognatus, aduenien cum globo suo supra Galatam tetendit. Eodem die alia quoque pars de classe venit, & ad littora vrbis se applicuit. Nempe triremes circiter centum, dromones, siue celoces, paruæ naues, & vniremes centum triginta. Ita ad vrbem accedit, ipsamque omni ratione, & cuiusque modi tormentis pulsat & oppugnat, terra marique: nempe eius ambitum decem & octo millia-

milliarium circumdans. Mandauit autem Imperator catenam ferream, eamq́ue prægrandem ante os portus prætendi, qua hostilium accessus nauium arceretur. Intra ipsam porrò catenam naues, quæ tum fortè aderant, ad incursum validius prohibendum, & conflictum cum hostibus miscendum immittebat. Erant hæ naues ex Liguria tres, ex Iberia, siue Hispania vna. Ex Creta tres, ex vrbe scilicet cui nomẽ Chandazemia vna, è Cydonia duæ: omnes hæ ad pugnam probè instructæ & armatę. Fuerunt item ex Venetis triremes mercatoriæ magnæ tres, quas Itali Galeras, seu Galeatzas appellare consueuerunt, & totidem triremes aliæ celeres, ad custodiam, & ministerium mercatoriarum constitutę. Has quoque manere ad vrbi succurrendum iussit. Et ita portui prouisum est. In terra hostes statuerunt magnam illam helepolim, cuius os patebat spithamas duodenas; alias insuper complures expugnatrices machinas, spectatu dignas. Altam præterea fossam militarem ducebant, palos ante eam depangebant, vrbemq́ue locis quatuordecim infestissimè verberabant. Ex machinis autem vnde lapides iaciebantur, multæ domus egregiæ propter muros, & maximè palatia destruebantur. Helebolis mœnia & turres petebant cum strepitu & clamoribus, & vtrinque, ex helebolis, heleboliscis, balistis, arcubus, aliisq́ue instrumentis funera ingeminabantur, & neque diebus, neque noctibus oppugnationes, conflictus, incursiones, iaculationes interquiescebant. Confisus enim Ameras, nostra paucitate, & summa lassitudine, adiuuantibus, facilè se vrbe potiturum, nullam quietis partem capere nos patiebatur. Magna autem illa helepolis propter continentem iaculationem, & quia metallum adeò purum non erat, dum exploditur, magistrum tormentarium flamma haurit, & ipsa in complura frusta dissiliens, multos percussu necat. Quo comperto, Ameras magnopere doluit, edixitq́ue, vt illo die nihil egregij operis ac facinoris contra nos ederetur. Die decimoquinto eiusdem mensis, reliqua classis Turcica è ponto Euxino, è Nicomedia, & Asia, nauium trecentarum & viginti adest, è quibus erant triremes decem & octo, biremes circiter quinquaginta, reliquæ 228. naues longæ, & aliæ, milites, & sagittarios magno numero apportantes. Numerabantur in his onerarij dromones quinque & viginti, lignis, molaribus, aliisq; instrumentis ad vrbium oppugnationem idoneis stipati. Cæterùm portum intrare, propter caussam supra expositam difficulter poterant. Quæ ex Oriente aduenerant, paulùm infra Diplocionion (*à duplici columna dictus locus*) vsque ad Ecclesiam S. Constantini in anchoris

 stabant.

ſtabant. Die menſis decimo ſeptimo naues, terreſtresque copias, pedeſtres & equeſtres recenſuit, inuenitque triremes, biremes, vniremes, dromones, naues maiores minoresque viginti ſupra trecentas. Numerus terra decertare geſtientium, ducenta duo de ſexaginta millia. Qui ad vrbem tantæ magnitudinis defendēdam intus erant, reperti non amplius quater mille nongenti ſeptuaginta, præter extraneos, eosque vix duûm millium. Hoc ita fuiſſe ſcio, idque ex tali cauſſa. Iubente Imperatore vnuſquiſque tribunus plebis, & dux ex demarchia & claſſe ſua accuratè tum laicos, tum monachos, qui tolerare militiam poſſent, & quæ quiſque arma ad vim propulſandam haberet deſcribebat. Sic quilibet tribunus demarchiæ ſuæ catalogum Imperatori offerebat. Is mihi mandans ait, hic labor ad te reſpicit, & cautione ſilentioque opus habet. Accipe igitur catalogos, & abi domum ac ſedens ſubduc numerum diligenter, militum, & quibus armis inſtructi ſint. Item ſcutorum, arcuum, ſclopetorumq;. Ego iuſsis perfunctus, eidem tabellas exhibui, non abſque dolore, & mœſtitia haud mediocri: manſitque præter nos duos aliis occultus numerus. Nonnulli (quanquam pauci admodum) de nobilitate, & plebe nauci homines, atque imbelles timore belli, calamitatumque ab hoſtibus accipiendarum ante tempus cum totis familiis ex vrbe profugerunt.

CAPVT IX.

Imperatoris gemitus. Laus Ioannis Iuſtiniani Genuenſis. Honor ei habitus ab Imper. Sæuitia oppugnantium. Induſtria propugnantium. Foſſæ complentur. Turcæ multi à ſuis viui operiuntur. Cuniculus infœlix. Deſcriptio nouæ machinæ. Labor vtrinque certantium. Iuſtiniani laus. Imperatoris in foſſa euacuanda labor. Amera ex machina inflammata triſtitia & pudor. Iterum eius, conſiliariorumq; ex conſtantia & inuicta virtute Byzantiorum mœſtitudo.

VBI hæc Imperatori renuntiata ſunt, tantùm ab imo pectore gemitus duxit. Erat porrò Ligur quidam in duabus illis liguſticis nauibus, ipſarum Præfectus & dominus, vir nobilis, dexterrimus, ſtrenuus, & commodus, nomine Ioannes Iuſtinianus Longus. Quem cum Imp. idoneum ad omnia animaduerteret, tribunum eum ac ducem trecentorum militum

litum instituit, eique belli administrandi summam permittit, vehementer eo nitens, qui reuera etiam in hac præfectura sua facinora immortalia fecit. Postquam autem Ameras diffractam helepolim mox redintegrauit, instaurauitque, noctes & dies muros quatere, & magno machinarum omnium tumultu ac strepitu, iaculationibus, impreßionibus, dimicationibusq; acerrimis, nos terroribus complere ingentibus non cessauit, eratque multiplex mali facies. Ac nostri quotidie bellica hostium tormenta exploratius cognoscentes, spectantesque, timore ac trepidatione soluti, machinas, & artes nouas, hostibus non parum detrimentosas excogitabant. Cæterùm artes illæ singulares nō ita diu valuerunt, quod nobis quæ ad pugnam, & ad obsidionem tolerandam pertinebant, haud satis suppeterent. Deiectis autem per heleboles, & pyribolas locis quibusdam mœnibus, implere fossas nitebantur, quò facilem ingressum pararent, & quà illa procidissent, sese in vrbem penetrarent. Sagittis quoq; præmißis vociferabantur, ac per medios suorum irrumpebant, egestamque tellurem in fossas ingerebant, & ramos arborum præterea, aliamq; materiam: quidam etiam conuulsa tentoria sua eodem proiiciebant, vt mirum nouumque spectaculum cerneres. Nam complures, illorum multitudine instantium compreßi & coarctati cadebant, quique sequebantur, ligna & humum effossam crudeliter deiicientes, eos miserandum in modum cooperiebant, viuosque ad inferos mittebant. Alij viribus validi ac robusti sponte, ex impetu & festinatione scilicet imbecilliores sæuiter detrudentes, iis terræ virgultorumque loco easdem implebant. Sed quanquam hæc facerent, non poterant tamē helebolicas, telorumq; ictus deuitare, & à grandibus saxis, quæ de muro vibrabantur, cadebant turpiter, maioremque in modum verberabantur: nec de nostris omnes sine vulnere illæsique manebant. Vbi Turcæ helepoles suas vsque ad fossam attraxerunt, conflictum ac decertatum est horribiliter: nec enim sese nostri deseruerunt: fuitque admirabile, vt bello inexercitati, victoriam tamen obtinerent, magnoque animo se, & generosè opponentes, supra vires laborarēt. Et hostes quidem toto die fossas complebant: at nostri tota nocte materiam, congestamque humum, & ramalia intra vrbem trahentes, efficiebant vt fossæ vacuæ, sicuti prius relinquerentur. Turres verò laceratas, aggesta per corbes humo, & vasis è ligno vinariis, truncisq; oppositis opere tumultuario resarciebant. Quæ cum aspiceret Ameras, erubescebat, quod consilium effectus destituisset, volensq; aliud machinamentum experiri, cuniculorum faciendo-

faciendorum peritos adesse iussit, per quos exercitus in vrbem se citra laborem infunderet: cœperuntque ad præscriptum fodere, cum Ioannes quidam Germanus in machinis bellicis, & igni græco conficiendo sanè egregius, alium cuniculum contrarium agendum curauit. Turcis itaque cum gaudio aduenientibus, ipse accenso igne artificioso complures eorum exussit, molitionemq; ad nihilum redegit. Vnus tamen cuniculus Turcarum Germanum illum eximium latuit. Ipsi quoque Turcæ eodem genere ignis quem præparauerant accenso, nihil profecerunt. Turris quædam duntaxat vetus, parua ex parte incensa cecidit, quam derepente refecimus: reperiebanturq; senes aliquot, qui affirmarent, hostes aliis pugnis idem tentasse cuniculis, verum nihil effecisse, quod maior vrbis pars ad muros petrosa esset. Lapsus spe sua frustratusque Ameras, alia noua inuenta, machinasque ad expugnationem fabricari iubet. Helepolim maximam, pluribus rotis insistentem, cum lignis * parauit, latam & altam inprimis, quam intus & extra triplicato corio bubalorum, & boum tergoribus contexit: quæ supra turres habebat, & oppansa velamenta, ascensus item & descensus, vt qui intus essent lædi à nobis nequirent. Patebat foras, vt qui vellent, facilè ingredi, egrediq; possent. Pars fossam respiciens tres portas habebat magnas, tegumentis firmiter communitas, vt diximus. In circuitu dispositum omne instrumentum & artificium bellicum, multamque materiam, & ligna, quæ opportuno tempore in fossam deiicerent, vt facilè vrbem intrarent. Habebant etiam scalas gradibus stuppeis, quæ submittebantur per funes, & rursum in altum trahebantur ad mœnia applicatæ; & omne demum machinæ genus, quod humana mens excogitare potest, quas nunquam se visurum sperarat Imperator, nec ad aliquod castellum capiendum ipse fecerat. Aliis quoque in locis currus fabricarunt rotis pluribus, & supra turres quasdam, & ipsas coopertas eo modo quo diximus, habentes machinas plurimas, instructas igne qui non extinguitur, vnaque hora ad impresionem simul faciendam paratę erant. Ac primùm quidem terribilem illam helepolim impingentes, turrim ad portam S. Romani prostrauerunt, statimque trahentes supra fossam eam statuerunt. Cœpta pugna ante solis ortum totum durauit diem, pugnatumq; atrocissimè. Et nunc quidem conflictu & incursione acriter contendebant: nunc ligna & materiam, & terram quæ in helepoli erant, in fossam coniiciebant, & ex ruinis turris, & congestitiis illis, viam rectam sibi disponebant; quos tamen nostri strenuè impediebant, ac sæpenumero de scalis detur-

deturbabant, & ligneas quasdam præcidebant, illóque die hostes fortiter & sæpe, vsque ad primam noctis horam repulsi sunt, ob laborem, & defatigationem, & accepta vulnera frendentes impij. Ita quieuit oppugnatio. Sperantes autem se mane leui opera expeditum ingressum adepturos, spe sua exciderunt, quod Ioannes Iustinianus velut adamas tota nocte suorum militum exsuscitaret animos, & ad viriliter præliandum cohortaretur. Imperator etiam coram præsens, & alij multi, qui eodem ad succurrendum affluxerant, tota nocte in fossis euacuandis desudarunt, & turrim laceratam innumeris molibus instaurarunt, helepolimque hostium, vbi cooperta non erat, inflammarunt. Circa tertium porrò galli cantum Turcæ alacritate pleni subeuntes, confidentesque se aditum, vt diximus, facilè reperturos, vbi spes suas inanes viderunt, admirati sunt, & ipse Ameras magnopere tristatus & pudefactus, nostrorum virtute obstupuit, plurimumque admirans dixit, si triginta septem chiliades Prophetarum vno ore prænuntiassent, impios illos (nos videlicet) vna nocte facturos, quod fecerunt, fidem illis minimè habiturum fuisse. Postmodum nostros omni timore ac terrore vacare ad iactum sagittarum, & impressiones toto die factas helebolíscis innumeris, & saxis desuper in nos instar cœlestis pluuiæ cadentibus, & quoduis periculum pro nihilo putare animaduertens, ipse, & omnes à consilio mirum in modum consternati sunt. Atque hæc in hunc modum euenerunt.

CAPVT X.

Quatuor onerariæ à Turcicis inuasæ, fortissimè se tuentur. Magnanimitas Phlantanelæ nauarchi qua dictis, qua factis. Ameras suos de ignauia è littore increpans, in vndas cum equo procurrit. Militum in eius periculo timor, & ausus imitatio. Redintegrata pugna, & quatuor onerariarum præclarissima victoria. Drungarij classis pœna. Ira, dolor, furor Ameræ de sinistris euentibus. Quædam machinæ nouæ, & pons ab eo constructus.

TRES naues Ligusticæ in Chio oneratæ, vento secundo soluentes ad nos cursum tenebant. In ipso autem cursu aliam nauim regiam, è Sicilia frumentum aduehentem offendentes, nocte quadam prope vrbem simul deuenierunt. Manè vt à diurnis speculatoribus conspectę sunt, triremes Ameræ, &

ræ,& ex alia classe non paucæ naues contrà cum lætitia, tympanis,& cornuum cantibus incitatò feruntur, nullo negotio hasce naues à se interceptum iri opinatæ. Approperantes, & pugnam exorsi, iacula torserunt, primumque regiam non absque magna superbia aggressi sunt. Quæ illos primo impetu heleboliscis, telis, lapidibus malè excepit. Cumque proris nauim subiissent, ipsa eos igne in ollis artificiosè comparato, ac lapidibus non sine multa cæde procul fugauit. Hæc nos de mœnibus Byzantij supernè aspicientes, Deum precabamur, vt ipsorum, nostrique misereri vellet. Similiter Ameras equo insidens, è littore quę fiebant contemplabatur. Tertiùm iaculantur, fastuque turgidi, clarisonis vociferationibus in eos inuadunt. Naucleri, gubernatores, nauarchi virili & robusto pectore, stantes turbam nauticam ad moriendum potius, quàm ad vitam cum dedecore retinendã exsuscitant. Præcipuè verò nauarchus vocabulo Phlantanelas per regiam nauim à puppi in prorã vadens, & instar leonis depugnans, etiam alios vocibus tam præclaris, vt satis explicare nequeam, excitabat, aliorumque plausus astra feriebant. Conseritur de integro pugna sæuior, & ex triremibus partim occiduntur, partim vulnerantur multi, duæ flammis pereunt. Hæc videntes naues Turcicæ, timuerunt. Ameras animaduerso talem tantamq; classem nullum facere operæ pretium: sed ab aduersariis nauibus vinci potius, ira & furore insaniens, ac dentibus stridens, maledictis suos proscindit, timidos, effœminatos, & tantùm fruges consumere natos vocat; ac subditis equo calcaribus, extremum pelagus ingreditur (distabant enim triremes à continenti circiter iactum lapidis) vt vestes eius magnam partem aqua salsa imbuerentur. Hoc illum facientem exercitus terrestris conspicatus, indignationem ac dolorem concipit, classemque verborum contumeliis appetit, plurimique viso Amera in illo statu, ipsi quoque in equis vsq; ad naues nando eum sequuntur. Epibatæ factum Ameræ intuentes, & probris in ruborem dati excandescunt, & volentes nolentes, proras denuò obuertunt, & cum aduentitiis nauibus impensè depræliantur. Quid quæris? Tantum abest, vt ipsis quippiam nocuerint, plurimi eorum desiderati sunt, tantamque plagam acceperunt, vt reuerti triremes non potuerint. Interfecti illo die (id quod ego ex ipsismet Turcis audiui) Agarenorum supra duodena millia, in mari duntaxat. Noctis interuentu classis necessariò paulùm declinauit, & quatuor illæ naues opportunitatem nactæ, portum subierunt, nemine de suis amisso: paucis tantummodo vulneratis, qui biduo, aut triduo post ad domi-

ad dominum euolarunt. Ameras porrò tantopere aduersus classis Drungarium iracundia efferbuit, vt eum palo transadigere cogitaret; eius timiditate & ignauia naues illa nocte euasisse, & per eum vt socordem & inutilem, portum intrauisse dictitans. Tum quidam ipsius aulæ primores precibus contenderunt, vt dignitate nudatum, viuere tamen pateretur, omnesque facultates ipsius Ianitzaris attribueret. Rursum mœstus Ameras, & vehementer animi anxius, manus sibi vt canis mordicus arripit, & pede humum pulsat, dum muri ruinas bis ter redintegratas aspicit, & fossas exinanitas, tamq; breui restitutas inuenit, & centum quinquaginta triremes biremes ac vniremes, quatuor illas naues capere non potuisse: sed potius tantam ab iis cædem perpessas considerat. Trahit ex imo corde gemitus, fumat os, secumque volutat, quid ad vrbem amplius diuexandam & premendam incipiat, & vt eam terra marique obsideat. Machinatur autem rem eiusmodi. Vt pars classis portum ingrediatur. Ad opus repente concursum est. A tergo autem Galatæ viam directam, vsque ad portum pertinentem facit, trabibusque & asseribus totam sternit; asseres ipsos adipe boum & arietum perungit. Alia insuper varij generis instrumenta, machinasque construxit, quibus triremes, & biremes facilè in collem adduceret, indeque in portum deduceret. Eratq; opus mirabile, & naumachiæ strategema singulare. Ego quidem sic existimo, Cæsarem Augustum contra Antonium, & Cleopatram pugnantem, qui cum propter fluctus maris, atque hostes circumire Peloponnesum non potuisset, & ad Isthmum accessisset, naues ad orientalem plagam maris helladici pertraxit, moxque in Asia fuit, hunc, inquam, imitari voluisse. Aut etiam Nicetam patricium, quando & ipse ex mari helladico triremes in occidentem deduci fecit, vt Cretenses apud Methonen & Delum fugaret. Itaque triremes vna nocte deportatæ, manè in portu inuentæ sunt. Deinde pontem struit ad hunc modum. Acatia, & vasa quædam magna lignea, & dolia vbi congregauit, ea trabibus longis, & ferramentis ac funibus valide atque arctè constringit, & colligat, ne aquæ salsæ opus dirimerent. Post, super acatia, & vasa, & trabes, asseres ferreis clauis, seu fibulis affigens, pontem efficit validum, latitudinis cubitorum quinquaginta, longitudinis centum, vt quod inter portum & initium pontis erat spatium, videretur tanquam arida ambulari. Deinde helepolim supra pontem statuit, & triremes simul eadem in parte mœnibus succedunt.

CAPVT XI.

Timor ciuium. Ad defensionem vrbis regionum distributio. Imperatoris in prospiciendis necessariis indefessus labor. Sacra vasa Ecclesiæ in pecunias ad soluenda stipendia rediguntur. Conatus ad triremes Turcicas, & pontem incendendum irritus. Quadraginta fortissimi, & pulcherrimi iuuenes Ameræ iussu trucidantur. Constantinopolitani Turcis captiuis præcipitandis par reponunt cum fœnore.

HAEc dum conspicerent Imperator & tota ciuitas, animis conturbari vehementer incipiunt. Imperatorem nostrorum paucitas habet sollicitum. Itur in cōsilium, decernitur, vt duces, & tribuni, aliiq; strenui viri Itali ac Romani (qui valde exigui numero inueniebantur) quibus locis nuper constituti fuissent, ad eadem vnusquisq; rediret, murosq; seruaret, & hostibus resisteret. Ac primum quidem de Venetis Baïlo (*dignitatis nomen est*) Hieronymo Mino custodiendum & prouidendum palatium cum omni gaza committitur. De Catelanis Baïlo, Petro Iuliano pars quæ dicitur Bucoleontis, vsq; ad Contoscalium tuenda datur. Iacobo Contareno pars murorum exterioris portus, vsque ad Hypsomathia. Atque hic cum suis, militum, maximeq; ingenuorum ac nobilium officio nō deerat. Manueli è Liguria regio ad portam quæ aurea dicitur, cum ducentis sagittariis mandatur. Habebant enim Turcæ ibidem helepolim, lignis & pellibus bubalorum atque boum coopertam, & muros arietibus quatiebant. Paulus, Antonius, Troilus germani fratres Myriandro præficiuntur, quo in loco vrbs laborabat magis, & diu noctuque à peditibus & equitibus Turcis magna multitudine, fortiterque ac strenuè oppugnabatur. Et cum sæpe murum diruerent, ac perrumpere in vrbem conarentur, cum damno & cædibus multis repellebantur. Ac partem quidem scalarum intrò oppidani traxerunt, partem diffregerunt. Meretur sanè virorum illorum virtus præmium, æternam scilicet apud posteros memoriam. Theophilo Palæologo homini experientissimo, græcarumque disciplinarum scientissimo, custodia prope portam Selybriam contradita est. Iustiniano autem summo duci, & vndecunque apto atque idoneo, cui Imperator etiam atq; etiam propter generositatem, fortitudinem, & audentiam fidebat, cum trecentis

centis Italis & Romanis regio ad portam S. Romani ad defensandum data est, vbi Turcæ inimicius Martem vrgebant; vbi etiam helebolen magnam, & helepolim illam statuerant: quod locus esset ad mœnia vrbemque expugnandam appositus, & Ameræ è regione tabernaculum. Theodoro è Caristo, viro bellicoso & industrio, & sagittario longè exercitatissimo, item Ioanni Germano, machinarum militarium perito artifici, regio in Calygariis defendenda cessit. Hieronymo & Leonardo Liguribus vicinia ad portam Xylinen. Deualæ Rosio ad portam Cynegesij, vsque ad S. Demetrium. Magno autem Duci Lucæ Notaræ regio Petrij, vsque ad portam sanctam. Ad regionem portæ speciosæ nautæ, naucleri & gubernatores, quos habebat nauis Cretensis, dispositi sunt. Gabrieli Triuisano Venetarum triremium Præfecto, cum aliis quinquaginta ad custodiam definita turris in medio fluctu, qui aditum portus tuetur, & est ante portam regiam. Is creditam sibi partem vt pastor, non vt mercenarius, diligenter seruabat. Antonio verò mercatoriarum triremium Præfecto, triremium ipsius, & nauium intra catenam, de quibus dictum est, tutela obtigit. Quæ naues, quod ad conflictum bene essent instructæ, earum vectores tubarum, tympanorum, clamorum strepitu millies Turcarum triremes ad dimicationem prouocabant, & iaculis quotidie inter se certantes, iusta tamen pugna non concurrebant. Alij quoque nobiles, virtuteque bellica egregij ciues ad custodiam dispertiti sunt: & quidquid hominum poterat, operam nauare non desinebat. Monachi, Sacerdotes, Clerici, & reliqui ordinis Ecclesiastici passim, & circum circa per vrbem iussi sunt distribui, vt & Deo supplicarent, & die specularentur, & noctu laborarent, & precibus numen pro salute vrbis propitiarent. Demetrium Cantacuzenum, & generum eius Nicephorum Palæologum, cum aliis quibusdam ad venerandum Apostolorum templum, & ad alia loca obeunda cum bellatoribus septingentis constituerunt, vt vbi res flagitaret, eo cum subsidio aduolaret. Imperator cum Francisco Toledo cognato suo (qui, vt ferunt, ex illustri familia Alexij Comneni genus ducebat) & nobiscum tota die & nocte intra vrbem, & mœnia obequitans, necessitati bellicæ consulebat. Et quoniam ad numeranda stipendia palatium pecunia deficiebatur, mandauit vasa Ecclesiæ sancta Deoque consecrata confringi, & in numismata redigi. Ac ne quis nos vt sacrilegos reprehendat, qui hoc temporibus adducti fecimus, etiam Dauid idem egit, cum esuriens panes propositionis comedit, quos non nisi solis sacerdotibus licebat comedere. Aiebat

enim beatę memorię Imperator; si Deus vrbem liberauerit, se domino suo quadruplum restituturum. Rursum inita consultatione decretum est, vt inuectæ in portum triremes, & pons aliqua machinatione incenderentur: quoniam naues Turcicę pro imminenti discrimine non leuiter vrbem terrefaciebant. Inuenerunt porrò artem, & consilium Imperatori indicarunt. Iacobus Cocus Venetus, homo erat factis quàm dictis celerior, huic negotium commissum. Hic orsus est opus accommodatè admodum & bene in hunc modum. Acatia tria apprimè velocia & agilia sumpsit, iis quadraginta iuuenes Græcos & Italos, fidentes animi, & præstanti virtute imposuit, eisq; diligenter præcepit, & ignis artem docuit, vt noctu Galatam traiicerent, & propè littus vsque ad triremes accederent, ac tum deliberata exequerentur. Et successissent incepta, nisi rem sinistra fortuna nostra impediuisset. Ponte enim circumnauigato, cum duos illic reliquissent, qui signo dato, eadem hora illum incenderent, vbi ad triremes iam alij accesserunt, Deus propter peccata nostra opus prohibuit. Etenim iuuenibus illis imprudentibus, famulus quidam hostibus mysterium detexerat, vnde illi custodias per noctē agere instituerunt. Atq; vt illos cum vasis, & petris, & acatiis viderunt, vnum summerserunt, & vectoribus ad vnum captis, alia duo illæsa & integra reliquerunt; aliudque nostri nihil præstiterunt, nisi quod vnam triremem incenderunt, ignem in ponte Turcarum caterua accurrens extinxit. Iuuenes autem illos excellentes, & eximia oris dignitate, impius Ameras mane ad vnum, nobis inspectantibus, & immensum tota ciuitate lamentante miserabiliter iugulari mandauit.

Mœstus idcirco Imperator, & ipse è triremibus captiuos Turcas, numero ducentos sexaginta de turribus suspendi iubet.

CAPVT

CAPVT XII.

Dißidentes inter se Ligures & Venetos, ad concordiam reuocat Imperator. Ameræ arrogantia, & voluntas perdendarum nauium, pro quibus Galatæi supplicantes frustra sunt. Incassum tamen, & claßiariis incolumibus quanquam infestißimè oppugnantur. Mœnia à propugnatoribus deserta, vnde à Turcis corbes detrahuntur. Purgatio desertorum. Ad contumelias patientia Imp. Eiusdem in muris redintegrandis sedulitas. Magni ducis, & Iustiniani alterna conuitia. Oratione Imper. reconciliati, officio funguntur. Iustiniani inconstantia & timiditas, qua sua decora fœdauit.

HANC ob caussam offensio & seditio non minima inter Venetos, & Ligures emersit. Ligures quippe asseuerabant, se omnibus rebus agundis supra Venetos excellere, & Iacobum Cocum ex imperitia nesciſſe quid faceret; nec vel ipsum, vel Venetos quid auderent peruidisse, propter quos quadraginta illi iuuenes periissent, ac triremes, & pons in portu incensa non fuissent. Hoc comperto Imp. indoluit, accedensque eos in hæc verba allocutus est. Obsecro vos, fratres, pacem colite; bellum externum vobis sufficiat. Nolite mutuum belligerare, per misericordias Dei. Alia item multa cum dixisset, pacem iis persuasit. Ameras postquam perspexit, quod de triremibus conabamur, magis detrimentum nobis quàm vtilitatem attulisse, suprà modum lætatus, non sine fastu & indignatione animi dixit, se facturum nobis, quæ nos ipsis facere nequiuissemus. Et in colle S. Theodori trans sinum apud Galatam magnas helebolas statuit, vt naues nostras quę erant ad ingressum portus, nisi recederent summergeret. Atque hæc faciebat non solùm propter introitum portus; sed etiam vt Ligurũ nauibus par redderet, nobisque, se posse omnia, ac multimodis sollertem, & versutum esse ostenderet. Cernentes Galatæi, Ameram velle naues perdere, frequentes illum conueniunt, monentque, non videri ex iustitia, Ligurum, amicorum suorum, atque adeò suas naues mercatorias disperdere. Respondet, has naues non mercatorias, sed piraticas esse; nec mercaturæ gratia, sed vt Imperatorem nostrum, inimicum suum adiuuarent, huc venisse. Se, vt manifestos hostes, si queat, puniturum. Ipsi, vt amici, cum pace abirent. De cætero

tero ad opus venitur, & erat videre mirum quiddam. Magiſter primæ heleboli ignem iniicit, nauim principẽ demergit. Reliquæ conſpecto periculo, nitentes fugere, paulùm vltra Galatam cum veniſſent, conſtiterunt, vt altiſsimis ædibus tegerentur. Turcæ ædibus haud parcentes, multas diruerunt, quò naues citra impedimentum oppugnarent. Dictu ſtupendum, amplius centum & triginta helebolas nihil penitus nauibus obſuerunt, nec quenquam occiderunt: vnicam mulierem lapſus de muro lapis interemit. Diebus autem aliquot Ameras more ſolito nobiſcum cominus non conflixit; eminus tantùm iaculatus, machinis noctes atque dies muros validè arietare non deſtitit. Tum nonnulli rei militaris non nimium gnari, cernentes conflictibus abſtineri, relictis ſtationibus domos quiſque ſuas redierunt. Turcæ occaſionem nacti, harpagonibus quibuſdam in locis corbes terra ad tegendum in pugna militem inculcatas detraxerunt, pro quibus tribuni extemplo alias repoſuerũt: Imperator vbi à duce quod contigerat reſciuit, durè illos, & cum minis increpauit. Qui reſponderunt, hoc ſe feciſſe, vt liberis & vxoribus victum curarent, quo eguiſſent. Tum Imperator ſanxit, vt quotquot vel ſenio, vel alia cauſſa ab armis impedirẽtur, iis pro cuiuſq; neceſſitate per ædes, & turres panis diſtribueretur. Iam verò bellũ ingraueſcebat in dies, quòd ad hoſtes è finibus Turcici imperij milites recentes quotidie aduentarent; noſtræ autem res acciderentur, & vt lunæ lumen, aſsiduis interitionibus minuerentur. Quidam inſuper noſtrorum, contumaces & inhumani, cum noſtra in anguſtum redigi intuerentur, peruerſis cupiditatibus ſuis occaſionem nacti, ſeditiones ac turbas perpetuò ciebant, & ore ſceleſto contumelias in miſerum Imperatorem, alioſque principes per vicos & plateas iaciebant, nec Deum timentes, nec Imperatorem, aut homines reuerentes. At ipſe ter beatiſsimus illud Dauidis imitabatur. *Ego autem ſicut ſurdus non audiebam, & tanquam mutus non aperiebam os meum. Factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Quoniam inimici mei viuunt, & præualuerunt ſuper me. Quoniam multiplicati ſunt, qui oderunt me gratis.* Et adibant eum qui narrarent, hunc & hunc talia de ipſo effutire. Quoſdam etiam præteriens, ſibi conuitiantes auribus ſuis audiebat. Et in nobis impletum eſt illud adagium, felicium omnes ſunt amici: infelicium ne ipſe quidem pater. Quarto die Maij rumor ſpargitur, Ameram viceſimo nono eiuſdem mẽſis oppugnationem nobis acerrimam admoturum. Aſt duces & tribuni omnes, & ante alios Ioannes Iuſtinianus non deſinebant moliri omnia, quò hoſti-

hostibus resisteretur, & tota nocte muri ruinas, helebolum impressione factas mille modis resarcire nō parcebant. Deinde Iustinianus ad Magnum Ducem Notaram mittit, vt sibi aliquot heleboles transmittat, quæ ibi erāt, vbi idem Lucas Notaras seruabat. Recusat dare, quod etiam in illa vrbis regione ea tormenta necessaria esse diceret. Iustinianus contrà occurrere, nullam esse necessitatē tot helebolum ibidem, propter aquā videlicet. Hanc ob caussam ad sermones proiectiores processum est, & alter alterum probris lacessebat. Ac Iustinianus quidem Notaram hominem ineptum, pestiferum, & patriæ inimicum appellare. Notaras vicissim alias cōtumelias plena manu regerere. Hoc intellecto Imp. eos seorsum abducēs, hunc in modum affatur. Fratres, non est modò tempus inter vos ita agendi, loquēdi, & verbis velitandi. Quin potius etiam iis qui oderūt nos veniam tribuamus, Deumq; obsecremus, vt à faucibus huius notissimi, quemque ante oculos videmus draconis liberemur. Pluribus deinde verbis vsus, in amicitiam eos pacemq; mutuam restituit, & vterq; ad cōmissum sibi locum, & ad muneris sui functionē reuertit. Iustinianus ab hostibus timebatur illis diebus potissimùm quà dictis, quà institutis, & factis, iaculationibusq;, & cominus quotidie aduersum eos decertabat; & cum multos capiebat, tum alios gladio conficiebat: ac nemo erat, qui laborem, & facta viri præclara non suspiceret, quem vindicem seruatoremq; vrbis omnes prædicabant. Verùm ad finem vsq; talis non permansit: sed quam sibi famā fortitudine pepererat, eam timiditate amisit.

CAPVT XIII.

Falsi rumores per Turcas dissipati de summissis ex Italia, & Hungaria auxiliis. Maledicta in Ameram. Eius, & consiliariorum mæstitia ex tribus caussis. Luminis supra vrbem noctu apparētis duplex augurium. Eiusdem postremò apparentis verum augurium. Halimbassa cur mærorem simularit foris, cùm gauderet intus. Eius oratio ad Ameram de obsidione relinquenda. Sogambassa contrarium consilium, cum insectatione stultitiæ & inconstantiæ Principum occidentalium. Ameras dicta probat cum voluptate. Galatam, ad Galatæos traiectu ad vrbem tuendam prohibendos custodiam mitti imperat.

NOBIS ita habentibus, falsus quidam rumor exercitum hostilem persuasit, classem ex Italia ad opem nobis ferendam aduenire. Similiter Iancum Hungarorum Princi-

pem,

pem,cum copiis equestribus pedestribusq; maximis.Quibus auditis Agareni trepidare vehementissimè,maledictisq; Amerā insectantes & murmurātes dicere,ipsum generis sui perniciem ac interitū fore, à quo adacti,impossibilia conarentur. Ipse quoque Ameras,totumque illius consilium varia voluentes,& metu ac perturbatione pleni, magnoperè tristabantur. Primùm quidem,quòd huiusmodi vulgabantur.Deinde quòd videbant tam frequentem,& innumerabilem exercitum in timorem coniectum ; & neq; terra , neq; mari tot diebus quidquam adhuc prospere gestum , & cum sæpe tot machinas, tantaq; vi scalas ad muros applicuissent,fœdè dimissos : deturbatos quippe & multos occisos,vt deinceps meticulosè ad mœnia accederent.Tertio loco portentum quoddam conspectum , terrorem ipsis iniiciebat : nempe vis corusca luminis cœlo supra vrbem demissa, quam tota nocte texisset.Hoc lumen vt viderunt , primùm sic interpretabantur,Deum Christianis offensum,eos igni affligere,& in seruitutem tradere statuisse.Postea cum semper cum dedecore de mœnibus & scalis præcipitari se se,tamq; multis machinis fabricādis nihil proficere animaduerterēt,& insuper de classe ex Italia, & de Ianco ex Hungaria famam,licet falsam,acciperent,rursum ita illud lumen interpretari cœperunt,vt dicerēt,Deum pro nobis pugnare, & tutamen atq; præsidium Christianorum esse velle:sine cuius nutu ac voluntate nos quoq; nihil possumus.Has ob caussas Ameras,vt diximus,vniuersusq; exercitus ipsius in tristitia & mœrore versabatur,vt qui die sequenti soluta obsidione recedere cogitaret. Ipsa autem vespera diem illū præcedente, quo discessum cogitabāt, rursum vt antea lumē illud cœleste conspiciunt , quod tamen nō perinde vt prius supra vrbem tota nocte diffusum manebat:sed procul tantùm apparebat,& repente discussum euanescebat. Hoc vt Ameras,& alij omnes aspexerunt,multo repleti gaudio exclamarunt,Deū nos iam deseruisse.Et execrandæ atq; impiæ religionis, & erroris ipsorum sapientes ac scribæ significatum illo lumine vaticinabantur , Turcas vrbem subacturos.Ita omnes spem bonam concipiebant,qua propter peccata nostra frustrati non sunt.Halimbassa verò princeps consilij, spectatissimus omnium, & rebus gerendis egregius , cum Ameram ancipiti cogitatione sic defixū,aliosq; omnes metu ac trepidatione detētos obseruaret,in speciem ipse quoq; tristis, animo interim exultabat, quòd vnus ipse in cōsultationibus Ameram semper à bello vrbi faciendo deterruisset; ne id occidentales cōperientes, in fœdus coirent,& Turcas Europa expellerent.Rursus itaq; mœstitiam vultu simulans,Ameram ita compellauit. Ego à principio hæc ita euētura

sæpius

ſæpius tibi prædixi,nec mihi auſcultaſti. Nũc rurſum moneo,placeat tibi nos hinc diſcedere, quoniam in rem noſtram futurũ eſt,antequam peius aliquid eueniat.Ameras audita oratione iſtiuſmodi,triſtitia & ſollicitudine ingenti pœnè cõtabuit, quòd tanta cum ignominia fugere verius,quam diſcedere videretur.Eum ſic ſtantẽ,& cogitabundum intuens Sogambaſſa, proximus à primo Vezires, ſiue cõſiliarius,ſuadere inſiſtit,vti bellum contra nos cõtinuet; & hoc,vt Halimbaſſæ viciſsim ægrè faceret;occultas quippe ſimultates & odia exercebant inuicem.Erexit igitur,& animos addidit Ameræ hunc in modum.

Quid ita ſtas mœſtus & afflictus,Amera?quæ timiditas te occupauit?quæ ſunt iſtæ cogitationes,quæ aſcendunt in cor tuum?Deus tecum eſt,mitte ægritudinem. Annon vides ſignum lumen illud,eum tibi vrbem hanc in manus traditurum? An nõ cernis tantùm ac pœnè infinitum exercitum quem habes, & ſelectum & inſtructum cum exquiſito apparatu? Alexandri Macedonis copiæ tantæ nunquã fuerunt,nec tantus eiuſdem apparatus bellicus:nihilominus mundum ſubiugauit.Equidem ego,quod quidam aiũt, & frater meus Halimbaſſa paulò antè affirmauit, claſſem ex Italia huc cũ ſubſidio appulſuram non credo,non ſpero.Benè ſiquidem noſtis,polyarchiã Principum Italorũ,cęterorumq; occidentalium facere,vt ἄναρχοι,hoc eſt, ſine imperio ſint,nec viget inter illos cõcordia. Quod ſi quidam eorum fortè pacem firmarint,id non ſine labore,multiſq; conditionibus contingit,& breui ſpatio vinculum illud rũpitur,quiq; colligati fuerant,curioſius rationes inquirũt,quibus alter in alterius ditionẽ inuadat,mutuoq; imminent,& cauent. Multa quidem illi ſtatuunt, ratiocinantur,loquuntur; ſed pauca præſtant: & quod veſperi volũt, mane nolunt.Et cum voluntas ad opus & negotium ipſum accõmodanda eſt,morãtur.Et hoc faciunt,vt cupiditati,& imprudentiæ ſuæ aptum tempus nanciſcantur. Quod ſi opus quodpiam aggreſsi fuerint,& initium eius duxerint,nihil tamẽ propter ſententiarũ diſcrepantiam rectè agunt. Maximè verò hoc tempore,vt notum eſt,pars eorum nouas diſcordias alit. Proinde rurſum aio,fieri non poſſe,ob cauſſas à me poſitas,vt ex Italia claſsis adueniat. Sed fac reuera veniſſe,quid nobis inde periculi, cum ex decem vnũ illis opponere ſatis ſit?tantum nos exercitum habemus. Quocirca,Amera domine noſter,bonum habeto animum,non diſcrimen,non timor vllus ab hominibus tibi denuntiatur:Deus ſolus tibi timendus eſt. Virũ te præbe,lætare,& confortare,& quidquid ignibus iaciundis effici poteſt, hodie & cras ne intermittatur,vt helebolibus,quãtum poteſt, muri

 humi-

humiliores redigantur. Hic sermo atq; hoc consilium placuit Ameræ plurimum, animumq́; ipsius ex præterita mœstitudine lætitia suffudit ac recreauit. Tum ei mandat, obiret ea nocte exercitũ, & exploraret, num eiusdem esset animi. Ille iussis obsecutus redit, &, lustraui, inquit, & exploraui, idem vult: quare pugna hilariter, à nobis stat victoria. Respõdit Ameras. Iam Sogambassa, si videtur tibi, nos quoque in præsens cognoscamus, num placeat fortunæ adiuuare nos, vt alios multos adiuuit. Mitte igitur Galatam custodiam, ne clandestinè huc ad vrbem defendendam traiiciant.

CAPVT XIV.

Dolor Halimbassæ de repudiato consilio. Imp. Constantino rem significat, eum à fortunæ mutabilitate ad spem cohortatur. Turcæ ieiunantes, & aqua se expiantes Deum victoriam precantur. Oratio Ameræ ad vltimam impreßionem hortatoria. Voluptates ex Alcorano in prælio cadentibus: viuis, & victoribus duplicatum stipendium ac prædam pollicetur. Clamores lætantis exercitus. Supplicationes per vrbem ad Deum cum lachrymis. Oratio Imp. ad fortiter pugnandum, cum laudatione Deiparæ, Constantinopolis, Venetorum, Genuensium.

His auditis Halimbassa magnoperè doluit, & erubuit, quòd Sogambassæ auctoritas præualuisset, volebatque ex inuidia, si posset, reperire machinam aliquam, vt aduersus vrbem nĩhil efficeretur. Indicãdum porrò curat Imp. quod acciderat, eumq́; hortatur ne timeat, quia in bellis varia & anceps sit fortuna sæpenumero. Proinde custodes excubias peruigiles agant. Agebatur autem hæc vespera diei septimæ & vicesimæ Maij, iussitq́; Ameras per totam illam noctem, & diem sequẽtem lumina facesq́; ardere, & nihil toto die gustari, & lauari septies, & Deũ ieiunos ac lustratos victoriam vrbis suppliciter rogare, quam etiam consecuti sunt. Altera vespera, post occasum solis, posteaquã corpora curauerunt, Ameras stans, orationẽ ad milites talem habuit. Filij, Deo & Prophetæ eius Mahometę, & mihi seruo eius dilectißimi, obsecro, hortorq́; vos, crastina luce rem omnium sæculorum memoria dignam peragite, quemadmodum & maiores nostri omnibus locis vsq; in hanc diem, vt constat, admiranda peregerunt: & alacriter, generosè, excelsoq́; animo ad summa murorũ per scalas tanquam alites euadite. Ne gloriam â maioribus nostris quæsitã, & à Deo donatã (quod

(quod absit) desidia nostra perditū eamus, cuius multimodis augendæ & amplificandæ nunc tempus adest. Alia insuper multa militariter apud exercitum disserens, ad viriliter & animosè decertandum omnes inflammauit. Deinde rursum. Quod si, quæ belli natura est, etiam aliqui de nobis occubuerint, inquit, probè nostis ex nostro Coran, quid dicat Propheta (Mahomet) si moriatur tali tempore, habiturū inscriptum in dextera sua, corpore & anima in paradiso cum Mahomet esurum ac bibiturum, & cum pueris, formosisq; mulieribus & virginibùs in loco virenti, & floribus redolenti quieturum, & lauacris pulcherrimis vsurū. Ac illo quidem in loco hæc à Deo præmia est habiturus, inquit, qui pugnando occubuerit. Hìc autē totus exercitus meus, & aulæ meæ optimates, si vicerimus, quæ nunc à me stipendia simplicia accipiunt, duplicata proportione in posterum accipient, quamdiu vixerint. Tota vrbs triduo vestra erit. Et si quis spoliorum quippiam legerit, vasa aurea, & argentea, vestes repererit, viros fœminas cuiusq; ætatis ceperit, nemo hæc repetere, nec vllam afferre habētibus molestiam poterit. Vbi finem dicendi fecit, sacramento se constrinxit, ita facturum, quemadmodum promisisset. Milites hac conditione mirificè exultantes, vno ore lætissimos clamores sua lingua effuderunt. *Illalla, illalla, Mahomet Russolalla. Deus est, & semper erit, & Mahometus est seruus eius.* Nos tam altis clamoribus, vt latè per mare resonaret, in vrbe auditis, quid caussæ esset taciti quęrebamus. Paulò pòst certò ac verè cognoscimus, luce crastina Ameram terra mariq́ue, omnibus viribus, & summa ope vrbem adoriri decreuisse. Intuentes autem tam immensam impiorum multitudinem (dicam quod mihi videtur) vt sine dubio contra singulos nostrûm plures quingentis pugnarent, in superna prouidentia spes omnes nostras collocabamus. Præcepit item Imperator, vt portantes sanctas ac venerandas imagines, & diuina simulacra, Sacerdotes, Episcopi, Monachi, viri, fœminæ, pueri cum lacrymis per vrbem quoquo versum incederent, & κύριε ἐλέησον clamitarent, Deo supplicarent, ne propter peccata nostra in manus hostium impiorum, & quos terra sustinet, sceleratissimorum traderemur: sed clemens ac propitius esset nobis hæreditati suæ. Insuper milites illacrymantes inter se cohortabantur, vti hora conflictus intrepidè hostiles impetus exciperent. Nec minus Imperator luctuosa illa vespera coactis omnibus primoribus, præfectis & subditis, tribunis & centurionibus, præcipuisque militibus in hæc verba vocem soluit.

Viri nobilissimi, clarissimiq́ue, tribuni ac duces, & commilitones macti animis, & omnes demum fideles, & honorandi ciues, cer-

 nitis

" nitis venisse tempus, & inimicum fidei nostræ omnibus artibus &
" machinis terra mariq; , validius quam hactenus vnquam conflictu,
" pugna, & dimicatione singulari, quantum valet ac potest nos pre-
" mere statuisse, vt si fieri queat, ceu serpens venenum in nos effundat,
" & tanquam immitis leo instet, nosque deuoret. Quapropter rogo
" hortorque vos, vt virili atque imperterrito pectore, quomodo huc
" vsque fecistis semper, fidei nostræ hostibus resistatis. Trado & com-
" mendo vobis illustrissimam, & celeberrimam vrbem hanc, patriam
" vestram, & reginam vrbium. Non ignoratis, fratres, quatuor nomi-
" nibus communiter omnes nos mortem vitæ anteponere oportere.
" Primùm pro fide & pietate nostra: deinde pro patria: tum pro Impe-
" ratore, vt vncto domini: postremò pro cognatis & amicis. Cæterùm,
" fratres, si pro vno horum quatuor decertare vsque ad necem obliga-
" mur, multo magis, vt liquidò apparet, pro omnibus simul mortem
" recusare non debemus. Quod si propter delicta mea Deus victoriam
" impiis concesserit, pro sancta fide nostra, quam Christus sanguine
" suo nobis comparatam donauit, nullum periculum detrectemus:
" hoc enim caput est omnium. Et si quis *totum mundum lucretur, anima*
" *autem suæ detrimentum patiatur,* quid illi proderit? Secundo loco patria
" adeo inclyta, & libertate nostra priuamur, & imperium quondam
" tam splendidum, nunc depressum, & humiliatum, probris exposi-
" tum & contemptum amittimus. Tandem & charissimis liberis, &
" coniugibus & cognatis spoliamur. Est autem dies septimus & quin-
" quagesimus hodie, ex quo Aleterius Ameras nos obsidet, & omni-
" bus machinis, ac robore die noctuque instare non desistit: gratia au-
" tem, & beneficio omnia intuentis Domini nostri vsque hodie à mœ-
" nibus cum dedecore sæpe repulsus est. Ergo etiam nunc, fratres, ti-
" morem secludite, quamuis murus aliqua ex parte ob helepolum im-
" pulsum corruerit. Nam vt ipsi videtis, vt potuimus eum instauraui-
" mus. Nos spem omnem in gloria Dei inexpugnabili sitam habea-
" mus. *Hi in curribus, & hi in* equis, & potentia, & numero, *nos autem in*
" *nomine Domini Dei ac Saluatoris nostri.* Post in manibus quoque nostris,
" & in robore, quod diuina virtus nobis donauit. Intelligo hanc in-
" numerabilem impiorum multitudinem contra nos venturam mo-
" re suo cum fastu, & elato supercilio, & spiritibus magnis, & violen-
" tia, ad affligendam & ærumnis pressandam paucitatem nostram. Al-
" tissimas dant voces, & innumerabiles lætitiæ clamores iactitant, vt
" nos terrefaciant, quas eorum nugas probè nostis: nec operę pretium
" hæc curare, quantumuis multi hoc agant. Et saxa infinita, & alia tela

ex

ex helebólifcis, vt arena maris furfum in nos volabunt, quibus nos, «
vt fpero, non lædent. Quoniam perfpicio, valdeque apud me gau- «
deo, & tali fpe, & cogitatione fuftentor, quòd, licet perpauci, tamen «
omnes dexteri, idonei, robufti, fortes, & magnanimi, & prẹclarè iam «
ante exercitati eftis. Scutis capita veftra in pugna & conflictu bene «
tegite: dextera rhomphæam tenens femper extenfa efto. Galeæ ve- «
ftræ, thoraces, & tunicæ ferreæ, cæteraque munimenta ad corpus «
tuendum planè fufficiunt, & erunt præliantibus perutilia, quibus «
hoftes non vtuntur, nec ea habent omnino. Et vos quidem intra mu- «
ros tecti confiftetis: illi aperti, & cum lafsitudine vobis appropin- «
quabunt. Quocirca, commilitones, per mifericordiam Dei conftan- «
tes eftote, & rem gerite magno animo. Mementote quomodo olim «
pauci Carthaginenfium elephanti tantam equorum Romanorum «
multitudinem voce afpectuq; fugauerint. Quod fi animal brutum «
fimiliter brutum animal fugauit; quanto facilius nos, qui etiam ani- «
mantium ratione carentium domini fumus, cum prẹfertim qui nos «
oppugnatum veniunt, inftar animalium brutorum, & ipfis brutis «
magis adhuc bruti fint? Peltæ veftræ, & gladij, & arcus, & fagittæ in «
illos eant, & cogitate vos in agreftes porcorum, aut canum turbas «
pugnare: vt difcant impij, fibi non cum beftiis, quales ipfi funt, rem «
effe, fed cum præfidibus, & dominis ipforum, & Græcorum Roma- «
norumque pofteris. Meminiftis impium iftum Ameram finceræ no- «
ftrẹ religionis aduerfarium & inimicum nulla cauffa legitima fœdus «
& amicitiam difcidiffe, & toties concepta facramenta flocci pendif- «
fe: veniffeque improuisò, & ad fauces Afomati caftellum exædificaf- «
fe, vt nos incurfare quotidie poffet. Agros noftros, hortos, viridaria, «
domos igne vaftauit: fratres noftros Chriftianos quotquot reperit, «
partim necauit, partim captiuos abduxit, focietatem diffuit, Gala- «
tæos fibi conciliauit: qua conciliatione gaudent, nefcientes miferi, «
filij agricolæ fabulam, qui affauit cochleas, dixitque ô ftulta anima- «
lia, & quæ fequuntur. Adueniens igitur, fratres, nos obfedit, & ore «
aperto hiat quotidie, dum tempus aptum inueniat ad deglutiendos «
nos, & vrbem hanc, quam ter beatifsimus, & Magnus Conftantinus «
Imperator ille excitauit, omniumque caftifsimæ, & fupra quam dici «
poteft caftifsimæ dominæ noftræ deiparæ ac femper Virgini Mariæ «
confecrauit, eique donauit, vt domina, auxiliatrix, & protectrix pa- «
triæ noftræ, Chriftianorumque perfugium foret, fpes, & gaudium «
Grẹcorum omnium, gloriatio omnium per orientem habitantium. «
Et illam olim longè lateq; prædicatam & illuftrem, & vt rofam agri «
florentem

" florentem delere nititur. Quæ, prope dixerim, totum sub sole mun-
" dum subegit, & pedibus suis subiecit, Pontum, Armeniam, Persiam,
" Paphlagoniam, Amazonas, Cappadocas, Galatiam, Mediam, Col-
" chos, Iberas, Bosporianos, Albanos, Syriam, Ciliciam, Mesopotami-
" am, Phœnicen, Palæstinam, Arabiam, Iudæam, Bactrianos, Scythas,
" Macedoniam, Thessaliam, Helladem, Bœotiam, Locros, Aetolos, A-
" carnaniam, Achaiam, Peloponnesum, Epirum, Illyricum, Lychni-
" tas, accolas Adriatici, Italiam, Tuiscones, Celtas, Celtogalatas, Ibe-
" riam, & vsque ad Gadira, Libyam, Maraciam, Maurusiam, Aethio-
" piam, Numidiam, Aphricam, & Aegyptum. Hanc vrbem dominam
" vrbium ipse nunc in seruitutem redigere, eique iugum imponere
" conatur, & sanctas Ecclesias nostras, vbi sancta Trinitas adorabatur,
" & vbi sanctissimum numen celebrabatur, & vbi angeli hymnum di-
" uinum, & Dei Verbi in carne susceptam œconomiam canebant, vult
" oratorium seu fanum blasphemiæ suæ, & ineptiarum Pseudopro-
" phetæ sui Mahomet, bestiarumque & camelorum habitaculum fa-
" cere. Quod superest, fratres, & commilitones, cogitate cum animis
" vestris, quo pacto memoriam vestri, & famam, & libertatem immor-
" talem consequamini. Et conuersus ad Venetos, qui à dextris adsta-
" bant, Veneti, inquit, illustres, fratres in Christo Deo dilecti, viri for-
" tes, milites prævalentes, & bello probatissimi, qui rhomphæis vestris
" micantibus, & gratia à Deo vobis collata sæpe magnas Agarenorum
" strages edidistis: quorum sanguis de manibus vestris fluminum in-
" star defluxit, hodie vos obsecro, vti vrbem hanc in tanta belli cala-
" mitate constitutam, toto pectore, & ex medullis defendatis. Testes
" vobismet ipsi estis, quomodo hanc alteram patriam, & matrem sem-
" per habueritis. Proinde rursus quæso hortorque vos, vt ipsa hora op-
" pugnationis fidorum amicorum, fideliumque fratrum officium ei
" ne denegetis. Posthæc ad sinistram versus, Genuenses sic est allocu-
" tus. Ligures, fratres honoratissimi, viri bellicosi, magnanimi, & fa-
" ma nobiles. Non potestis ignorare infœlicem hanc vrbem semper
" non meam solius, sed vestram quoque fuisse multis de caussis. Vos
" enim sæpenumero studiosè auxilium ei tulistis, & præsidiis vestris ab
" Agarenis eius hostibus eam tutam atque incolumem conseruastis.
" Nunc denuo tempus est opportunum, vt in ope afferenda vestram
" erga illam in Christo charitatem, & fortitudinem, magnanimita-
" temque demonstretis. Postremò ad omnes simul, non est tempus,
" inquit, pluribus vos alloquendi: tantummodo sceptrum nostrum
" humiliatum manibus vestris commendatum cupio, vt id beneuolè
custo-

custodiatis. Oro autem, & obsecro charitatem vestram, vt quem decet honorem, & obedientiam ducibus vestris, tribunis, centurionibus, vnusquisque secundum ordinem & manipulum suum exhibeatis, & hoc vestri muneris esse intelligatis. Quod si ex animo mandatis meis parueritis, confido in domino, nos intentatis eius in nos minis periculisque liberatum iri. Si secus quippiam euenerit, corona adamantina in cœlo nos manet, & memoria meritorum nostrorum in orbe terrarum nunquam intermorietur.

CAPVT XV.

Fletus Imperatoris & militum, promissa item vtrorumq́. Vltimum vale inter milites. Imperator, & multi præterea in templo S. Sophiæ Eucharistiam sumunt. Veniam ab omnibus in palatio petit. Lamenta, & lacrymæ ibidem. Obit mœnia: custodias perlustrat. Strepitus extra vrbem, vnde oppugnationis initium, circa secundum galli cantum. Cur Ameras belli inexpertos, iuuenes, ac senes primam facere impreßionem iusserit. Feruor pugnantium. Eodem tempore, & hora, terra mariq́ vrbs oppugnatur. Christiani præualent. Hostes feßi à suis respirare prohibentur. Audacia ascendentium per præcedentium humeros. In aditu murorum atrox pugna. Theophili Palæologi, & Demetrij Cãtacuzeni virtus.

POSTQVAM perorauit, & cum lacrymis gemitibusque Deo gratias egit, omnes vno velut ore, ipsi quoque collacrymantes, responderunt, se pro fide Christiana, & patria sua oppetituros. Tum Imperator actis gratiis amplissimis, plurima iisdem congiaria spopondit; rursumque, quod restat, inquit, fratres & commilitones, parati estote in crastinum mane. Gratia & virtute à Deo vobis impertita, & adiuuante S. Trinitate, in qua fiduciam omnem reposuimus, efficiemus, vt hostes cum dedecore & malo hinc recedant. His dictis Romani miseri corda leonum assumebant, veniamque petebant & dabant mutuum, & cum lacrymis inuicem complexabantur, neque iam liberorum charissimorum, neq; coniugum, aut facultatum memores: sed mortem tantummodo pro seruãda patria obeundam ante oculos habentes, vnusquisq; ad stationem suam reuertebantur, & in muris custodias agebant diligenter. Imperator in augustissimũ Sapientiæ Dei Verbi

templum ingressus, precibus ibidem & lacrymis effusis, sacrosancta, & immaculata mysteria percipit: idipsum complures eadem nocte faciunt. Postmodum in palatium veniens, & paulùm ibi moratus, ab omnibus veniam summissè petit. Quis complorationes illas & lamenta tunc audita per palatium fando explicet? Nisi quis ligneus esset, aut saxeus, non potuisset temperare à lacrymis. Conscensis equis egredimur è palatio, & obimus mœnia, vt ad vigiles excubias custodes incitemus. Omnes illa nocte in muris ac turribus erant, & portæ vrbis, quibus exitus introitusque patebat, clausæ tutissimè. Vbi in Callygarium ad primum galli cantum venimus, & ab equis descendentes, in turrim ascendimus, audimus foris crebros colloqui, & magnos atque inconditos edere strepitus. Aiunt custodes, eos hoc totam iam noctem facere: trahebant siquidem ad fossam instrumenta, quæcunque ad murorum oppugnationem præparauerant. Interim littora feruent maximè, hostium nauigia, & triremes, & pontes portui, muris, & littoribus admouentur. Circa secundum galli cantum, sine signo aliquo (quod tamen aliis diebus solebant dare) oppugnationem impensè, & summo conatu ordiuntur. Statuerat autem Ameras, vt omnes rei bellicæ ignorantiores, & senes quidam, ac iuuenes conflictum auspicarentur, quò nos aliquantulum fatigarent, & validiores, fortiores, belli experientiores maiore deinde audacia & promptius nos aggrederentur. Fiebat ita, prælium que & conflictus instar camini succensus ardebat. Ac nostri cum virtute resistebant, hostesque malè multabant, atque de muris præcipites deturbabant, & quasdam machinas, vasaque militaria eorum diffringebant: & cum vtrinque caderent, de Turcis tamen plures cadebant. Vbi lux diei stellas abscondit, & ab oriente roseum mane apparuit, totę copię, perinde vt funis ab vna parte ad alteram ductus vrbi incubuerunt, organis bellicis, vt tympanis, & tubis corneis, & aliis demum perstrepentes, & lætisonis vocibus frementes, atque in omnes heleboles ignem indentes, omnesque concorditer, vno tempore & hora, à terra marique irruentes, & pugnam lacessentes. Quidam audaciores scalis stuppeis ascendebant, & in eos qui pro turribus stabant, omne telorum genus adiiciebant. Pugnatum est acriter, horribiliterque horas duas, ac præualuerunt quodammodo Christiani. Nam triremes quibus scalæ portabantur, cum ponte re infecta à muris maritimis repulsæ sunt, & saxa ex vrbe iactata, Agarenorum plurimos obtriuerunt. Quique à terra propugnabant, similiter, ac peius etiam hostes multabant: licebatque videre insolitum

tum spectaculum, solem ac cœlum velut obscura nube inuolutum, & paratæ machinæ igne græco incendebantur, scalæque & ascensoria cum ascensoribus, molaribus desuper iactis deuoluebantur, & helebolifcis sagittisque repellebantur, & vbi confertos hostes videbant, eò heleboles dirigebant, multosq; feriebant & interficiebant. Hostes autem labore oppugnationis defessi stomachabantur adeo, vt nonnihil ad vires recreandas retrocedere postularent, Tzauchides autem, & rhabduchi aulæ (*genus apparitorum regiorum*) virgis ferreis, & scuticis eos vrgebant, ne hosti terga ostentarent. Quis voces illas, & clamores, penetrantes vsque ad sidera, vulneratorumque vtrinque gemitus verbis consequatur? Quidam de nostris eos sic affectos cum intuerentur, magnis vocibus acclamabant: cum ista sæpe conati sitis, malè semper repulsi estis. Verùm ipsi virtutem suam summa vi volentes nolentesq; ostendere, rursum in scalas euadunt. Alij audaces, robusti, ac virili animo per aliorum humeros ascendebant, & alij per illorum, vt in suprema murorum scanderent, si possent. Cum in his omnibus vehementer, magnaque vi niterentur, in ipso aditu valida dimicatio committitur, & strictis ensibus decertatur: & ex vtraque parte multi occiduntur. Inclinante iam acie nostra, Theophilus Palæologus, & Demetrius Cantacuzenus, viri inprimis bellicosi prosilientes, Agarenos vincunt, atque à muris & scalis præcipitio depulsos in fugam dispersos compellunt: reliqui ad auxilium accurrunt.

CAPVT XVI.

Imperator milites ad pugnam confirmat. Iustinianus accepto vulnere turpiter à se deficit, & certamine excedit. Ad preces Imp. surdus Galatæ moritur. Chasanis Ianitzari strenuitas. Propugnaculo capto, Turcæ turmatim in muros euadunt. Imperatoris lachrymæ, & obsecratio ad Deum, & milites. Leoni comparatur, sua manu fortiter dimicans. Francisci Toledi, Theophili Palæologi, & Ioannis Dalmatæ virtus, & mors gloriosa. Apud portam S. Romani prima in vrbem irruptio.

VBI tum Imperator in equo, militum animos ad alacriter dimicandum his verbis exacuit. Commilitones, & fratres mei, per misericordiam Dei vos rogo, state viriliter. Nunc enim hostium copias viribus labascere, sensimque dissipari

pari video, nec instructo, vt solebāt, agmine accedūt; speroq; in Deo, nostram fore victoriam. De cætero, fratres, gaudete, quoniam corona pretiosissima vobis est reposita, non corruptibilis, & terrena tantùm, sed cœlestis etiam. Deus pugnat pro nobis; timor impiorum exercitum inuasit. Hæc dicēte Imperatore, Ioannes Iustinianus dux sagitta allapsa dexterum crus vulneratur. Qui non ita belli naturam doctus, vt sanguinem è corpore profluentē est intuitus, totus à pristina virtute immutatus, & pauore ictus pedem retulit, ac in posterum nihil operæ nauauit. Deserto igitur loco cum silentio abiens, vulnerarium requirebat, generosi pectoris, dexteritatis, ac fortitudinis, quam à principio ostentasset, prorsus immemor. Nec verò iis qui aderant vllum verbum fecit; nec pro se vicarium reliquit, ne qua confusio, & pernicies sequeretur. Conuersi milites, cum ducem nusquam viderent: sed eum fugisse audirent, magnopere conturbati ac tremefacti sunt. Imperator casu eodem veniens, milites confusos animi, ac timoris plenos, vt oues lupis imminentibus offendit. Cognita porrò caussa, & ipso Ioanne duce fugitiuo conspecto, adequitans, sic eum aggreditur. Mi frater, quid agis? repete locum tuum; modica est hæc plaga, redi, amabo; nunc enim maior necessitas ita flagitat. Vrbs in manibus tuis est, abs te seruanda est. Plura eo disserente, nihil respondit: Sed Galatam traiiciens, ibidem ex dolore animi propter contemptum, in quem inciderat, & amissam gloriam numerari inter viuos turpiter desiit. Turcæ ex perturbatione tanta nostrorum erexerunt animos. Sogambassa Ianitzaros, aliosque ad fortiter audendum verbis extimulat. Ac Ianitzarus quidam, nomine Chasanes, Lopadio oriundus, gigantea corporis magnitudine prorumpit, caputque galea tectus, sinistra parmam obiectans, dextera gladium educēs, ad murum, vbi turbatum videbat, circiter triginta eius virtutis æmulis sequentibus procedit. Nostri stantes in muris iacula & sagittas in eos mittunt, & grandia saxa deuoluunt, decemque & octo præcipites decidunt. Chasanes autem non prius impetum ascendendi dimisit, quam in murum euaderet, nostrosque loco pelleret. Postquam igitur auso potitus est, alij insuper complures ascensum tentarunt; quos nostri propter paucitatem prohibere nequibant: cum hostium autem non pauci essent, in eos tamen qui ascenderant irruentes, in muro confligebant, ac plurimos trucidabant. Chasanes dum pugnat, in saxum impingens deorsum labitur. Conuersi nostri, eumque infra iacentem conspicientes, vndecunq; telis impetunt: qui se in genua erigens, sic manebat. Eius dextera plaga-

plagarum multitudine elanguit, ipseq; telis coopertus est: alij item multi aut interempti, aut vulnerati, & obligandorum vulnerum in castra deportati sunt. Tandem hostes cateruatim muros tenuerunt, nostrosq; dissiparunt: qui relictis exterioribus, per portas ad interiores se recipientes, inter se conculcabant. His ita habentibus, intus & extra succlamatur, & quà portus erat, propugnaculũ capitur, arma vexillaq; militaria in turribus sublimè figuntur, voces exultantiũ nostros fugant, hostibus animos augent. Deniq; iterum iterumq; victoriam clamoribus ingeminantes, exultabundi, ac nullo timore omnes murum ascẽdunt. Calamitosus Imperator & dominus meus ista videns, Deum profundentibus se lacrymis precatur, & milites vt infracto animo resistant impellit. Verùm opis & auxilij nulla spes affulgebat. Imperator equo concitato accurrit, vbi impiorum multitudo ascendebat, vt cum allophylis manum confereret, primoque impetu de muro eos præcipites agit: vt qui circum erant, & videbãt, rem inopinatam cernerẽt. Nam vt leo fremebat, & strictum dextera gladium versans, hostium complures orco demittebat, quorum sanguis à manibus & pedibus eius fluminis instar decurrebat. Dominus autem Franciscus Toledus, quem supra nominaui, Achillem ipsum superabat, â dextris Imperatoris confligens, & instar aquilæ vnguibus, & ore hostes concidens. Similiter Theophilus Palæologus vt Imperatorem dimicantem, & vrbem in extremo positam discrimine animaduertit, flens exclamat; mori malo quã viuere: magnaque voce in medium globum irrumpens, partim hostes fugat, partim interficit. Quin etiam Ioannes Dalmata ibi præsens, generosius quàm miles vllus manum cum hostibus conserebat, vt præsentes & aspicientes, virtutem & vires virorum maximè militarium, altera ac tertia impressione, & acerrima pugna impios in fugam vertentium, multosque occidentium, & quosdam de muris depellentium obstupescerent. Cumque constanter ac fortiter pugnauissent, multa prius hostium strage data, ipsi quoque oppetiuerunt. Ita insuper milites alij minimè imbelles, eodem in loco, prope portam sancti Romani in certamine ceciderunt, vbi helebolim illam Turcæ fecerant, & helepolim magnam statuerant. Ac diruto muro, inde primum in vrbem irruperunt.

CAPVT XVII.

Cretensium nautarum pro turribus propugnantium laus. Ameræ in eos beneficium. Duo fratres Itali commendantur. Eorum capta vrbe gemitus. Tempus captæ Constantinopolis. Enumeratio calamitatum, quas à Turcis pertulit. Templi S. Sophiæ epitheta.

EGo hora illa â domino meo aberam, quòd eius iussu in aliam vrbis regionem ad eam lustrandam discesseram. Turcæ ingressi, Christianos in vrbe helebolíscis, telis, sagittis, lapidibus insequi, & potiri rerum omnium, præter turres, quæ dicebantur Basilij, Leonis, & Alexij, in quibus vsque ad sextam & septimã diei horam è Creta nautæ mira constantia propugnabant, multosq; Turcarum interimebãt. Tot porrò phalangas, totamque vrbem subactam cum cernerent, noluerunt ipsi etiam iugum accipere, præoptantes mori, quàm in seruitute viuere. Turca autem quidam ad Ameram de horum virtute nuntius approperat. Iubet eos ex pacto descendere, & cum nauibus, omnique gaza sua saluos ac liberos esse. Vix tamen etiam ita eis descensum persuasit. Duo quoque germani fratres Itali, Paulus & Troilus in locis suis, vnà cum aliis multis animosè præliantes, repellebant hostes, & cum pugnantium, tum defensantium cædes edebantur. Respiciens autem Paulus, hostesque intra vrbem conspicatus, ad fratrem conuersus, ô sol horresce, inquit, ô tellus ingemisce; ciuitas capta est: iam nó tali auxilio, nec defensoribus istis tempus eget: de nostra ipsorum salute, si qua spes est, solliciti simus. Atque ita Turcæ vniuersam vrbem in ditionem ac potestatem redegerunt die tertio hebdomadis (*die Martis*) hora ab initio diei tertia & sesqui, anno mundi 6961. Domini 1453. vicesimo nono mensis Maij. Qui irruerant, diripiebant, obuios capiebant, resistentes mactabant, & in quibusdam locis præ cadauerum obiacentium multitudine stratura viarum non apparebat. Vidisses spectaculum nouum, lamenta multa & varia, captiuos trahi innumeros, nobiles item ac primarias fœminas, & virgines, & Deo consecratas, quanquam eiulantes, capillis ab ecclesiis auelli raptarique crudeliter, Clamores item & ploratus puerorum, sacerdotes, & ædes sanctas dicatasque dispoliari: & quod vel auditu est horrendum, vidisses sacrosanctum sanguinem, & corpus Christi in terram effundi ac proiici, & honoranda vasa diripi, & partim confrin-

gi, par-

gi, partim integra in ſinum abſcondi. Perinde de ornamentis faciebant, & imagines auro argentoque, nec non margaritis decoratas, pedibus conculcabant. De ornatu item, lectulis & menſis inſerebant, ſericiſque, & auro contextis veſtibus ſacris equos conſternebant. Alij pro tapetibus cum cibum caperent ſibi eas ſubiiciebant, pretioſos ſanctorum cimeliorum lapides rapiebant, diuorumque ſacras reliquias pedibus proterebant. Alia item quam plurima ſceleratiſsima, & lacrymis proſequenda præcurſores illi Antichriſti deſignabant. O plena ſapientiæ Chriſte rex, & ininterpretabilia, atque inſcrutabilia iudicia tua. Erat inſuper videre longè ampliſsimum illud, ac diuiniſsimum Dei Sapientiæ templum, cœlum terreſtre, thronum gloriæ Dei, Cherubicum vehiculum, & alterum firmamentum, facturam manuum Dei, ſpectaculum & opus eximiũ, totius mundi exultationem, illud elegãs templum, & elegantib. elegãtius, intra cuius adyta, & ſuper ſacras menſas edebãt, & potabant, & inceſtas libidines ſuas cum virginibus, & pueris explebant. Quis te non lugeat templum ſanctiſsimum? Vbique calamitas, & dolebat omne caput. In domibus lamenta & lacrymæ, in triuiis planctus, virorum gemitus, fœminarum vlulatus, raptationes, captiuitates, diſtractiones. Genere illuſtres ad contemptum redigebantur, impij diteſcebant, plateæ & anguli vbique malis omnibus redundabant. Nullus remanebat locus, quem non ſcrutarentur, & excuterent. O Chriſte rex, qualis tunc tribulatio, & anguſtiæ? Omnia domicilia, & loca Chriſtianorum perquirebant & perfodebant impij, vt pecuniam abditam inuenirent: plurimiſque theſauris, & veteribus ac nouis, iiſque pretioſiſsimis rebus implebantur.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Ameras seriò de vita Imp. inquirit. Cadauer repertum honestissimè sepeliendum curat. Aetas eius. Notaram simulatorem, & mendacem quomodo deluserit; & cum filiis duobus capite puniuerit, vt item alios viros nobiles. Veneti quidam pecunia numerata, ac promissa necem effugiunt. Galatæi multi trucidantur: contra fidem datam fiunt tributarij: Halimbassa propter consilium de Constantinopoli non oppugnanda necatur.

CAPTA igitur vrbe, Ameras ingressus, studiosissimè super Imperatore quæsiuit: nihil enim ei prius erat, quam viuerétne, an interiisset cognoscere. Quidam adeuntes aiebant fugisse: alij, in vrbe latitare: alij, in pugna oppetiisse. Volens autem exploratè quod res esset discere, misit vbi Christianorum impiorumque cadauera aceruatim & promiscuè iacebant. Abluebant porrò capita occisorum plurima, si fortè & Imperatoris noscitarent: nec poterant: nisi quod corpus exanime inuenerunt, idque ex imperatoriis calceamentis agnouerunt, in quibus (vt Imperatoribus consuetum erat) aquilæ aureæ depictæ visebantur. Huius rei certior factus Ameras, summoperè gauisus, & mirè exhilaratus est, deditque negotium his qui superfuerant Christianis, vt corpus eius cum honore Imperatoribus conuenienter sepelirent. Heu heu mihi quoque, quem in hæc tempora diuina prouidentia reseruauit. Vixit venerandus hic, & placidissimus Imperator, annos omnino vndequinquaginta, menses tres, dies viginti. Ameras victoria tanta tumefactus, crudelem se, & immanem præbuit. Ad eum enim accedens Lucas Notaras Magnus Dux, adorauit, thesaurumque opulentum, quem absconditum habuerat, eidem obtulit, gemmas nimirum, vniones, & alia item cimelia regalia. Quibus visis Ameras ipse, quique illi à consiliis erant admirati sunt. Tum Notaras, hæc omnia seruaui maiestati tuæ: & ecce ea nunc tibi pro munere dedo, quæsoque magnoperè, famuli tui preces ne asperne-re. Confidebat enim, per hæc se cum tota domo sua libertatem consecuturum. Tum Ameras, hem semicanis, homo inhumane, fraudum sutor, veterator. Cum tantum thesaurum possideres, cur Imperatori domino tuo, & huic vrbi patriæ tuæ non succurrebas? Nunc cum huiusmodi nequitiis, & calliditatibus, quibus deditus fuisti à pueritia,

pueritia, me quoq; ſupplantare, & quod tibi debetur, malum ſtudes effugere. Dic mihi, impie, haſce diuitias tuas, & vrbem hãc quiſnam gratuitò in manus meas tradidit? Subiecit Notaras, Deus. Tum Ameras. Quoniam igitur Deus hæc mihi donauit, & te, & omnes in manus meas dedidit, quid tu ais improbe, & nugator? Cur non iſta ad me miſiſti, priuſquam bello vos peterem? ita tibi gratias, & remunerationem deberem. Nunc non tu iſtâ mihi largiris, ſed Deus, vt dixiſti: ſtatimque lictoribus mandauit, vti eum in carcerem compingerent, & tutò cuſtodirent. Die altera rurſus eum ad tribunal ſiſti iuſsit, & his verbis compellauit. Quandoquidem ditiſsimo iſtoc theſauro tuo quem habebas, Imperatori ac patriæ tuæ commodare noluiſti; & quia eidem Imperatori auctor & ſuaſor non fuiſti, cum ei conditionem proponerem, vt vrbem pacificè mihi dederet, aliumq; locum cum beneuolentia & amicitia à me datum acciperet, ne tantæ inter nos cædes factitarentur; hîc Notaras interpellans, non ſe, ſed Venetos & Galatæos culpam ſuſtinere affirmauit, qui contra Imperatori ſuaſerint, claſſemque ei ſubſidiariam miſſuros receperint. Et Ameras, mendaciorum doctus es artifex: at nunc non eſt tempus vtilitatis tuæ cauſſa mẽtiendi, nihil enim tibi proderit: præcepitq; vt ſequenti die in Xerolopho, inſpectante ipſo, duo filij eius capite plecterentur, ſuper quibus Imperatorem orauerat, vti alterum Contoſtauli, alterum Magni Logothetæ dignitate exornaret; deinde & ipſi ceruices præciderentur, quod factum eſt. Atque hunc finem res Lucæ Notaræ inuenerunt. Poſtea multos nobiles ac illuſtres interimi iuſsit. Ex Venetis Angarum, & filium eius. Aſtanden Cataloniæ, & duos item filios eius. Præterea Contarenum, alioſque de nobilitate Veneta è medio tollere voluit, qui pecunia partim ipſi perſoluta, partim Sogambaſſæ promiſſa, vitam impetrarunt. Miſit nihilominus Galatam, multoſque ibidem comprehenſos trucidauit. Quæcunq; etiam Galatæis pollicitus fuerat, ad nihilum reciderunt: ipſos enim quoque ſtipendiarios ſibi fecit. Halimbaſſam in turrim incluſit, & paucis poſt diebus vita priuauit, ob cauſſam ſuprà à nobis expoſitam: quod videlicet ab vrbe obſidenda illum dehortaretur, ne Chriſtiani Principes in occidente coniunctis viribus tota Europa eum expellerent, & quæ ibidem diximus. Eius mors vniuerſo exercitui multò luctuoſiſsima accidit, quòd diligeretur ab omnibus, & præclaras ſemper in conſultationibus ſententias dicere conſueuiſſet.

* * *

CAPVT XIX.

Annorum numerus à Constantino Magno ad Heraclium, sub quo Mahometus extitit. Turcarum tria nomina. Tempus ab Heraclio ad Constantinum Palæologum. Quamdiu is, & quamdiu Palæologi imperauerint, & quamdiu imperij Romani domicilium Constantinopoli fuerit. Amera capta vrbe triumphus. Christianis bene cupit. Patriarcha nouus eligitur. Imperatores quid nouo Patriarchæ, & qua cærimonia donare soliti. Eam ex parte seruat Ameras, & Patriarcham tractat humaniter, ac honorificè. Synodus in Trullo. Cur Mahometes tantam in Christianos humanitatem finxeritnias. Colo Constantinopolim deducit. Prærogatiuas & immunitates Patriarchæ impertit.

AB Augusto vsque ad ter beatum, venerandum, memoriæ immortalis Flauium Constantinum, qui à vetere Roma imperij sedem Constantinopolim (olim Byzantium dictam) transtulit, quam ipse restaurauit & dilatauit, & nouam Romam indigitauit, anni intercesserunt trecenti triginta duo. A Flauio Constantino Chloro vsque ad Heraclium Magnum anni * quibus temporibus vixit ter execrandus, & Pseudopropheta Mahomet, ex posteritate Ismaëlis, ex tribu Cedar primogeniti Ismaëlis, cuius detestabilem sectam sequuntur Turcæ, qui tripliciter nominantur, Saraceni, Ismaëlitæ, & Agareni. Saraceni quidem, quoniam Sara, Agar & Ismaëlem hæreditate cassos dimisit. Ismaëlitæ, quoniam ab Ismaële descendunt. Agareni propter Agar primæuam matrē ipsorum. Ab Heraclio Magno, & Pseudopropheta Mahometo vsq; ad imperium Constantini Palæologi, qui de genere Palæologorum octauus imperauit, & imperauit annos quatuor, & menses totidem, anni numerantur 848. Imperarunt autem Palæologi in hac regina vrbium annis centum nonaginta quatuor, mēses decem, dies quatuor. Et quemadmodum sub Flauio Constantino cœptum, sic sub Constantino Palæologo finitum est imperium Constantinopolis. In hac porrò infœlicissima vrbe viguit Romanorum imperium annis mille centum quadraginta tres, menses * dies * Ameras die tertio à capta vrbe triumphum duxit, & gaudium ingēs publicumq; ob victoriam agitauit, iubens prodire omnes minores iuxta ac maiores, qui se occuluerant, & esse liberos, nec à quoquam vexari.

vexari. Similiter quotquot timore adacti ex vrbe profugissent, vt suprà retulimus, eorum vnumquemque redire domum suam, & viuere singulos iuxta rationem religionis suæ, sicut antea. Præterea iussit, vt Patriarchã pro consuetudine & more suo crearent; vetus enim morti concesserat. Tum Episcopi qui fortè aderant, paucíq; de clero, & laici sapientissimum, & doctissimum Georgium Scholarium, etiamnum laicum elegerunt, quem & Gennadium mutato nomine nuncuparunt. Erat autem munus & consuetudo Christianorum Imperatorum, vt electo Patriarchæ pedum seu virgam pastoralem auream, lapillis & margaritis distinctam, & electum equum de regio stabulo, sella & phaleris regificè & sumptuosè ornatum, albo & aureo stratorio tectum donarent. Et Patriarcha illi insidens, è palatio, toto procerum collegio stipãte, cum faustis acclamationibus in patriarchium reuertebatur, atque ab Episcopis pro lege & more consecrabatur. Hoc modò è manibus Imperatoris futurus Patriarcha pedum accipiebat, sedente eo super solio regio, & tota procerũ corona nudatis capitibus circumstante. Magnus Protopapas palatij benedictionem pronuntiabat, deinde paruam * Et Magnus Domesticus psallebat illud, *vbi enim regis præsentia,* & quæ sequuntur. Deinde, *Gloria, &c.* Et Lampadarius ex altero choro. *Et nunc & semper, &c.* Item, *Rex cœlorum*, & cætera. Finito autẽ tropario, Imperator surgens, habet in manu dextera pedum. Accedit autem candidatus, cuius vnum latus Cæsar, alterum Heracleæ Metropolita tegit. Corpus tertiùm omnibus inclinat. Deinde ad Imperatorem accedit, & consueta adoratione illum prosequitur, Imperator paulùm attollens pedum, ait: SANCTA TRINITAS QVAE MIHI IMPERIVM DONAVIT, TE IN PATRIARCHAM NOVAE ROMAE DELIGIT. Atq; ita de manibus Imperatoris Patriarcha potestatem sumebat, eíque gratias agebat. Deinde chori psallebãt, AD MVLTOS ANNOS DOMINE, idque tertiò, & illud, ἀπόλυσις, hoc est ilicet. Secundùm hæc Patriarcha cum lampadibus ad diababula, siue atrium descendebat, paratumque inueniens equum, ascendebat. Aleterius, vt Imperator vrbis, Imperatorumque Christianorum imitator, idem facere cupiens, Patriarcham futurum, vti secum consideret ad colloquendum, & vnà epularetur, accersiuit. Venientẽ magno cum honore excepit, longumque cum eo sermonem habuit, & infinita se ei daturum spopondit. Vbi tempus fuit è palatio exeundi, surgens Ameras, pretiosumq; illi pedum porrigens, hortatur accipere, ac volente nolente Patriarcha, eum ad extremum vsque palatij deducit, & in equum eo

modo quo diximus ornatum aſcendere iubet. Mandat inſuper omnibus aulæ ſuæ nobilibus, vti ipſum comitētur. Ita hi præcedentes, illi ponè ſequentes ad veneranda Apoſtolorum ſepta eum deducūt: quod templum Ameras in Patriarchium donauerat. Pulcherrimum autem diuinumque Dei Sapientiæ templum, illud latè decantatum templum, terreſtre cœlum, & rem inauditam, Aleterius ſibi oratorium, ſeu Meſchitam fecit. Aedes verò in Blachernis, opus admirabile incendio perierat. Deinde cum animaduerteret Patriarcha, ibidem de infœlicibus Chriſtianis nullum remanſiſſe, timeretque, ne quid propter ſolitudinem mali ſibi obueniret, quod die quodam Agarenus in veſtibulo fani illius repertus eſſet mortuus, habitandi locum ad beatiſsimæ Deiparæ, à paucis quibuſdam Chriſtianis habitatum petiuit, & obtinuit. Monachas porrò eodem loci incolentes, ad ſanctiſsimi Prophetæ & Præcurſoris monaſteriū in Trullo recedere voluit, vbi imperāte Iuſtiniano ῥινοτμήτῳ (*id eſt, naſo reſecto*) ſancta Synodus quiniſexta celebrata eſt. Illa quippe ætate hoc palatium illuſtriſsimū, iuxta ſanctiſsimæ Virginis ædem, verſus Boream erat. Hic ergo ſceleratiſsimus, Chriſtianorumque mala peſtis, & verſipellis, ac vulpes hæc fecit: non quod benedictionem inde ſibi quæreret, aut alioqui natura tam miti eſſet: ſed vt Chriſtiani eius promiſsis auditis, in vrbem confluerent, eamque incolerent, quæ ob quotidianas direptiones (& præſertim dum caperetur) deſerta euaſerat. Et ita factum, congregatique ſunt Chriſtiani nonnulli. Paullò pòſt etiam colonias, quas Turcæ ſua lingua Surgunides nominant, è Capha, Trapezunte, Synopio, Aſprocaſtro eò deduxit. Sic eam ciuibus denuò impleuit. Dedit etiam litteras Patriarchæ cum ſubſcriptione auctoritatis regiæ, quibus illi à vexationibus cauit, rebellari vetuit, & quidquam tributi nomine ab eo exigi, vim à quoquam aduerſario & inimico afferri interdixit, & vt à vectigalibus, & publicis contributionibus ipſe, omneſque ſucceſſores, ſubiectique Epiſcopi in perpetuum vacarent, mandauit.

CAPVT

CAPVT XX.

Protoueſtiarius, vxor & liberi capti, venditíque. Liberos Ameras ab Hippocomo emit. Ameræ ad Principem Seruiæ de pace inter Hungaros & ipſum Ameram concilianda legatio. Connubium filiæ Ducis Veneti cum Conſtantino à nobilitate Conſtantinopolitana quare contemptum. Cur à Venetis auxilium negatum. Cardinalis Ruſsiæ patriarchatum recuſat. Quæ pro patria tuenda fecerit Imp. & à quibus ei fides ſeruata non ſit. De diuina prouidentia locus. Cometæ viſi augurium. Noctibus ſerenis fulgura. Terræmotus, æſtus ingentes.

EGO quoque in poteſtatem veni, omneſque difficultates ſeruitutis expertus miſer, poſtremò venditus, primo Septembris, anni *6962*. Chriſti 1453. atque in Peloponneſum Spartam ſoſpes ſum perductus. Capta item vxor mea, & liberi, à Turcis quibuſdam ſenibus, & bonis viris, venditíque primario Ameræ Hippocomo, ſeu ſtabuli Præfecto, quem illi ſua lingua Merochurum dicunt, qui præterea mulieres alias ſummo loco natas, eaſque non paucas mercatus eſt, & iis diuendundis magnum quæſtum fecit. Cum autem forma, & compoſiti mores liberorum meorum *(filiæ & filij)* latere minimè poſſent, audito de iis, Ameras grandi pecunia numerata, ab Hippocomo, de quo dixi, eos abduxit. Remanſit infelix eorum mater ſola, cum vna & ſola nutrice ſua: nam & aliæ concaptiuæ diuerſis venierunt. Si quæras, quid egerit Imp. tempore quod obſidionem anteceſsit, dicam. Cum ſe Ameras ad obſidionem pararet, etiam externi Principes Chriſtiani ad auxilium apportandum ſeſe inſtruebant. Quanquam nec remotiores, nec viciniores quidquam re ipſa contulerunt, vt notum eſt omnibus. Immò verò ad Principem Seruiæ Georgium Ameras Legatum miſit, vt is ſe pacificatorem inter ipſum, & Hungaros interponeret. Cum Legato autem quidam Chriſtianus litteratus erat, additus à Turcis conſiliariis, qui Deſpotæ ſuaderet, vti amicitiam conciliare ne differret. Pace enim cum Hungaris compoſita, Ameras Conſtantinopolim ſtatim erat inuaſurus. Miſero conſulere nobis cordi non fuit: neſciebat enim, capite à corpore ablato, membra emori. Tum quoque Venetiis celebri ſuper hoc Patrum conuentu acto, ſurgens in medium Dux Franciſcus Fuſcarus dixit. Non ex ignorantia ruditateque Ioannem Imperatorem ipſorum amicitiam, & fœdus,

& communionem religionis expetiisse: suo enim aliorumque qui ipsum vidissent, & cum eo collocuti essent, iudicio, prudentiorem in Italia hominem non esse visum: sed nequitiam & inuidiam ei obfuisse: nescit enim inuidia vtilitatis rationem ducere. Caussa huius erat Aloysius Diedus. Is aliquando egit, vt beatę memorię Constantinus, tunc Peloponnesi Despota, huius Ducis filiam magna cum dote vxorem caperet. Qui non alia de caussa, nisi vt eius principatus cum Venetis concordiæ caussa iungeretur & vnum fieret, hanc affinitatem admisit, nobis & aliis pluribus id approbantibus, & propemodum cogentibus. Vt autem renuntiatus est Imperator, & in vrbem venit, nouum fuit, ac insolitum ciuitatis illustribus viris fœminisq; pro domina, & hera sua pati filiam Veneti, & generos Veneti, aliosq; eiusdem affines & filios esse congeneros Imperatoris & fratres Imperatricis: honorati quidem fortasse Ducis: sed is honor temporaneus erat. Rursum postquam Imperator creatus est Constantinus, Dux idem de connubio rogans, nihil impetrauit. De cætero factus est inimicus, multaque cum dixissent Aloysius Lauredanus, & Antonius Diedus, & alij multi, demonstrassentque, si vrbs caperetur, maxima detrimenta etiam ipsorum rebus euentura, non poterant Duci persuadere, vt Imperatori succurreret: quin etiam Ecclesiam Romanam huius rei sollicitudo angebat. Et cum versaretur Byzantij Cardinalis Rusiæ, & ego cum venerando, & beatæ memoriæ domino meo Imperatore, de eo in Patriarcham Constantinopolitanum asciscendo agerem, tum enim Papam illius temporis eius auctoritate ad subsidium mittendum commoueri posse, multa disputatione, sermonibus, & consultationibus habitis, idem Cardinalis domino meo vnum ex duobus omnino futurum ostendit. Sibi namque Patriarchæ creato necesse fore omnes obedire: aut disidia dissensionesque inter ipsum, & rebelles existere. Interea si nobis foris bellum inferretur, & haberemus etiam bellum intus, quantum esset hoc mali? Memoriam autem Papæ in sacris hac necessitate nostra, propter spem auxilij fieri placuit. Et quotquot hoc facerent, in S. Sophia facerent: qui omitterent, extra culpam, & in pace essent. Et duodecimo Decembris, præterlapsis sex mensibus, cùm tot verba essent facta de auxilio, quot fecit Sultanus Cayri, siue Aegypti: & à Seruia posset non modica pecuniæ vis occultè multis modis, militesq; similiter alio modo submitti, non fruitus est his Imp. nec vidit quisquam vel vnum obolū. Contrà pecuniam multam, & milites ad Ameram, vrbem obsidentem miserunt, & triumpharunt gaudio Turcæ, obiectantes,

ctantes, etiam Seruios nobis aduersari. Quis Christianorum principum, aut Iberorum vel vnum teruntium, vel militem ad vrbis auxilium seu apertè, seu clam misit? Hungari Legatos ad Ameram miserunt. Summa legationis fuit, placere sibi, vti cum Imperatore pacem & amicitiam iniret. Fecisse & ipsos pacem cum illo. Sed quia non seruarentur pacta mutua, se quoque pacem factam ratam amplius non habere. Cumque venissent Legati dum vrbs oppugnaretur, qua hebdomade erat impressio facienda, Ameras & totum concilium eius, sermonibus blandis eos morantes, responsum diutius extrahebant, nec id sine dolo: dum viderent nempe, quorsum res spectaret. Nam si vrbem occuparent, dicturi erant: se illam occupasse, ipsi proinde abirent, & agerent, quod liberet, secumque aut pacem, aut bellum haberent: quod & factum est, & ita responsum legatis. Si eam non occuparent, dicere statuerant, propter pacem inter se & ipsos bellum esse sedatum, & secundùm conuenta obsidionem soluisse. Rumor tamen erat, Ameram cogitare ac dicere, si vrbem nunc non occuparet, mox pacem facturum, quam in omni vita seruaret. Beatæ autem memoriæ Constantinus Imperator, quid pro defensione vrbis, & imperij, aut (vt verius dicam) pro salute sua palàm & occultè non est molitus? Constat enim, si voluisset, facilè fugere potuisse. Verùm noluit: sed pugnauit vt *bonus pastor, qui ponit animam suam pro ouibus suis*, vt etiam posuit. Et quis alius talia, & cætera facta præter Ioannem Cantacuzenum, & me nouerat? quando scilicet Iancus ex Hungaria Selybriam, aut Mesembriam ab eo petiuit, & fore se in potestate illius, magnumque illic præsidium habiturum, & tempore belli cum Turcis, eorum hostem, & ciuitati auxilio futurum spopondit. Bello conflato Mesembria, vt petiuerat, cum bulla aurea per me conscripta illi data est, quam gener Theodosij Cyprij, Michaëlis filius ad ipsum deportauit. Cui nota regis Catelanorum petitio, qui sibi Lemnum donari rogabat, & Turcas mari semper oppugnaturum, necessariisque temporibus vrbi succursurum recipiebat? Quis nôrat, quam grandem pecuniam, & quæ promissa dederit Imp. miseritq; in Chium per Galatam, vt mitterent militem, nec miserunt? Ieiunauit per se, & sacerdotes, distributa in eos pecunia: immò pauperibus seruiuit; Deo plurima vouit, vt Christianos à seruitute impiorum liberaret. Veruntamen hæc omnia partim spreuit Deus, nescio ob quæ peccata: partim ignorarunt homines, & quisque pro libidine sua loquebatur. Ego autem existimo hæc fuisse reuera iudicia Dei iam pridem iustificata & rata, vt respub. Romanorum ad extremas

tremas miſerias deuolueretur. Ideo arcanas prouidentiæ rationes boni conſulere conducit. Aeſtate anni 6962. Chriſti 1450. cometes ſupra horizontem quotquot veſperis, ſtatim poſt occaſum ſolis, in rhompheæ ſimilitudinem apparere cœpit. Qui plenum lunæ orbem ſubiens, eclipſin efficiebat, iuxta ordinem, & motum ſolitum in orbem luminum cœleſtium. Quidam cometam hunc gladij ſpeciem exprimere, & ab occidente in orientem moueri, ac lunæ appropinquare, defectionisque illius tenebras videntes, ita rem interpretati ſunt, conſpiratione facta, Principes Chriſtianos ab occidente aduerſum Turcas venturos, eosq; debellaturos. Turcæ quoq; eo portento in timorem non leuem inciderunt. Quin etiam noctibus illis luna illuſtribus, vſque ad ſecundam vigiliam quotidie exiſtebant fulgura, & tonitrua. Mane autem terra tremebat mediocriter, idque diebus decem & octo, quibus cœlum feruebat immodicè.

CAPVT XXI.

Motus Albanitarum in dominos, quibus Turachanis filius ſuppetias venit, fratréque captiuo in munus accepto abit. Filium Protoueſtiarij muliebria perpeti nolentem Ameras interficit. Protoueſtiarius fit domeſticus Thomæ Deſpotæ. Iter eius in Seruiam impeditur. Alia itinera. Vxorem pecunia redimit. Turachanes Albanitas Principibus legitimis ſubiicit. Filius Thomæ naſcitur. Protoueſtiarij filia captiua perit. Proſpera eius ad Venetos Legatio. Ameras à Ianco & aliis pellitur.

EODEM autumno, anni 6962. Chriſti 1454. Peloponneſij Albanitæ aduerſus Deſpotas & dominos ſuos penitus inſurrexerunt, & Manuelem Cantacuzenum Deſpotam creauerunt. Qua de re, vnde & cur cœpta ſit, non habeo dicere. Menſe Decembri, cum rurſus Ameræ Turachanis filius cum copiis ad Deſpotas adiuuandos, quod rogauerant, aduenißet, paulùm afflictis Albanitis, & fratre ſuo captiuo in præmium adepto, reuerſus eſt. Quo menſe ſceleſtiſsimus, & immaniſsimus Ameras chariſsimum mihi filium Ioannem ſua manu iugulauit. Volebat enim eo iam tum annum agente decimum quartum, & menſem octauum (ſed qui prudentia annos præueniret) nefariè ac turpiter abuti. Me miſerum, & infœlicem patrem. Eodem menſe ego quoque Leontarim diſceſsi, & Deſpotam Thomam Porphyrogenitum venerabundus

dus ſalutaui: qui me in domeſticos cooptauit, & Certezam oppidulum diplomate cum bulla aurea mihi donauit, atq; ad Deſpotas Seruiæ, conſocerum, & generum multis, neceſſariis, & vtilibus de cauſſis, vere eiuſdem anni me deſtinauit. Comparatus ad iter veni Methonen, vt naui inde Epidaurum in Illyriam, & inde in Seruiam deueherer: ſed iter meum concitatus in Peloponneſo tumultus impediuit. Nam è cuſtodia Chlomutzæ frater vxoris Thomæ, Centerionis Principis filius effugerat. Hoc tēpore per Dalmatiam Ameras in Seruiam venit, & Homobrydon recepit: & ego per mare Patras contendi, indeque per Boſtitzam in Aetoliam tranſiui. Ac 1. Septembris anni *6963*. Chriſti 1455. Aenum perueni, vt ad tempus illic laterem, donec Ameras per Sophiæ regiunculam Adrianopolim repeteret, quò & ego veniens, domeſticos meos captiuos pecunia redimerem. Adrianopolim vt venit, affui & ego, & à primario Hippocomo Ameræ, cui vocabulum Præetzeles, coniugem meam, & cum illa Chryſoberginam nutricem eius emi, & Februario menſe Patras cum iiſdem reuerti, multa eo itinere paſſus incommoda, magnoque ſumptu tolerato. Quo tempore autem Adrianopoli verſabar, menſe Octobri, Turachanes cum filiis & frequenti exercitu Deſpotis auxilium apportauit, & rebelles aliquando Albanitas, penitus illis ſubiugauit, ac Pſeudodeſpotam Manuelem poteſtate expulit. Eodem anno, & die ſecundo Ianuarij, natus eſt Thomę Deſpotę filius Manuel Palæologus. Menſe Septembri anni *6964*. Chriſti 1456. mortua eſt ex peſtilentiæ morbo Thamar bona filia mea, captiua in Saraio ſiue palatio Ameræ, annos nata quatuordecim, & menſes quinque: quam aliquando iuſſu venerandi Imperatoris domini mei Conſtantini, hæredi ac Toparchę Aeni, Ithomes, locorumque adiacentium deſponderam, ſicuti libro præcedente à me explicatum eſt. Et ego infœlix eius mortem diu ignoraui. Heu heu me parentem calamitoſum. Die 15. Octobris ad Venetorum magiſtratus legationem occœpi, Duce adhuc eodem Franciſco Fuſcaro: qui pecuniis, honore & literis cumulatum me dimiſerunt. Sexto Aprilis Patras reueni, ac ſolius Dei ope maris periculum in quod hoc itinere incurrebamus, euaſimus. Iunio menſe Ameras vrbem Athenas ſuam fecit. Iulio in Albaniam mouit, maioremque illius partem ſub ditionem compulit. Sed poſtea à Ianco, & Capiſtrano, aliiſque viris præcellentiſsimis, qui ſubſidio venerant, victus receſsit, & bonus ille Beglerbegus (Turachanes) in viuis numerari deſiit.

CAPVT XXII.

Mortes Principum. Amerissa quare ad Ameram confugerit, qui subdere sibi Seruiam conatur. Loca ab eo vastata & occupata. Corinthus ei traditur. Plura oppida à Thoma Ameræ deduntur. Demetrij filiam vxorem petit. Thomas ad bellum Demetrio faciendum sollicitatur. Quæ oppida illius inuaserit. Discordiæ fraternæ molitorum reprehensio.

ANNO 6965. Christi 1457. exercitus Hungarici dux & moderator Iancus vita excesſit, Capistranus quoque, præterea Seruiæ princeps Georgius Bulcus. Secundo Maij regina, vxor eius naturæ debitum persoluit: quo fermè die & hora se ad Ameram contulit filia ipsius Amerissa, cum primo fratre suo cæco, & auunculo Thoma Cantacuzeno sublatis secum omnibus facultatibus, siue rebus mobilibus: siquidem vitæ suæ propter auunculũ, & vxorem eius metuebant. Anno 6968. Christi 1458. mense Nouembri diem supremum vidit ipse quoque Lazarus, & Ameras Mahometem Beglerbegum suum misit, vt si fieri posset, Torobum, totamq́ue Seruiam occuparet, aliumq́ue pro ipsis vxori & liberis eius, Lazari, inquam, locum daret: quod non processit, sed tantummodo Peristerin proditione obtinuit. Quodam tempore autem & Tosmontorobum, & locum alium, reginæq; castra quædam dedit, quę Ameras in Bosna possidebat. Eodem anno 5. Maij Ameras in Peloponnesum veniens, Corinthum exercitu circundedit atque obsedit: loca vicina partim cepit, partim vastauit & incendit omnino: pręsertim Acobã, Aëtum, & Pentachiria, indeq; recedens, Mochlium incursauit, quod illi tunc Præfectus eius, bonus scilicet Demetrius Asanes, pacificè dedit. Iulio mense inde reuersus Ameras, Corinthum est aggressus, & à ducibus citra recusationem accepit, Matthæo Asane, inquam, fratre vxoris Demetrij Despotæ, & filio Pauli Asanis, qui fuit vetus & nouum malum, & Nicephoro Lucane, sexto die Augusti, quorum vnus Præfectum eius agebat, quem vtinam ne egisset. Asanes verò dedita opera, & festinatò ad eã diligentius tuendã missus fuerat, qui tamen sine mora eam tradidit. Nesciebant porrò se Corinthum tradere. Nam si rem æstimes, quod caput in corpore, hoc erat in Peloponneso Corinthus. Deinde & pacis conditiones dicto sacramento fecerunt, vt Thomas Despota Patra, & finitimis cederet: præterea Calabryta, & omnino his, quę beatę memoriæ Imper. Constantinus in Peloponneso habebat. Quæ vt audiuit Thomas, Manti-

Mantineæ viuens, cum tota domo locum iuxta Tripisbuna petiuit, vbi & frater eius erat, & nominati à me illi Præfecti, qui res tam laudabiles, si diuis placet, gesserant. Ac sine deliberatione, aut contradictione, sine dilatione vlla misit Thomas magnũ suum Primicerium Chazarum, omniaque dicta oppida Ameræ, vt olera horti donauit. Eodem propemodum die postquam Ameras Peloponneso excedere certa de caussa compulsus fuit, filium Turachanis Anaren, ad ea pro se occupanda reliquit, ipse inde abiit. Mense Octobri *6967*. Christi *1459*. Ameras Demetrij Despotæ filiam pro vxore per Legatum poposcit: quam ille ex Pauli Asanis, patris Matthæi filia, legitima coniuge susceperat. Si negaret, bellum inter eos fore. De hoc coniugio Legatus etiam ad Thomam, qui in Pontico erat, sacramentum amicitiæ detulit. Et de nominatis quidem oppidis dandis pactum, de quo diximus, secum auferens discessit. Ianuario autem mense etiam vir optimus Nicephorus Lucanes, vel potius Pelopõnesi pernicies, cùm de primis, & fidelibus Despotæ Demetrij proceribus haberetur, & alij quidam cum ipso Albanitarum, & Peloponnesiotarum, ignorantes, quæ molirentur sibi detrimento fore, Thomæ persuaserunt, vt bellum fratri indiceret, & aduersus Ameram rebellaret, iuramentaq; paulò ante cum ipsis suscepta, vt olera comederet. Hoc quidam vir egregius, scilicet, Matthæus Asanes, ad Ameram super consobrinę Ameręq; coniugio missus, nesciebat. Egressi igitur principio mẽsis Februarij eiusdem anni ex Arcadia Thomas, & qui pro ipso, imò contra ipsum faciebant, vt progrediens oratio docebit, receperunt à Turcis Calabrytam, solam ex vrbibus, quas se sperabant recepturos, quæq; à Turcis tenebantur. A Demetrio autem quibus ipsi operarij malorum præerant, Charitenam, S. Georgium, Bordoniam, Castritzam, & alia nonnulla oppida, vt rursum ea, non tanquam gubernatores, sicuti prius, sed vt domini retinerent. Nihil igitur aliud prudentes isti, & rebus gerendis idonei, ac generosi primores egerunt, quam quod omnium conditorem, & dominis terrestribus potentiorem contra se irritarunt. Ita inter fratres inimicitias seuerunt: non cogitantes miseri illud oraculi, *omne regnum in seipsum diuisum desolabitur:* nec illud prouerbij, ne Hercules quidem contra duos. Quin etiam contra tres insurrexerunt. Et his ita procedentibus, primùm quidem Deus neglexit eos, & quid facerent, nesciebant: sed erant velut pisces in sagena, seq; omnes in terram tractum iri, non videbant. Interim appetuntur, consumuntur, perduntur minores à maioribus, & hi quoque similiter.

CAPVT XXIII.

Quæ oppida fratrum alter alterius obsederit, quosque consiliorum socios habuerit. Albanitarum improbitas, & infidelitas. Inter eos, & Romanos prædationes mutuæ. Turcarum insolentia. Nicolai Melisseni iunioris deploranda conditio. Georgius Raulus vir illustris Demetrio se adiungit. Vota pro pace, & concordia fratrũ. Ameras Dei carnifex. Irruptio Turcarum, à quibus Thomas obsidetur. Ad Demetrium amicum Spartam abeunt. Fratres Despotæ pacem sacrificio durante sanciunt, quam Demetrius frangit. Mutua rursum bella.

DESPOTA quippe Thomas germani fratris sui vrbes & loca obsidere instituit, Zarnadam, puta, & alia prouinciæ Melisseni, Calamatam, & cætera ditionis Demetrij in sinu Messeniaco, habebatque adiutores Protostratorem, strenuissimum Francopulum Nicolaum, Ioannem Leonem Eudæmonem, vicarium, & congenerum fratris sui, & charissimum vxoris patruum, Cydoniden potius quàm Tzamplaconem appellatum. Despota autem Demetrius contra Leontarin, & vicina eius, & Acobam obsidebat: qui & ipse administros inuenit, Georgium Palæologum, & quendam huius patruelem, & generum eius Manuelem Buchalen, qui contra Thomam ipsius negotium & bellum curabant. Et hic quidem, Thomas, inquam, Zarnatam, & Leuctrum, & magnam partem regionis Manes, Calamatam insuper occupauit. Demetrio autem ad Leontarin inuadendam accedente, rescicens frater, properauit, & præoccupata vrbe intrauit. Ita Demetrij consilium effectu frustratum est, Georgio Paleologo, & Buchale solis fugientibus, & cum ipso Spartam reuertente abeuntibus. Albanitæ item, genus hominum nequissimum perditissimumq; inuenta occasione cogitationi suæ, & rapaci atq; iniustæ naturę accommodata, quid non fecerunt? aut quid non designarunt mali? Infidi enim, ter in sabbato (*in hebdomade*) ab vno domino ad alium transibant: & pro eo vt vicos, aut oppida nominarẽt, castras secundùm linguam suam barbarie mixtam nominabant, & ad capitaneatum seu ditionem illa petebant. Atque ita aliquando ad alterum Despotarum se adiungebant: aliquando alij eorum ad alium. Inter hos igitur omne genus miseriarum reperiebatur, inter Romanos, inquam, inter Albanitas, cogna-

cognatosque & domesticos ipsorum, quorum bona omnia sæpenumero diripiebantur auferebanturque penitus. Denique talia ac tanta committebantur, vt ea pro dignitate deplorare nemo satis queat. Quin etiam Turcæ ipsi, qui Corinthi, Amyclis, & Patris degebant, arrepta opportunitate, alios in seruitutem abstrahebant, alios occidebant, dominos ipsos & nobiles irridebant, quibus strictos enses intentabant. Hæc factitari nos in Arcadia intelligebamus, vbi ista consulta fecerant: & nobiscum bonæ radicis fructus Nicolaus Melissenus iunior, idemque orphanus manebat; quem ego infœlix generum tempore procedente habiturus eram, qui à Despotis duobus vicissim ipse quoque malè acerbeque tractabatur. Demetrius quippe ad Thomam illum mittebat, Thomas ad Demetriũ remittebat: nec desinebant eum inuicem missitare, cum interea nec vnde viueret ei relinquerẽt: sed ipsi sibi omnia, quæcunque in Peloponneso possidebat (quorum historia suprà meminit) vendicarent. Et in tantis offensionibus non mediocre in discrimen vita eius veniebat. Nos tumultus adeò magnos cernentes, eorumque euenta ponderantes, priusquam Thomas ex Arcadia egrederetur, causis prætextis egressi sumus etiam Pidasum, quæ hodie Methone nuncupatur. Immò etiam prudentia, rebus gerendis, & nobilitate generis eximius, Georgius Raulus, auunculus Nicolai Melisseni, de quo diximus, quique gener meus futurus erat, relicta satrapia, & omni ditione ac facultatibus suis, extremo Decembri eiusdem anni nobiscum Methonem venit: sedentesque vtrique in portu, fluctuum tantorum finem exspectabamus, si fortè Deus patientiam haberet, dum stulti aliquando saperent, & insipientes intelligerent, & ad concordiam pacemque redirent, ac Deum precarentur, vt ipsis misericordiam, vt misericor Deus, tribueret, mandaretque carnifici suo Ameræ, vti eos diutius spiritum ducere pateretur. Habet enim ipse quoque locum & ordinem suum apud Deum, veluti cæteri eius carnifices, cuius mandata & iussa facessunt, tametsi exosi sunt, & abominandi. Hisce malis tota Peloponneso miserè deformata, manus externa Turcarum, omnia incursauit: vt quas clades incolæ, domini, & nobiles non voluntate, sed resistentium virtute omiserant, ipsi darent. Et vnius quidem Despotæ hostes, alterius amici erant. Cuius hostes erant (Thomæ scilicet) eum prope Leontarin inuentum, vt hostem persequentes obsidione clauserunt, multosq; de eius militibus partim ceperunt, partim interfecerunt. Deinde prope Leontarium castra communiuerunt, & paulò pòst Spartam ad amicum ipsorum Demetrium cum

magno numero, suntq; gubernatores & naucleri optimi, non modò suarum nauium: sed insuper non pauci eorum classem regiam gubernant. Similiter in terra quà equitando, quà iaculando milites lectissimi, & pedites ad dimicandum paratissimi, probatissimiq;. Magistratus porrò intelligentes ac sapientes, & spectati, quosuis peregrinos hospitio excipientes, fouentesque. Ante omnia fidem & beneuolentiam erga Deum, & imperium Romanum iam inde à maioribus hucusq; integram, inuiolatamq; conseruant. Ob hæc & similia ornamenta virtutesq;, & in Imperatores studium atq; fidẽ, domini eius Imperatores diuersis temporibus variè Monembasiam honorarunt, & magnis prærogatiuis sanctam illam Ecclesiam extulerunt. Ac primum quidem cum oppidum hoc nobile, & in arduo situm, episcopatum haberet subiectum metropoli Corinthi, ob ciuium virtutes, de quibus explicauimus, vrbisq; amabilitatẽ, æternæ memoriæ Imperator Mauricius, cognomento Tiberius, Metropolis eam dignitate illustrauit, & tricesimum quartum ei thronum constituit, anno * indictione * aliasq; libertatis, & immunitatis prærogatiuas eidem donauit. Temporibus insequentibus Imperator Alexius Comnenus, cæteriq; donationes illas approbarunt & confirmarunt. Postmodum immortali dignus memoria senior Andronicus Palæologus, anno *6900*. Christi 1292. indictione * virtute & sapientia eiusdem Ecclesiæ (cui tum Dominus Nicolaus præsidebat) commotus, zeloq; diuino incitatus, propter ipsum Episcopum, & prompta ac parata erga se ciuium studia fidemque, à throno quarto & tricesimo, propria & imperatoria auctoritate, suffragante Synodo ad decimum vsq; eam euexit, & alia plura priuilegia eidem sanctæ Ecclesiæ largitus est. Hæc omnia vestigia aui secutus Imperator Augustus iunior Andronicus rata habuit, & Reipublicæ illi bullam auream dedit, in qua vetera beneficia renouat & approbat, & denuò ipse quoque ciuibus, & sanctæ eorum Ecclesiæ noua confert. Hæc omnia mihi ex secretario imperatorio nota sunt, frequenterq; legi. Ipsam verò bullam, postquam captiuus sum factus, acquisiui.

CAPVT

CAPVT XXV.

Ameras Demetrij filiam sibi desponsam mittit Constantinopolim. Bordoniensium primorum timiditas. CastritZensium deditio, & Ameræ perfidia. Leontarim à ciuibus desertam occupat, quos Gordica recepta, quò confugerãt, omnes cum vxoribus & liberis interficit. Buchaleorum in Beglerbegum animus ingratissimus. Georgij Palæologi fortuna aduersa. Crocontelus Toparcha se cum duobus filiis dedit. Thomas Despota, & eius vxor, & liberi, quo loco. Cuiusdam Palæologi misera mors. Ameras vrbes occupat: Peloponneso excedit. Iter Protouestiarij in monasterium, quo Despota cum aliis concesserat. Ameræ in Præfectum Calabrytæ, & vrbanos ciues crudelitas. Alia loca ab eodem subacta.

IGITVR cum Demetrius Despota Monembasiam à Monembasiotis sibi traditã adhuc teneret, Ameras reginam & filiam ipsius sibi desponsam, cum quibusdam de suis, & ipsius sponsæ comitibus Constãtinopolim mittit, Despotam apud se retinet. At postquam Ameras Bordoniam venit, generosi (si credere dignũ est) optimates illic timore perculsi eam deserunt. Castritzenses vbi aliquandiu restiterunt, pugnaruntq́;, tandem positis conditionibus ei se venerabundè dediderunt: nimirum, vt ipsorum consuetudines & legitima ne conuelleret: qui & hoc illis dedit, & alia beneficia plurima promisit. Cumq́; egrederẽtur vti pro honore, ob virtutem scilicet, præmia acciperent, quibusdam eorum capita præsecuit; quosdam palo per corpus adacto suffixit, Prænocoram excoriauit. Ita dignum beneficio & factis suis pręmium inuenerunt. Ameras Leontarim accedens, vbi à ciuibus fugitiuis desertam animaduertit, occupauit. Gordicam autem oppidum munitius securitatis caussa se se contulerant. Quod similiter Ameras aliquandiu obsessum, tandem subegit, ex pacto, & iureiurãdo, neminem se turbaturum, aut occisurum, aut captiuum abducturum pollicitus. Cæterùm spreto sacramento, & vltionis cupiditate atq; ira hortãtibus, in paruo quodam campo coactos & vinctos, cum vxoribus & liberis gladio trucidãdos obiecit. Idem supplicium, & Præsides eorum Buchalei pertulissent, nisi Mahometes Beglerbegus vitam ipsis impetrasset, quòd vxor Manuelis Buchalei eius soror patruelis esset. Qui malè gratias retulerunt. Nam cum illis custodiam attribuisset, qua quieti, & citra laborem viam in locum alium ducẽtem ambularent,

vbi in Ponticum venientes nauigandi copiam repererunt, dolosè duces suos â Beglerbego sibi adiunctos interemerunt, conscensaq; naui, Corcyram, & inde rursus Neapolim profugerunt. Et seruituti quidem quomodocunq; tandem se eripuerunt: socer verò Manuelis Buchalæ Georgius Palæologus ferro vinctus ducebatur. Nam hic Leontario fugiens, cum genero suo Spartã venit, vt in Demetrij obsequio esset: in obsidione autẽ Bordoniæ, & Tripes, accepto vulnere in potestatem venit. Hunc vinculis constrictum ad dominum quódam suum Thomam Despotam abducebant. Postquam sanatum est vulnus, quanquam custodia sepiretur, quoquo tandem modo deceptis custodibus Dyrrhachium effugit, iterumq; ad Demetrium Despotam se adiunxit, ác Nauplij diu mansit, quòd ibidem (in ditione scilicet Venetorum) vxor cum liberis viueret. Crocontelus, siue (vt aptius dicam) Crocodilus, Ameram Leontarim, & vicina loca, insuper S. Georgium subiugasse cernens, ipse quoq; ad illum defecit, eiq; cum castro duos filios dedidit: præmium autem retulit *Eloi*, siue *Eli*, & quæ sequuntur, hoc est, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*. Dicam porrò melius; cur non & ipsum prædictorum malorum primũ auctorem reliquisti? His ibi euenientibus, Thomas relicta Calamata, Cosmenam, & Petalidim traiecit, venitq; Abarinum, & inde Marachin, cum iam ante regina Arcadia excessisset, eoq; cum liberis, & Arcadiæ primoribus aduenisset. Ameras his oppidis subactis, prætere a Cerytena â Sguromalle Palæologo, & fratre vxoris magni Lucanis, qui obiit anima in secessu emissa (quod olim visceribus simul effusis passus est Arius) Andrusam, & Ithomen transmisit. Quibus cum finitimis omnibus occupatis, ad Coronen videndam abiit. Inde recedens etiam Methonen lustrauit. Inde Pylum, siue Abariuum mouit, quo die Thomas quoq; ante ædificatis nauibus Peloponneso egressus, & ad portum longum (vt ab Italis vocatur) appulsus est, vt idoneam nactus tempestatem, inde Corcyram nauigaret, vt nauigauit, & eò saluus 28. Iulij peruenit. Nos quoq; opportunitate inuenta, 11. Iulij conscendentes, eò transmisimus, quòd præter alias miserias etiam pestifera lues Methonen inuasisset. Secundo Augusti Corcyram tenuimus, volentes in Cretam nauigare, aut Berrhœam propè Thessalonicam, quod illic erat monasterium pulcherrimũ in honorem S. Nicolai ab auo meo materno â fundamẽtis exædificatum. Georgius autem Raulus, ipsiusq; gener, & filia ante eodem profecti, hortabantur, vt in eundem locum se conferret, etiam consobrinum suum (qui meus erat futurus gener) Nicolaum Melissenum, & ille idem mihi suadebat. Iam verò & Despota, & aliis ibi versantibus, & nos,

nos, vt ibidem maneremus, abiuimus, donec quid tempus ferret, videremus. Poſtquam autem Ameras Arcadiam ſub ditionem ſubiũxit, & inde inferiorem Peloponneſum petiuit, omniaq; illic occupauit, inſuper & operibus bene firmatam Chlomutzam, & Santamerin, quæ à quibuſdam cognomento Beglerbegis poſsidebantur, ipſi quoq; metu perculſi, omnia deſeruerunt, & Corcyram abierũt. Proceſsit autem Patram vſque, ibiq; manſit, & Calabrytam occupauit, cui oppido Præfectus nec Deſpotis, nec Ameræ fidem ſeruabat: ſed neq; Deo, vt opinor. Verùm Ameras condigna eum pœna multauit: pellem quippe detrahendam ei curauit, & omnes ciues eius partim capita amiſerunt, partim in ſeruitutem abducti ſunt. Oppidum bene communiuit, & vndequaque tutum reddidit. A Patra mouens Salmenicum, Leſtrenam, Boſtitzam tranſiit, & has quidem duas vrbes fecit ſuas: Salmenicũ Palæologus quidam, cognomento Graitzas aliquandiu ſeruauit.

CAPVT XXVI.

Ameras cum Thoma Deſpota pacem facere cupit. Nuntius ad Papam. Exſpectatio Deſpotæ. Legati ab Amera vincti, & ſoluti rurſum. Ameras ad ſe mitti vult Deſpotæ filium, cui benefaciat. Thomas Deſpota ad Pontif. Rom. nauigat: caput S. Andreæ offert, ab eo monaſterium ad habitandum, & redditus accipit. Deſperato auxilio comites, & apud Corcyram domeſtici eius flentes diſperguntur. Meliſſenus in Cretam fugiens, vxorem ducit. Thomas Venetiis Romam redit, filia Epidaurum proficiſcitur; vxor Corcyræ diem obit.

DESPOTA autem, vt narrauimus, cum tota familia Corcyram profecto, litteræ illi à Procuratore Angelocaſtri allatæ ſunt, quibus hæc continebantur. Ameram cupere aliquem de proceribus à Deſpota ad ſe mitti ad amicitiam, & concordiam inter eos inſtituendam, & locum quendam Deſpotæ cum conditione daturum, in quo vitam agitaret. Re cum ſuis deliberata, Deſpota Georgium Raulum ad Ameram, generum autem eiuſdem ad Papam mittendum iudicauit, qui & hæc, & Deſpotæ profectionem Corcyram eidem nuntiaret, vt videret, cognoſceretq;, quorſum Ameras tenderet. Profecti ſunt igitur, ille nono

Augusti, hic vndecimo. Peste verò etiam Corcyræ grassante, Despota, & nos circumiecta loca peragrabamus, Legatorum re confecta reditum exspectantes. Ioannes itaq; Rales Angelocastrum trãsiens, Ameram Berrhœam præuenit, statimq; eius iussu cum omnibus comitibus in vincula traditus, & compedibus alligatus est. Cùm ita vincti mansissent, post dies nonnullos iuxta colles Mauri montis exempti sunt; aiebatq; Ameras, exspectasse se, vt cum esset prope Peloponnesum, aut veniret ipse Despota: aut filium suum cum proceribus mitteret, cui benefaceret, quemq; stabili in sede locaret, vbi securè æuum duceret. Quoniam igitur nihil factũ est, inquit, rursum iubemus, fiat, si vult, & post abitum tuum veniat Despota, aut vnum filiorum suorum mittat, cui benefaciamus. Rale re infecta reuerso, mense Octobri, anni *6969*. Christi 1461. decimo sexto Nouembris Corcyreorum nauim ingressus Thomas, cum pluribus de nobilitate Anconam cursum direxit, vt inde ad Papam, & Ducem Mediolanensium, & aliò iret, relictis Corcyræ regina cum liberis, & nonnullis aulicis, famulis autem domesticisq; se prosequentibus. Vt Anconam venit, & inde Romam, nihil aliud effecit, quam quod Papæ Pio II. anno altero Pontificatus ipsius S. Andreæ Apostoli (qui primus à Christo vocatus est) caput dedit. Ipse contrà illi & comitibus monasterium incolendum attribuit, & quantum ad vitam sustentandam sufficeret. Vt igitur viderunt viri nobiles eum secuti, & qui Corcyræ manebant audierũt, omnem auxilij spem funditus periisse, alij huc, alij illuc calamitatem suam deflentes dilapsi sunt. Tunc etiam mihi charior filio, & futurus gener meus Nicolaus Melissenus, Magni Protostratoris filius, nauim mercatoriam Cretensem, Sopholei cuiusdam Venetiis venientem conscendens, Cydoniam Cretæ vrbem delatus est, mensis Aprilis vndecimo, anni *6970*. Christi 1462. flentibus & lamentantibus nobis inprimis, quod eo priuaremur: mirè enim erga me officiosus erat. Thomæ, vbi aliquandiu Romæ vixit, visum in ditionem Venetorum redire, & inde Anconam rursum tendere, quò filia eius, regina Seruiæ aduenerat. Cumque ad eam visendam aliquot ibi dies hæsisset, ipse Romam rediit, regina Epidaurum in Illyricum discessit. Mater autem eius, Thomæ coniux, Corcyræ vitam infœlicem exigens, Deo miserante eodem anno die Augusti secundo defuncta, & in monasterio SS. Apostolorum, Iasonis, inquam, & Sosipatri sepulta est.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Sinopium, Cerasus item & Trapezus; & Toparchiæ à Turcis occupantur. Demetrius Adrianopoli viuit, attributis ab Amera locis aliquot pro redditibus. Similiter fit regi Trapezuntis, quem ex caussa non vera facultatibus denuò spoliat. Lesbum occupat. Turachanis filius Naupactum in circuitu vastat, Venetis damnum dat, qui se vlciscuntur. Isthmum capiunt, & muniunt. Frustra Corinthum oppugnant. Monembasiam subiugant. Lemni oppidulum Palæocastrum traditur Venetis. Lauredanus Lesbum frustra conatur occupare. Thomas Despota liberos ad se Romam vocat, vbi, antequam eos videret, de vita exit.

PRINCEPS autem impiorum (Turcarum) eodem anno Sphentiarem inuadens, fama celebrem illius vrbem Sinopium occupauit, quam & ego vidi. Nec vrbem hanc solum, sed vicinum quoque locum omnem. Præterea Cerasuntem, & Trapezuntem manibus Dauidis Comneni regis, & circumiectam regionem vniuersam eripuit, & omnes propemodum dynastas, ac Principes ibi habitantes, miseros, nihilq; proficientes, suis toparchiis exuit: quibus discedens locum ad habitandum Adrianopoli descripsit, vbi etiam Demetrius Despota Peloponnesi dominus viuebat, cui de vita sustentanda prouidit, eique, & quos secum habebat magnam Aenum, Lemnum, Imbrum, Samothracen in eam rem addixit. Regi autem Trapezuntis Dauidi Comneno oppidis quibusdam attributis, ad Maurum montem domicilium assignauit. Quem post modici temporis interuallum, reperta aduersus illum caussa non vera facultatibus omnibus spoliauit, ac pugno interfecit. Vere eiusdem anni Ameràs in magnam Valachiam ad res ordinandas transiit, reuertensq; Lesbum classem misit, & insulam in potestatem redegit. Anno 6971. Christi 1463. mense Nouembri, filius Ameræ Turachanis incursione facta, omnia circum Naupactum Aetoliç (Galatam vocant) vastauit, & omnes illic mortales seruos fecit. Nec Venetos tantùm, sed & tributarios suos minoris Valachiæ. Quod vt cognouit Venetarum triremium Præfectus, auxilio accurrens, vrbem Ameræ è regione, Bostitzam nomine, adortus incendit, captiuosque inde Naupactum abductos, cum suis illos commutarunt. Cæterùm bellum in Ameram iam præmeditatum à senatu Venetorum, collàtum est in opus, & initium factum. Veniensq; gene-

ralis Præfectus classis, Aloysius Lauredanus, multo apparatu & præparatione & copiis, cepit Isthmum, illumq; communiuit: sed malè propter celeritatem ac festinationem: non enim in festinatione securitas, vt est in prouerbio. Deinde frustra Corintho tentata, relicto Isthmo discessit. Anno 6972. Christi 1464. Veneti Monembasiam subegerunt, nõ tam voluntate & gratia, quam vtilitate Præfecti eius; quomodo scilicet inertia, & infortunio Pręfecti, Lemni oppidulum, dictum Palæocastrum, surreptũ potius, à peregrinis qui intus erant, & Venetis traditum est: ex quo totam insulã adepti sunt. Quin etiam Lesbum idem Lauredanus armis aggressus, nullum fecit operæpretium, inanisq; discessit. Vere autem anni 6973. Christi 1465. Thomas Despota filios, & filiam ad se venire iussit. Qui postquam incolumes Anconam peruenerunt, audito tantùm de eorum aduentu, antequã eos aspiceret, 12. Maij ad dominum emigrauit, anno ætatis quinquagesimosexto, & paulò amplius. Liberis adhuc Anconæ subsistentibus, Bessario Cardinalis ad eorum Pædagogum epistolam exarauit, qua se excusat, cur hactenus non responderit. Narrat quantum pecuniæ Papa Thomæ & filiis in mẽsem decreuerit; & docet quomodo ea distribuenda & collocanda sit. Quemadmodum cum Romam venerint adolescentes, in omni pietate, ac ciuilitate morum instituendi sint præscribit. Alia demum ad eos pertinẽtia prudenter disserit.

CAPVT XXVIII.

Filij Thomæ Despotæ accitu Papæ Romam veniunt, paternis vectigalibus fruuntur. Andreas primogenitus ab eodẽ honoratur. Mors Dorothei Patris spiritualis. Itinera Protouestiarij inopia cogente. Romæ sanctorum sepulchra visit, & colit. Vastatur Epirus & capitur Scanderbegus. Veneti Imbrum insulam, & Athenas occupant, Patrensem agrum populantur, Turcas subsidio accurrentes cum strage repellunt. Temeritas Præfecti Veneti in hostibus persequendis. Eius & collegæ supplicium. Metropolita Patrarum suspectus Turcis, palo suffigitur. Iacobus Lauredanus fit nauarchus.

PAPA, vt Principes Anconam delatos audiuit, curauit, vt diligentia, studio, & ope reuerendissimi Cardinalis, & Patriarchę Constantinopolitani Bessarionis Romam venirent, quæq; pater ad vitam sustentandam habebat, iis reliquit, ac primogenitum filium, Andream Palęologum honoribus orna-

ornauit. Anno autẽ 6974. Christi 1466. Octob. die 15. etiam spiritualis Pater noster & frater, & amicus optimus Dorotheus, in domino ex hac luce discessit, & nos ex absentia sua tristes reliquit: & ego inopia conflictatus, 18. Aprilis Peloponneso excedens, Anconam Maij 17. rursumque Kal. Iunij Viterbium deueni: siquidem illic in thermis Cardinalem & Patriarcham Bessarionem esse audiebamus. Nouem post diebus Romam intrauimus, & in ædes dominorum nostrorum, Despotarum, inquam, Andreæ, & Manuelis Palæologorum diuertimus, mansique Romę diebus quinquaginta sex, & sepulchra sanctorum Petri & Pauli veneratus sum, multorumque aliorum sanctorum illic sepultorum cineres colui: lustratisque locis in vrbe illa magna, celebri, & antiqua, 16. Iulij egressus, recta via Anconam veni, vbi paulùm moratus, per mare Venetias contendi, eiusdemq; mensis die 18. eodem perueni. Ibi in monasterio S. Crucis dies sex & viginti, vsque ad Augusti vicesimum secundum hæsi: vnde serò, Deo iuuante, discedentes, salui huc Corcyram venimus, 5. die Septembris, anni 6975. Christi 1467. Quo tempore autem nos Romæ morabamur, impiorum Turcarum Princeps Ameras in Albanitiam irrumpens, Scanterinum ipsius dominum afflixit, cepit, omnia vastauit, & condito oppido prope principem ipsius vrbem Croam nominatam, ad eum inde lacessendum scilicet, Constantinopolim reuersus est. Vere eiusdem anni Victor Capellius, classis Venetæ Præfectus generalis, insulam Imbrum, rursumque Athenas nauigans, totam vrbem reipub. subiecit. Deinde mense Augusto Patrensem agrum populationibus miscuit. Amera ad ferendum auxilium accurrente, Præfectus classis Venetæ cum tota classe, & Michaël Raulus collega cum probatis multisq; militibus, potenter hostes in fugam verterunt, & complures eorum occiderunt, diuque persequentes, fugiendi spatium eis non dederunt, vt alioqui periti milites facere aduersariis consueuerunt, nec ipsi ad suam classem (quod Romani ipsius loci magistratus, & totus populus suadebat) reuersi sunt. Præfectus enim spreto consilio, & victoria elatus, potius contra consulentes verba minacia profundebat, eos ex ignauia, & diffidentia non vnà hostes insequi dictitans. Ita exercitus volens nolens vsq; Sabellium, & vltra, vsq; ad ardua Siderocastri hostes insecutus est. Ameras importunam insecutionem inanem, & confusam intuitus, relictis aliquot manipulis in insidiis locis aliquot, per quæ transituri erant, conuersus eos in fugam vertit, & persecutus, & consecutus, nominatum classis Præfectum mulo insidentem occidit, vt pronus decideret. Alij item perempti,

empti, multi capti. Ipsum quoque Michaëlem Raulum equo lapsum ceperunt, & palo infixerunt. Tandemq; vt victores, ad mare procurrentes, vbi stabant triremes, & plures earum in littus subductas inuenientes, vectores partim iugularunt, partim, & quidem multos, captiuos fecerunt: suspectumq; habentes eiusdem veteris Patræ Metropolitam, vt qui in caussa esset, cur classis Venetorum in illos incurrisset, comprehensum palo induerunt. Hoc casu grauissimo nauarchus contristatus, & graui morbo correptus, in Europa cûm esset, decessit: cuius locum subiit Iacobus Lauredanus, Petri illius Lauredani filius, Aloysij Lauredani, qui eum in hoc munere antecessit, patruelis. Et hæc quidem hyeme huius anni contigerunt. Patræ autem clades ante autumnum, mense Augusto contigit.

CAPVT XXIX.

Matthæi Asanis mors. Despota vacationem petit. Ameras parte pensionum, & famulorum ei relicta, reliquos Constantinopolim transfert. Suspicio Ameræ de Despota, & pœna inflicta. Obuiam sibi procedentem miseratur, in equo secum Adrianopolim ducit, redditus restituit. Pestilentia sæuit multis locis. Multæ myriades pereunt, in his Amerissa Despotæ filia. Protouestiarius victum annuum quærit. Albanitiæ partem regulo mortuo occupant Veneti, partem ex sorore nepos. Protouestiarius fit monachus, appellaturq; Gregorius. Similiter vxor iã monacha, dicitur Eupraxia. Fidem orthodoxam pro consuetudine recepta vterque profitetur. Symbolum Nicænum ad verbum è sacris literis haustum Protouestiarius demonstrat.

ANNI porrò eiusdem, Martij die 28. in quem & nostrum Pascha incidit, Matthæus Asanes, omnium Peloponnesi miseriarum auctor, animam efflauit. Et ecce carmen Dauidis impletum est, *dissipentur inimici eius, & fugiant à facie eius, qui oderunt eum.* Posthæc, vt à quibusdam didicimus, etiam Demetrius remisit Ameræ redditus, nolens amplius onus in exercitu sustinere. Aiebat enim, se ad istam muneris functionem propter senectutem amplius aptum non esse. De cætero multi isti redditus impenderentur vbi ipse iussisset: sibi hîc sedenti cum paucis, tantum daretur, quantum ad vitam tuendam sufficeret. Respondit Ameras, bene

bene habet: ſegreget Deſpota quos vult. Vbi ſegregauit, dedit ei ex vectigalibus frumenti aſprorum quinquaginta millia: plures miniſtrorum ac famulorum ipſius Conſtantinopolim tranſtulit. Alij rem aliter narrant: nempe malorum omnium architectum Matthæum Aſanem cum quibuſdam ad littus Aeni habitantibus quaſdam pecunias furatum, Deſpota ignorante. Quod vbi reſciuit Ameras, eundem Matthæum ſuffigere palo voluit: qui præ timore in loco vbi viuebat expirauerit. Ameram ſuſpicatum, Deſpotam quoque huius conſilij participem fugam facturũ, Didymotichum eum relegaſſe, eiq; omnes redditus abſtuliſſe, & ita malè multaſſe. Die quodam, veniente Amera à venatione, & tranſituro vbi Deſpota erat, pedibus obuiam proceſsit, eumque vt generum ſuum adorauit. Videns ambulantem Ameras doluit vehementer, & inſuper eius ſenectutem miſeratus, de regiis equis vnum ei præberi iuſsit: quo conſcenſo Adrianopolim cum Amera abiit, vbi in victum aſprorum quinquaginta millia è frumento capiunda ei decreuit. Hoc verius eſt. Verna tempeſtate eiuſdem anni tam grauis peſtilentia Conſtantinopolim, Adrianopolim, Calliopolim, finitimasque in circuitu vrbes, vicos, oppida, regiones vexauit, quã longis retro temporibus non extiterat: vt (quemadmodum fama eſt) multę hominum myriades, nedum chiliades è medio abierint, & in his Ameriſſa Deſpotę filia. Menſe Ianuario anni *6976.* Chriſti 1468. etiam Albanitiæ domino Scantari natura viuendi finem fecit, cuius loci & dominij partem Venetorum reſpub. partẽ ſororis eius filius Turca, qui erat apud Ameram, miſſus ab ipſo occupauit. A medio autem vere eiuſdem anni, & tota æſtate mihi à catarrho morbo meo malè fuit. Tandem mundanis veſtibus abiectis, primo die Auguſti ad monachiſmum me contuli, & pro Georgio Gregorius ſum nuncupatus. Ipſa autẽ Helena coniux mea in ordinem monacharum cooptata, dicta eſt Eupraxia. Edidimus autem prius fidei noſtræ in Deum confeſsionem, vti mos eſt orthodoxis, monaſticum induentibus habitum, & ita cœpi primum quidem ſanctum ſymbolum exponere, oſtendereque, vnde à ſanctis Patribus eſſet compoſitum: & vt cognoſceremus, non eos id à ſe ipſis habuiſſe, ſed ex diuinis oraculis tum verba, tum ſententiam mutuatos, id piè conſcripſiſſe. Propemodum igitur diuini ſymboli voces ſingulæ è ſacris ſcripturis ſunt depromptæ, vt particulatim docuimus.

CAPVT XXX.

Helena Palæologa Venetiis prædatores accusat. Terræmotus ingentes. Aenum Veneti capiunt, Bostitzam instaurant. Niuium copia in Peloponneso. Turcæ Lemnum occupant. Nauarchus Venetorum de Euboea deserta reprehenditur. Insulam Turcæ armis, vicinas præterea deditione voluntaria accipiunt. Beglerbego vrbes Peloponnesi se dedunt. Nicolaus Decanalis cum filio, & scriba vinctus mittitur Venetias. Mors Demetrij Despotæ & vxoris. Grauis morbus Protouestiarij. Bessario in reditu è Francia moritur, corpus Romæ sepelitur. Zuchasanes Ameram vincit, & ab eodem vincitur. Helenæ Palæologæ, & Hierothei Patris spiritualis obitus. Ameras Capham subiugat, in Valachia rem infeliciter gerit. Catarrhus & grauedo Protouestiarij: eius querimonia super miseriis suis, & humilis confessio peccatorum, & precatio ad Deum. Ameras contra Naupactum, & S. Mauram nihil proficit. Operis totius conclusio.

ATQVE ita auctumno anni 6977. Christi 1469. regina, Domina Helena Palæologa, Thomæ Despotæ filia, Despotæ Seruiæ vxor, ad Venetorum rempublicam abit, accusatum eos, à quibus Corcyræ facultatibus suis exuta fuerat. Vere eiusdem anni terræmotus multi & graues in S. Maura, Cephalenia, & Zacyntho extiterunt, multaque ædificia per vrbes, vicos, quin & oppida quædam cum mœnibus corruerunt. Cephaleniæ porrò oppidulum quoddam omnino procubuit, nec pauci ruinis elisi sunt. Aestate eiusdem anni Venetorum nauarchus Nicolaus Decanalis cum triremibus Aruum inuasit, ac die septimo cepit. Inde in Peloponnesum nauigans, Bostitzam reparat, æstate eiusdem anni videlicet. Hyeme autem anni 6978. Christi 1470. Ianuarij die quinto & vicesimo, tota insula tam alta nix cecidit, vt similem Corcyræi non meminissent: adeò, vt manibus vulpes, & lepores caperent. Idem versus Occidentem fiebat, multoq; magis versus Asiam, siue Orientem. Ad finem autem veris, exeunte Iunio, eodem anno, impiorum Turcarum Princeps contra Eubœam classem instruxit. Quæ antequam exercitus per terram Calliopoli veniret, Lemnum

cucurrit, & Cotzyæum, & omnia loca circumcirca per inſulam ſubegit, excepto Palæocaſtro (ſiue veteri oppido) & Scala, & ita reuerſa eſt. Ex Nicomedia autem, & aliunde vrbanis copiis ſuperuenientibus, vnà exeuntes, ad Euripum venerunt. Quibus viſis Exarchus, ſiue Nauarchus Venetorum receſsit. Ac forſitan bene fecit: immò malè, quando Eubœam vrbem ſiue oppidum confirmare ac munire præſidio noluit. Tranſiens autem Ameræ exercitus, Imbrum ex itinere cepit. Inde ad Eubœam appulſus eſt: quo menſe affuit etiam Ameras. Pugnatum eſt vehementer terra marique, & duodecimo Iulij oppidulum armis in poteſtatem redactum. Quo facto omnes in circuitu paruæ inſulæ & oppida vltro ſe dediderunt. Ameras aliquandiu ibidem moratus, ineunte Auguſto Conſtantinopolim venit, miſitque Beglerbegum ſuum in Peloponneſum. Qui Boſtitzam incolebant, alij metu territi aufugerunt: alij eum ſummiſsè venerantes, vrbem tradiderunt. Progredienti idem fecerunt Bumeri, Olænæ, & Chelidonis, & Pontici incolæ. Loca porrò omnia maritima vſque ad fundamenta euertit: cætera retinuit. Progreſſus vſque ad Principatum, inde reuerſus Peloponneſo exiuit. Pro Nicolao autem Decanale Veneti alium claſsis Præfectum, Nicolaum, familia Mocenicum miſerunt, qui eundem Nicolaum cum filio & Notario comprehendit, & ferreis vinculis oneratos Venetias ad ſenatum miſit. Principio autem autumni anni *6979*. Chriſti 1471. Demetrius Adrianopoli obiit monachus, & Dauid appellatus, cum paulò ante filia eius Ameriſſa à mortalibus demigraſſet. Vxor autem eius regina non multo poſt maritum deceſsit. Die viceſimo ſexto menſis Iulij, anni *6980*. Chriſti 1472. in tam grauem morbum, quod non putâram, incidi, vt perfectè monachus μεγάλου σχήματος factus ſim. Circa autumnum verò anni *6981*. Chriſti 1473. reuerſus eſt ex Francia à rege, & Duce Burgundiæ Beſſario Cardinalis, ad eos pacificandos ab Eccleſia miſſus, & in itinere decimo quinto Nouembris vitam reliquit. Corpus eius Romam honorificentiſsimè delatum, & in æde ſanctorum Apoſtolorum, prope quam habitabat, iuxta monumentum martyris Eugeniæ ſepulturæ mandatum eſt. Circa ver eiuſdem anni expeditionem molitus eſt Zuchaſanes contra Ameram Mahometem, & aliquot eius loca in Oriente, ſiue in Aſia incurſauit. Contra quem Conſtantinopoli ſummis viribus egreſſus eſt Ameras. Conflictu ſtatim inito, Ameræ exercitus Zuchaſani ſuccubuit. Ibi cæſus eſt Beglerbegus Palæologus, filius quondam Thomæ Pa-

læologi Gidi illius, Beglerbegus occidentis, multique alij Principes ac duces occidentis. Postea cùm superuenisset Ameras, victus est Zuchasanes, & ille in vrbem suam, Ameras Constantinopolim rediit. Exeunte Iulio eiusdem anni Veneti castrum Strobolen iuxta Corcyram occuparunt. Nouembris die septimo, anni 6982. Christi 1474. mortua est apud S. Mauram regina Helena Palæologina, monacha facta, mutatoque nomine dicta Hypomene per magnum habitum, quique nobiscum erat hieromonachus, & spiritualis Pater dominus Hierotheus. Aestate autem anni 6983. Christi 1475. impiorum Princeps ad superiora ponti Euxini classem misit, & Cherronesi Tauricæ magnam vrbem Capham occupauit. Aestate anni sequentis Valachiam quantis potuit copiis adortus est. Mense Septembri anni 6985. Christi 1477. è Valachia victus magis quam victor rediit. Et Beglerbegum quidem in vrbe Sophia reliquit, ipse Adrianopolim petiuit. Eiusdem anni primo Octobris caput mihi, & genua rheuma inuasit, tantumque pituitæ ex ore, naribus, auribus profluxit, vt salus mea in desperatis poneretur ab omnibus. Ter immaculata mysteria sumpsi. Atque vtinam mors me abstulisset, medicina & requies malorum meorum omnium: senectutis, inquam, morborum, & egestatis. Nec enim multis bonis tantummodo, quibus frui inde ab ætate florida assueueram, priuatus eram: sed etiam quotidianum, & necessarium victum non reperiebam. Veruntamen patientiam tantorum incommodorum, & gratiarum actionem qua vtor erga Deum, ipso bene propitio veniam multis aduersus ipsum peccatis meis impetratura confido. Nec enim ab aliquo mortalium commissum est peccatum, nec quidquam vllo modo factum scelerate, quod ego indignus, & miser non fecerim, qui cogitatione, verbo, voluntate, proposito, iudicio, actione peccaui, quantum nemo vnquam alius. Verum enim vero liberatus à morte, ex huiuscemodi morbo diu mansi surdus, vt nec prope me verba prolata audirem. Atque vt ad supremam prouidentiam reuertar, vbi præteriissent relicti mihi dies huiusmodi vitæ, & aduenisset mors ac quies virorum, vt diuinus Iob appellauit, sic Deum orabam. Si, ô Saluator, necesse est me pati (quis enim nouit profunditatem iudiciorum tuorum, benignitatis tuæ, mala mea quidem execrantis, iustitia autem faciente, quod suum est) sortem meam in terra excipientem, tempus tamen pœnitentiæ da mihi hîc, non in futurum, vbi nullus finis, vbi nulla rerum reparatio. Hîc igitur cum purgaueris me, vsus omnibus

omnibus huc pertinentibus, ſic me hinc transferre dignare, vt non excidam à tuis miſerationibus, in ſecundo, & horribili aduentu tuo. Aeſtate anni eiuſdem Ameras miſit ingentem exercitum vt Naupactum caperet: deinde S. Mauram inuaderet. Verùm Deo nos adiuuante, neque Naupactum illo anno ſubegit, nec S. Mauram inuaſit: ſed deſiderio ſuo fruſtratus receſsit.

Finis libri præſentis hiſtorici, ſiue Chronici, quem ego conſcripſi, nobilibus quibuſdā Corcyræis rogantibus: ne quæ oculis vidiſſem, audiſſem, legiſſem, ſilentio premenda exiſtimarē. Ita manu mea hæc conſcripſi, & in religioſiſsimi ſacerdotis Antonij manus tradidi. Lectores per Deum obſecro, pro me precentur. Si quid deeſt, ſenectus mea, & corporis inualetudo non ſiuerunt, vt par erat, emendare. Colophon huic ſcriptioni impoſitus eſt, anno ab orbe condito 6985. Chriſti 1477. Martij viceſimo nono, indictione vndecima.

FINIS.

IN PROTOVESTIARII CHRONICA NOTÆ.

In proœmium.

COMPLVRES ante nos historici docuerunt] *In ipso limine videlicet historiarum suarum. Vt Diodorus Siculus, vt Nicetas, vt Gregoras, vt vtroq; horum sæculis aliquot vetustior Theophylactus Simocatta, quem nunc fœlicibus, precor, auspiciis in lucem efferimus. Alij demum, quos tu, credo, meministi, & hîc recensere nihil admodum refert. Istiusmodi autem historiæ commendationes ad parandam lectorum beneuolentiam attentionemq; pertinent. Etsi hæc historicus etiam de se & proposito argumento commemorando consequi potest, vt Sallustius & Liuius fecerunt: alios enim tacebo.*

Suscep. vero res nouas ac recent. à nemine adhuc] *Istuc magis de duobus posterioribus, quam de libro primo accipiendum. In iis enim multa legas licet, quæ apud alios aut non leges, aut non tam dispositè, ac plenè leges. Laonicus Protouestiario aliquanto posterior (si modò anno Domini 1490. claruit) cum de rebus Turcarum scriberet, nō potuit non complura attingere. Sanè quædam ab eodem etiā vberius declarata non inficiabor. Verùm vt ex illo Chronographus noster crescere interdum & illustrari, sic ex nostro ille vicissim corrigi, atq; etiam aliquot locis augeri potest.*

Quidam enim inde vsque ab orbe cond.] *Faciunt hoc Georgius Syncellus, Zonaras, Cedrenus, Glycas, Constantinus Manasses, Iulius Pollux nondum euulgatus, & alij, à me nondum visi, partim historici, partim Chronographi. Verè ab ouo ordiuntur, vt est prouerbium. Latinos idem facientes mitto. Veruntamen vtriq; respondebunt, se œcumenicam, seu generalem quandam communemq; historiam.*

riam, scribere voluisse, quamuis postea ad vnum imperium magis magis descenderint.

Eorum plerique opinion. dissens.] *Cedrenus præfat. & dissensisse, & (quod mox apud nostrum sequitur) alios ad gratiam, alios ad odium & inuidiam scripsisse affirmat. Nam Theodorus, inquit, Daphnopates, Nicetas Paphlago, ac reliqui Byzantini, tum Nicephorus Diaconus Phryx, Leo è Caria, Theodorus Sida oriundus, alterq́ Theodorus Augustanus, Demetrius item Cyzicenus, ac Ioannes Monachus (Zonaras, sic enim sæpe appellatur) horum quiuis peculiari sibi proposito argumento (verbi gratia, laudatione alius regis, alius Patriarchæ vituperatione, alius amici prædicatione) procul à nominatorum (supra) virorum sententia aberrarunt, ipsiq́ inter se dissenserunt. Hæc Cedrenus ad verbum ex proœmio Ioannis Curopalatæ transcripsit, vt nescias ex vtro Protouestiarius sumpserit, quod dicit.*

Nec quenquam vel ad grat. vel ad inuid.] *Bene Sallustius principio belli Catilinar. Statui res gestas populi R. strictim, vt quæque memoria digna videbuntur, perscribere: eò magis, quod mihi à spe, metu, partibus reipub. animus liber erat. Anna Cæsarissa Alexij Comneni filia, proœmio Alexiados, quam de rebus à patre suo gestis 20. libris composuit, sic ait:* Nam qui historiam, vt debet, scribendam suscipit, is gratia & odio vacet oportet: frequenterq́; inimicos, cum id actiones ipsæ postulauerint, summis præconiis cohonestet: contrà, necessitudine coniunctissimos, ipsorum erratis admonentibus, sæpe redarguat. Quocirca citra dubitationem & amici vituperandi, & hostes commendandi sunt. *Subit memoriam Sannazarij epigramma lepidum in Pogium Florentinum, historicum.*

Dum patriam laudat, temnit dum Pogius hostem,
Nec malus est ciuis, nec bonus historicus.

Obliuione quam longinq. temp.] *Aduersum edacitatem temporis, seu dentes æui, (vt nominat Ouidius) quibus omnia conficiuntur consumunturq́, certissimum ac validissimum remedium est historia. Hoc idem (vt alios testes omittam) pulcherrima similitudine eadem, quam paulò antè nominaui Cæsarissa, mulier omni liberali eruditione politissima, & eloquentissima his verbis, vnde scriptionem*

suam

suam inchoauit, testatur. Tempus irrequieto cursu, & perenni motione sua trahit secum, atq; ad ortum ciet omnia: & nunc quidem res haud dignas monumẽtis lapideis, nunc magnas, & ad posteritatis memoriam egregias è medio aufert, ac velut profundo quodam summergit, non apparentia producens, & quæ apparebant abscondens, vt habet tragœdia. Aduersum cuius continenter fluentis impetum tutamen ac munimen firmissimum est historia, violentum eius cursum cohibens, ac sistens quodammodò, & quæcunque per id transacta excepit, colligens, constringensque, nec in barathrum obliuionis defluere permittens.

Et citharam dulci strepitu] *Vt concentus fidium aures, ita profectò historiæ lectio permulcet ac delectat animos. Eadem metaphora Simocatta in dialogo Philosophiæ & Historiæ, iucunditatem illius expreßit. In nulla scientia cognitioneq; maior voluptas reperitur, quam etiam morbos à corporibus depulisse legimus. Cic. ad Lucceium lib. 5. Nihil est enim aptius ad delectationem, quàm temporum varietates, fortunæq; vicißitudines, quæ etsi optabiles nobis in experiundo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucunda. Cæteris verò nulla perfunctis propria molestia, casus alienos sine vllo dolore intuentibus, etiam ipsa miseria est iucunda, & quæ sequuntur. Homerica fictio de Sirenum cantibus, vtilem & suauem hominibus historiam esse demonstrat. Præteruehentes enim non dulcedine vocum, aut nouitate cantus, sed multarum rerum ac narrationum professione, promißioneq; ad se pellexisse videntur, sic, vt capti amore præterita discendi, ad ipsarum saxa adhærescere haud recusarent. Inuitant autem Vlyssem hisce versibus, vt eos Cicero conuertit, lib. 5. de finibus.*

O decus Argolicum, quin puppim flectis Vlysse,
Auribus vt nostros poßis cognoscere cantus?
Nam nemo hæc vnquam est transuectus cærula cursu,
Quin prius adstiterit, vocum dulcedine captus:
Post variis auido satiatus pectore Musis,
Doctior ad patrias lapsus peruenerit oras.
Nos graue certamen belli, cladem q; canemus,

Græcia

Græcia quam Troia diuino numine vexit,
Omniaq́; è latis rerum vestigia terris.

Innumerab. annorum spatia penetrantem] *Historia sola per orbem dissipata, custodem sui habet æternitatem. Nam cum reliqua omnia vel vi extinguantur, vel vetustate consumantur, intereant imperia, respub. vrbes, historia nisi genus humanum totum pereat, nunquam interit, vt prudenter quidam vir doctissimus scriptum reliquit.*

Et Greg. cognominatus, vbi me ad monach. aggregaui.] *Viris ac mulieribus in monachismo profitendo sollemne fuit mutare nomen, etiam Imperatoribus & Imperatricibus, quorum quarumque multi & multæ diu ante obitum, multi ac multæ sub horam mortis habitum sanctum in pœnitentiæ signum induerunt. Cuius rei apud Protouestiarium quoque exempla non desunt. Morem inde fluxisse crediderim, quod se tunc quasi iterum baptizari, & nouum hominem induere arbitrarentur: & ita etiam quod ad nomen attineret, nihil sibi amplius cum veteri homine negotij esse demonstrare vellent.*

IN LIBRVM PRIMVM.

AD CAPVT I.

AB Italis tot tantisque cladib. affectum.] *Nomine Italorum in recentiorum Græcorum historiis Latinos, & Latinorum nomine occidentales, & Pontificis Romani auctoritati subditos, siue populos ad ciuile ecclesiasticumúe Romæ veteris imperium pertinentes; intellige, quos sæpe item communiter Francos nominant: suos enim Romanos vocare solos gaudent, & in eo sibi plaudunt. De calamitatibus & cladibus istis, vide Nicetam lib. 3. de imperio Alexij Comneni: præterea eiusdem Alexium Ducam Murzuflum, vbi de capta à Gallis, Flandris, Venetis Constantinopoli agitur, & quomodo cædibus, rapinis, incendiis in vrbe grassati sint, ostenditur.*

Purpurea induere sandalia iussit] *Calcei purpurei signum imperij sunt aut præsentis, aut futuri, ac destinati: & illos gestans, aut imperat, aut imperabit. In historiis Byzantinis frequens eorũ mentio.*

Theod. Lascar. qui iunior. Alexij natam] *Nicetas lib. 3. de Alexio Angelo Comneno de geminis hisce nuptiis in hunc modum scribit. Imperator verò cùm filias suas ob adolescentiam & formam secundas nuptias desiderare videret, delectu ex omnibus gentibus Christianis habito, eos Principes præferebat cæteris, quos metuebat. Tandem eo consilio omisso, Romanis eas despondit, Irenen Alexio Palæologo, cum prius formosam vxorem repudiasset, Annã Theodoro Lascari, adolescenti animoso, & bellicosissimo. Ex quibus verbis patet, vtramq; antea in matrimonio fuisse.*

Quod nomen cæteri quoq; Palæol. deinceps.] *Hæc à me interiecta, & parenthesis nota inclusa sunt, perspicuitatis gratia, & ad tollendam dubitationem, cum se Palæologos etiam Comnenos cernes nominare. Exemplo sint subscriptiones duæ, altera Michaëlis, de quo sermo est, quam alicubi inueni: altera pronepotis eius Andronici iunioris.*

ΜΙΧΑΗΛ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ ΤΩ ΘΕΩ ΠΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΡΩΜΑΙΩΝ, ΔΟΥΚΑΣ, ΑΓΓΕΛΟΣ ΚΟΜΝΗΝΟΣ, Ο ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟΣ.

MICHAEL IN CHRISTO DEO FIDELIS IMP. ET ROMANORVM AVGVSTVS, DVCAS, ANGELVS COMNENVS, PALAEOLOGVS.

ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ ΤΩ ΘΕΩ ΠΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, ΚΑΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΡΩΜΑΙΩΝ, ΔΟΥΚΑΣ, ΑΓΓΕΛΟΣ ΚΟΜΝΗΝΟΣ, Ο ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟΣ.

ANDRONICVS IN CHRISTO DEO FIDELIS IMPERATOR, ET ROMANORVM AVGVSTVS, DVCAS, ANGELVS COMNENVS, PALAEOLOGVS.

Sic subscripsit diplomati, quo Monembasiotis immunitates & prærogatiuas complures donauit, cuius mentio est lib. 3. cap. 24.

Dupliciter Palæologi] *Etenim Irene Alexij Angeli Comneni Imp. filia nupta cum Alexio Palæologo filiam genuit, quam postea Andronico Palæologo coniunxit. Illa ex eodem Andronico Michaëlis mater, & reliquorum deinceps Palæologorum auia, proauia, abauia fuit, cum à patre similiter Palæologo esset. Verũ igitur, ab vtroq; genere, paterno maternoq; fuisse Palæologos, & ita dupliciter Palæologos.*

Theo-

Theodorus Lascaris iunior præsidebat.] *Alexius Angelus Comnenus filiam minorem Theodoro Lascari in matrimonium cum imperio dedit. Lascaris virili sobole carens, Ioanni Batatzæ (qui aliâs Ducas) viro nobilissimo Irenen ex se natam copulat, & generum Imperatorem renuntiat: fuitq; is alter Nicænus post socerum Imp. nam imperij sedes Latinis Constantinopoli dominantibus Niceæ fuit. Ioannes Theodorum Ducam generat, qui hîc Lascaris ab auo materno nuncupatur. Theodorus Ioannem Ducam, in quo (inquit Cantacuzenus præfat. historiæ suæ) intercisa propagatione imperatoria, ad Michaëlem Palæologum ex asse respub. demigrauit. Quia nimirum tutelam eius nimis mala fide, & improbissimè gessit, & impuberem visu priuauit, imperandi libidine impulsus scilicet, quod ex hac etiam historia, cap. 5. liquebit.*

Ferrum candens manibus prunasq; in sinum.] *Mirabile quiddam in hoc ipso genere de muliere adultera, sed pœnitente, & Episcopo Didymotichensi commemorat Cantacuzenus lib. 3. cap. 27. lege ibidem Annotat. doctissimam Iacobi Gretseri, cuius extremũ placet adiungere ad verbum, vt qui secus sapiunt, se desipere intelligant.* De purgatione per ferrum candens, dicere supersedeo post Delrium, Tom. 2. Mag. Disquisit. lib. 4. cap. 4. quæst. 4. sect. 3. ne videar scribere velle Iliadem post Homerum. Satis est nosse, grauiter, tanquam superstitiosam, à sacris Canonibus damnatam & interdictam esse. Vide cap. Consuluisti, cap. Mennam 2. q. 5. & cap. Dilecti, ext. de purgatione vulgari: & cap. Sententiam, ext. ne clerici vel monachi sæcularibus se negotiis immisceant. S. Thomam 2. 2. q. 95. a. 8. ad 3. & Antonium Augustinum in Notis ad cap. 1. Pœnitentialis Romani.

Romanis nec in lege, nec in more] *Liberos homines Romanorum moribus in quæstionem dare, seu torquere fas non erat: multò minus nobiles. Serui tantùm veri inueniendi caussa torquebantur. Immò & liberi, in suspicione coniurationis, & incestus. Apud Athenienses autem, & Rhodios cum serui, tum liberi. Testimonia quædã quæstiones esse, Aristoteles affirmat, quæ idcirco videntur fidem facere, quia necessitas quædam eis inest. Nam quæ sunt extorta vel minis, vel pollicitationibus, vel cruciamentis, videtur veritas ipsa dicere.*

AD CAPVT II.

Oblata occasione Michaël talis repertus est] *Haud cogno-
ui,qui tam callidè tegeret* animum sub vulpe latentē, *vt Michaël
texit,quādiu occasio bona defuit. Ea porrò occasio disertè infrà expli-
catur. Nec eius periuria, & scelus vel minuit, vel aliquam partem re-
ticet Protouestiarius; tum vt historici officio fungatur: tum quia quē
timeat, Palæologorum familia vnà cum imperio propemodum dele-
ta, habet neminem. A duobus Thomæ filiis Andrea, & Manuele exu-
libus, & aliena liberalitate victitantibus, nullum erat ei periculum.
A reliquis paucis, & ciuibus, & in seruitutem redactis, multò minus.*

Ad Sultanum Iconij aufugit.] *Regnum Iconiense quibusdam
Turquia dicitur, Aithono minor Asia. Prætor Græciæ subditos Iconi-
ensi Sultano duplices facit, partim Musulmanos appellatos, partim
Turcomanos. Turcomanos ait esse gentem, quæ Persarum (sic Turcas
Iconienses vocat, velut è Perside oriundos) extremos fines insidebat,
& implacabili odio Romanos, id est, Græcos persequens, agendis præ-
dis ex horum agris delectabatur. Ita Leunclauius in Pand. ad An-
nales Sultanorum Turcicorum. Idem. Prætor Græciæ meus, nondum
editus, qui Constantinopolis à Flandris captæ, rursumq; à Michaële
Palæologo recuperatæ LX. annorum plus minus historiam descripsit,
Sultanos Musulmanorum Iconienses, Aladinis posteros, & Azati-
nem, & Zathatinem duos Persarchas appellat, quod è Persia profectis
in ea minoris Asiæ loca populis cum imperio præessent. Idem ab aliis e-
tiam Græcis historicis factum obseruare licet.*

AD CAPVT III.

Cum paulò ante mort. monachi habitum induisset] *Deus
bone, quàm ego multos orietis Imperatores nominare possem, qui hoc
fecerunt? Quantoperè autem Andronicus iunior hunc diuinum an-
gelicumq; habitum* (θεῖον καὶ ἀγγελικὸν σχῆμα, *vt sæpissimè ab histo-
ricis Græcorum posterioribus nominatur) diem suum iam obiturus
flagitarit, & quibus gaudiis eum consecutus exultarit, vt vix mente
constaret, lege, si placet, Cantacuzenum nostrum lib. 2. cap. 14. & 16.*

Pauca

Pauca huc adſcribam. Siue enim viuorum numero exemptus fuero, proderit mihi coram incorrupto iudice in terribili illo iudicio cum pœnitentium habitu apparere: ſiue conualuero, multò melius erit, conceſſum viuendi ſpatium in peccatis meis per pœnitentiam expiandis conſumere. *Hæc ille. Sic ergo eſt habitus angelicus, vt ſit nihilominus pœnitentiæ habitus. Monachorum ſeu Religioſorum vitæ ſtatus, multis de cauſsis beatarum mentium illarum vitæ ſimilis exiſtimatur. Idem tamen propter varias aſperitates, & (vt ipſi loquuntur) mortificationes, etiam non animo ſolo, ſed re item & opere pœnitentiam agentium vitæ ſimilis aſſeritur.*

Nauim cum vect. in tot, tantisque fluctib.] *Rempub. ciuilem conferri ſolere cum naui, & ciues cum vectoribus, turbas, ſeditiones, pericula, tempora denique dubia, ac formidoloſa cum fluctibus, eccleſiaſticam ſimiliter (quæ Petri nauis dicitur) annotat. in cap. 1. lib. 1. Simocattæ docuimus, quæ omnia huc transferas licet.*

Eam in nobil. & milit. greges profundeb.] *Imitatur liberalitatem largitio, quemadmodum cætera quædam vitia virtutum quaſi perſonam ſibi apponunt: & ſæpe qui Curios ſimulant, bacchanalia interim viuunt. Verùm iſtiuſmodi largitiones aliud nihil, quàm corruptelæ ſunt. Nec mirum, inueniri, qui largitoribus, & bonorum ſtudiorum corruptoribus huiuſcemodi faueant, quando, vt dicitur, pecuniæ obediant omnia.* Quiſquis habet nummos, ſecura nauiget aura. *Militum autem plerique non facilè ferreos, aſt argenteos ictus, vt Daniſta in Moſtellaria, facillimè patiuntur.*

AD CAPVT IV.

In clypeum ſublat. Imp. declarant] *Mos antiquus creandi, & ſalutandi ab exercitu Imperatoris, de quo nonnulla diſſerui annot. ad cap. 41. lib. 1. hiſtoriæ Cantacuzeni. Ibidem de acclamationibus militaribus in creatione Auguſtorum.*

Cum duobus eius generis * ac Peloponneſi, &c.] *Vbi aſteriſcum repoſui, ſcriptum eſt in græco,* τὸν τῆς σικελίας ῥῆγα μαφρέ. Siciliæ regem Manfredum. *Sequitur continenter.* καὶ τὸν τῆς πελοποννήσου, καὶ ἀχαΐας πρίγγιπα. Et Peloponneſi atque Achaiæ Princi-

 pem.

pem. *Manfredus Friderici II. Imper. expellice filius, & Siciliæ rex, quomodo potuerit esse gener Despotæ Epiri, & à Michaële Palæologo capi, quem Carolus Galliæ rex in prælio interfecit, vt narrat Thomas Fazellus rerum Sicularum Decade II. lib. 8. equidem non video. Omnino fugit ratio Protouestiarium, & alium nominare voluit, aut debuit, vt opinor. Peloponnesum autem Græci hodie Moream, ab arbore moro, tota regione frequentißima nominant: sicut Epirum Arbaniam siue Albaniam: tametsi apud hunc nostrum etiam Peloponnesi prouincia quædam Albania siue Albanitia crebrò nominatur.*

Monembasiam] *Vocatur item Monobasia veteribus, & Epidaurus. Sunt autem in Peloponneso Epidauri duæ, tertia in Dalmatia, quæ nunc Rhagusia. Nomen obtinuit Monembasia ab vnico tantum ingressu quem habet. Vrbs situ & natura loci munitißima, quam prædicabit lib. 3. cap. 24. copiosius Hodie Maluasia nomen habet.*

Spartam Laconię caput] *Sparta propter leges & instituta præclara apud summos scriptores summè laudata cernitur, meritoq́ non Laconiæ tantùm, vnius regiunculæ, sed vniuersæ Peloponnesi caput, & μητρόπολις dici potuit. In 1. græcor. epigrammatum κυδιάνειρα πόλις vocatur, hoc est,* illustrium, aut generosorum virorum patria. *Cic. 1. Tuscul. cum Lacedæmonius quidam (nam & Lacedæmon dicitur) mortem tantoperè contempserit, vt cum ad eam duceretur damnatus ab Ephoris, & esset vultu hilari atque læto, dixissetq́ ei quidam inimicus, contemnísne leges Lycurgi? responderit, ego verò illi maximam gratiam habeo, qui me ea pœna multauerit, quam sine mutuatione & versura possem dissoluere. O virum Sparta dignum, &c. Verùm Spartam huius temporis talem haud fuisse, nimis certum est, quando nec vetus illa talis fuit; fortis, & generosa scilicet, nisi quandiu Lycurgi leges viguerunt, vt eodem in loco testatur Cicero. Laconia porrò Turcis hodie Tzaconia est.*

Quinquaginta ingressi vigil. occid.] *Vide occasionem receptæ vrbis apud Gregoram lib. 4. non longè à principio. Occasionem receptæ Constantinopolis Sabellicus rerum Venetar. decad. 1. lib. 10. sic breuiter explanat. His itaque calamitatibus circumuentus (Balduinus) quadam ferè amentia actus, nullo in vrbe relicto præsidio, omne robur copiarum ad maris angustias occupandas miserat. Sed cum externum*

hostem

hostem informidaret, in domesticas incidit insidias. Quidam Græci (vt leuia sunt gentis ingenia) præsentium rerum cœperant pœnitere (quanquam ab initio eos Gallici nominis pertæsos crediderim) rati, quod erat, absentia copiarum vrbem hosti facilè tradi posse. Itaque cum Palæologo per fidos nuntios agunt, vt certa noctis hora cum quibus sibi videretur copiis adesset, fore, vt in vrbem receptus, sine vlla cæde rerum potiretur. Ille occasionem minimè negligens, silentio noctis cum expeditissimis copiis ad vrbẽ accedit: quas per auersa ab hostibus loca, ne quid illi præsentire possent, mœnibus admotas, cæsis portarum vigilibus proditores in vrbem sine alia maiore cæde acceperunt. Balduinus & Pantaleo Iustinianus Antistes ad primum captæ vrbis tumultum exciti, cum necessariis pretiosissimisq; rebus, quas nocturna illa trepidatione asportare potuerunt; ad Euripum se trepidè receperunt; vbi nauem ingressi, continua nauigatione in Eubœam sunt delati.

Tali modo vrbs mag. illa, & vrb. Imperatrix] βασιλὶς τῶν πόλεων *sexcenties à Græcis appellatur, quod vel* regina, *vel*, imperatrix vrbium, *vel*, vrbs imperans, imperatoria *transferre possis. Mirum dictu, quam ab ipsismet Græcis cantetur. Nicetas in Alexio Murzuflo, vbi captam à Gallis, & pessundatam lamentatur.* O vrbs vrbs, vrbium omnium ocule, per orbem terrarum celebris, spectaculum vltramundanum, Ecclesiarum mater, princeps religionis, rectæ sententiæ dux, & eruditionis alumna, omnis pulchritudinis diuersorium, &c. *Nicephorus Callistus præfat.* Constantinopolis veræ pietatis ærarium atque domicilium, quod quæcunque aliquis mente concipere possit, bona continet omnia, nouum tabernaculum, altera Sion, nouum sanctuarium Dei, altera, & ea duplex arca, pulcherrimus totius orbis oculus, seu potius cor eius, noua Edem, terrestre cœlum, paradisi velut primarium exemplar, commune omnium Christianorum domicilium, vrbium omnium regina, rerum omnium opportunissima, & vt simpliciter dicam, quidquid est in terris optimum omne. *Matthæus Camariotes epistola, qua eandem à Turcis occupatam & vastatam lamentatur, quæq; recitatur in Turcogræcia.* Patria capta est, cuius vrbs in terris similis nulla:

sed

sed eiusmodi, quæ non humana potuerit extrui manu. Eadem
magnitudine & pulchritudine præstabilis, situ & vetustate
splendens: quam affirmare omnium vspiam vrbium maximã
pulcherrimamque ausim: quam vnam omnes sperabant, &
credebant in perpetuum ab omnibus mansuram inexpugna-
bilem: cui secundum Deum vniuersi salutem credebant suam:
quæ si oculus appelletur orbis terræ, aut cor, à vero non aber-
retur: de qua nemini gloriari non licebat: in qua ciuem adscri-
ptum esse, non parum argumenti ad gloriam, commendatio-
nemque habebat. *Constantinus Manasses, qui ab hinc annis qua-
dringentis floruit, in Annalibus, vbi de condita, seu potius amplifi-
cata & exornata Constantinopoli narrat,* seque ad opulentum By-
zantiorum oppidum confert (Constantinus) è quo beatissi-
mam & fortunatam vrbem excitat, vrbem, inquam, magnam,
Romam nouam, Romam carentem rugis, nunquam sene-
scentem, sed perpetuò iuuenescentem, seque renouantem,
Romam illam deniq;, de qua gratiarum riui profluunt: quam
terra continens complectitur, & mare vicissim excipit: quam
iucundè ornant Europæ manus, & ab altera parte os Asiæ de-
osculatur.

Post annor. 9. & 50. interuallum] *Non conuenit inter aucto-
res de annis, quibus Latini Constantinopolim tenuerint. Georgius
Pachymerius ait, tenuisse annos 50. & menses octo. Paulo amplius se-
xaginta annos Cantacuzenus lib. 4. cap. 25.*

AD CAPVT V.

Hæred. imperij miserab. oculis spoliat] *Palæologus Ioanni
Lascari ignito crepitaculo* (ἠχείῳ λινὶ πυρωθέντι) *vibrato adussit oculos,
vt paulatim visus extingueretur. Holobolo autem Manueli, quod
excæcati Imperatoris fortunas miseratus esset, nasus & labra præcisa.
VVolfius in Annotationibus locorum aliquot ex Georgij Pachymerij
historia lib. 3.*

Terrę ac cœlo scelest. facinus conqueri.] *Veteribus mos fuit,
in comœdiis præsertim ac tragœdiis, nocti, diei, soli, lunæ, cælo, terræ
miserias*

miserias & ærumnas suas conqueri. Testis Plaut. in Mercat. vbi Charinus adolescens sic loquens inducitur.

Non ego item facio, vt alios in comœdiis
Vidi facere amatores, qui aut nocti, aut diei,
Aut soli, aut lunæ miserias narrant suas.
Quos Pol ego credo humanas querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint.

Apud Euripidem Medeæ nutrix, vt quidem M. Tullius versiculos latinè expressit. Tuscul. 3.

Cupido cepit miseram nunc me proloqui
Cœlo atque terræ Medeaï miserias.

Electra apud Sophoclem.

Ὦ φάος ἁγνὸν καὶ γῆς	*O lux pura & fulgida,*
Ἰσόμοιρος ἀὴρ, ὥς μοι	*Aequisque ab humo distans vndique*
Πολλὰς μὲν θρηνῶν ᾠδὰς,	*Internallis æther,*
Πολλὰς δ' ἀντήρεις ᾔσθου	*Tristes ô quoties sonos,*
Στέρνων πλαγὰς αἱμασσομένων,	*Nox cum cæca recessit*
Ὁπόταν δνοφερὰ νὺξ ὑπολειφθῇ;	*Audisti, inque vicem feris*

Sanguinolenta feriri
Pectora palmis.

Vide Symbolas Virgilianas, in illud Eclogæ 2. ibi hæc incondita solus Montibus & syluis studio iactabat inani. *Ad lamentationes quippe & querelas huiusmodi libenter etiam in loca sola, in syluas, agros, montes secedebant, quò id liberius, sine pudore, & alicuius interdum periculi metu facerent.*

Elementa ipsa ad vlciscend. inuocare] *Luculentissimè dolorem huius Patriarchæ ex indignissima sorte pueri Imperatoris perceptum descripsit Protouestiarius. Et est hæc etiam magni cuiusdam luctus, doloris, iræ declaratio, à cœlo & elementis ipsis vltionem petere. In sacris literis diras, & maledicta huius generis ex diuino Zelo, & instinctu cœlesti profecta leguntur. In nostris scriptoribus, potissimùm verò in poëtis, memini me aliquot exempla legere, quæ memoria exciderunt: vnum occurrit ex Ouidio in Ibin, poëmate omni maledicentia dirisque, vt ita dicam, dirissimis refertissimo.*

Terra tibi fruges, amnis tibi deneget vndas:
Deneget afflatus ventus & aura ſuos.
Nec tibi ſol clarus, nec ſit tibi lucida Phœbe:
Deſtituant oculos ſidera clara tuos.
Nec ſe Vulcanus, nec ſe tibi præbeat aër,
Nec tibi det tellus, nec tibi pontus iter.

Arſenium hunc ſumma ſeueritate Palæologum auerſatū, quamuis facinus agnoſcentem, & ſummiſſè genibus aduolutum, & veniam orantem ſcribit Pachymerius lib. 3. Vbi item Epimethei pediſſequam ait eſſe pœnitentiam.

AD CAPVT VI.

Concord. de fin. cap. tribus] *Illa erant, τὸ πρωτεῖον, τὸ ἔκκλητον, τὸ μνημόσυνον. Vt eſſet penes Romanam ſedem principatus, vt eam appellare liceret Græcis, & memoria Pontif. vnà cum Patriarchis celebraretur. Ex Pachymerij lib. 5.*

Romam tanquam maius tribunal appellare] *Eccleſia Romana omnium per orbem Eccleſiarum parens & magiſtra eſt. D. Auguſtinus epiſt. 162. in Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus. In hoc argumento verſatur Bellarminus Controuerſ. tomo 2. de Pont. Romano lib. 2. Addamus inſignem locum D. Leonis ex concione in SS. Petrum & Paulū.* Iſti ſunt viri, per quos tibi Euangelium Chriſti Roma reſplenduit; & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres tui, verique paſtores, qui te regnis cœleſtibus inſerendam multò melius, multoque fœlicius condiderunt, quam illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt. Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriā prouexerunt, vt gens ſancta, populus electus, ciuitas ſacerdotalis & regia, per ſacram B. Petri ſedem caput orbis effecta, latius præſideres religione diuina, quam dominatione terrena, &c.

Non quieuit, populumque concitauit] *Laonicus lib. 1. loquens de Concilio Florentino. Poſtremo eò res deducta eſt, vt Græci pariter, & Romani in religionis negotio conſentirent, diſcordiáque omnis*

omnis quàm longißimè submoueretur. Græci reuersi ByZantium, acta edocent eos, qui domi remanserant; qui quidem actis stare noluerunt, putantes sibi neutiquam fas esse consensum præstare Romanis nefaria asserentibus. Hinc perpetuò discordiam fouisse Græcos in negotio religionis aduersus Romanos constat.

Maledictus omnis qui confidit in homine] *Aduersus Balduinum, vltimum Constantinopolis ex Latinis Imper. Quinque enim fuerunt. Balduinus, Henricus, Petrus Altisiodorensis, Robertus Petri filius, Balduinus II. Et hic à Michaële Palæologo exactus, ad Caroli regis Franciæ opes confugit.*

Et Constantinum Porphyrogennetam] *Porphyrogennetas, vt scribunt Græci, siue Porphyrogenitus, vt plerique nostrûm, dicitur, qui patre Imperatore, & in purpura constituto, hoc est, in imperio (cuius purpura signum est) & successor nascitur. Plura tamen me nunc de caussa, & veriloquio huius vocabuli dubitare faciunt. Vnum, quod ex filiis Imperatorum iis, qui patre purpuram gestante procreati sunt, quosdam nō primogenitos (ad quos succeßio inprimis pertinet) sic nuncupari cerno; vt in hac historia Theodorum Ioannis filium, Andronici & Manuelis seniorum fratrem: præterea Theodorum & Demetrium Manuelis filios Palæologos, quibus seniores erant Ioannes & Andronicus. Alterum, quod Constantinus Manasses chronographus (vt à Vulcanio obseruatum est) vbi Constantino oculos ab eunucho iussu matris Irenes erutos fuisse memorat, ita habet, Leunclauio interprete.* Et quidem eo ipso in loco visum oculis effossis amisit, quo in loco primùm radios solis aspexerat. Solent autem domum illam nuncupare porphyram, hoc est, purpurã. *Ibidem in margine libri annotat interpres,* ab ea domo porphyrogeniti appellati. *Quasi palatiũ quoddam fuisset, vbi Augustæ edere partum solerent. Lib. 5. de imperio Manuelis Comneni Nicetas de vicino partu Imperatricis ita loquitur.* τῆς δὲ δεσποίνης πρὸς τὸ τεκεῖν ἐλθούσης, ᾠκονομήθη μὲν ἡ πορφύρα, καὶ ἠυτρεπίσθη πρὸς τὴν ὑποδοχὴν τῆς γεννήσεως. ὡς δὲ κατέπειγον αἱ ὀδύναι, καὶ ἐντὸς τῆς πορφύρας ἡ δέσποινα ἦν, παρῆν καὶ ὁ βασιλεὺς, βλέπων, καὶ παρηγορῶν, καὶ τὰς ὠδῖνας κουφίζων αὐτῆς. Cùm autem Imperatrix partui propinqua esset, deprompta & adornata est purpura ad puerum suscipiendum. Doloribus

verò vrgentibus ea in purpura collocata, adest & Imperator,
suaque præsentia coniugem solatur & subleuat. *Ex hisce ver-*
bis apparet, dictos porphyrogenitos, quòd nascentes purpura excipe-
rentur: seu quòd illos mater in purpura effunderet. Cur autem non
omnes purpura excipiebantur? Aut si omnes excipiebantur, cur non
omnes Porphyrogeniti? Amplius igitur de hoc nomine, quod notissi-
mum & facillimum videtur, quærendum est.

Quod sinceram Ecclesiæ doctrin. deseruisset] *Immò quod*
insincera posthabita, sincerã amplecti voluisset. Quòd à filio Michaël
tam parum honestè, & instar canis sepultus est, videtur per hunc con-
temptum tutelæ tam sacrilegè in regio puero violatæ pœnam Deus ab
homine exegisse: tametsi Andronicus ita populo, & clero præsertim
placere voluit, cui Michaël ob initam cum Ecclesia Romana concor-
diam vehementer displicuerat.

AD CAPVT VII.

Becum Patriarch. Athanas. excepit] *Cum Patriarcha crea-*
tus declaratur, dicitur ἀνάγεσθαι εἰς θρόνον. *Cum loco suo mouetur, κα-*
τάγεσθαι τοῦ θρόνου, καὶ καθαιρεῖσθαι. *Cum malis artibus ad dignitatem*
grassatur, ἐπιβαίνειν, *& talis* ἐπιβάτης, *&* ἐπιβήτωρ, *quasi inscensor &*
adulter, & alienæ mulieris insultor. In politicis ἐπιβάτης *&* ἐπιβαίνειν
vsurpat non semel Simocatta. Qui enim magistratus gerunt, cum di-
cantur in altiore, aut etiam altissimo dignitatis gradu locati, rectè ita
dici possunt ascendere, &, si latinitas pateretur, ascensores.

Ex prima coniuge Hungar. regis filia] *Duas deinceps vxores*
habuit Andronicus, quarum prior Hungarorum rege nata, Anna
audiuit, & mares ei duos peperit, Michaëlem, qui cum patre impe-
ritauit aliquandiu, & Constantinum Despotam. Posterior Marchio-
nis Montisferrati filia, enixa est Ioannem, Theodorum, Demetrium,
& puellam Simonidem, liberos omnino quatuor. Andronicus vi-
duus, inquit Pachymerius lib. 7. non ausus regias ambire nuptias,
quòd è secunda vxore imperij successores procreaturus non esset, Ire-
nen Marchionissam, regis Hispaniæ neptem, bonus bonam non gene-
re minus quàm moribus vxorem ducit.

CAPVT

AD CAPVT IX.

E monte Atho] *Mons hic Macedoniæ propter* καλογέρους bonos senes (*sic enim monachos ibi habitantes Græci recentiores nominarũt) celeberrimus fuit, & nunc etiam* ἅγιον ὄρος mons sanctus *dicitur. A Cantacuzeno* πόλις οὐράνιος cœlestis ciuitas, *apud quem multa de eodem variis locis. Adhuc ferunt illic superesse monasteria circiter 23. & quondam singula habitata ducentis, aut trecentis. A Turcis monastir vocatur. Quicunque porrò huius montis monachi aliò venirent, ob arctiorem, quam colebant, disciplinam, maioremque opinionem sanctitatis, venerabilius tractabantur, quod etiam ex historia Cantacuzenica lib. 3. perspicias.*

Suaserunt trirem. num. ne augeret neuc. n. p. aut vet. refici] *Puzenus quidam magnæ auctoritatis, apud Manuelem Comnenum effecit, vt res vtilissima, & omnibus insulis salutaris, & à superioribus Imperatoribus constanter obseruata inutiliter abrogaretur. Nam vectigalia nautica olim in classem conferri solita, hic in fiscum referenda curauit*: ac triremes, *quæ ex edicto ab insulis præbebantur, pœne cum ipsis vectoribus in mare demersit: cum diceret, triremes non semper reipub. esse vtiles: sumptus verò qui in eas fierent, & annuos esse, & immensos. Eos igitur in fiscum referendos: necessitate verò postulante ex imperatoriis thesauris stipendia promenda esse. Quæ cum dixisset, vir optimus, & rerum gerendarum peritissimus est habitus, cum reuera sententiam crudelissimo dignam pirata dixisset. Imperatorem enim sumptuum magnitudine decepit, & paruitate impensarum rursus exhilarauit. Qua siue temeritate, siue tenacitate factum est, vt piratæ optatissima occasione mare teneant, & maritimæ prouinciæ latrociniis vexentur. Nicetas lib. 1. de rebus Manuelis Comneni.*

AD CAPVT X.

Cum quibusdam æqual. & coniurat. fug. Adrianop.] *De clandestino Andronici Nepotis discessu, seu fuga potius Constantinopoli Adrianopolim, Cantacuzenus lib. 1. cap. 18. vbi aliam narratio-*

nem offendes. Hoc te semel scire velim, Protouestiarium adhærere Gregoræ vt in hoc, ita in reliquis pœne omnibus, videriq́; cum eodem Gregora Cantacuzeno infensum. Cùm autem duo illi toties tantoperè discrepent, vterq́; verum dicere non potest. Ego vt Cantacuzenum aliquando minus vera scribere concesserim; sic Gregoram propter rerum ignorãtiam & affectum quendam sinistrum sæpius falsa pro veris ponere non negarim.

A Christo nato 1328.] *Græcus codex expressè habet αφκη, id est, 1528. errore euidentissimo. Itaq́; pro φ. ponendum τ. vt sint trecenti, non quingenti.*

AD CAPVT XI.

Potitus vrbe & imp. auo de victu, & vita prosp.] *Supra contrarium scripsit. Iam quo pacto illi de victu prouiderit, quamq́; illum nihilominus reuerenter ac liberaliter habuerit, docet Cantacuzenus lib. 2. cap. 1. Nimis inhumanum & crudelem Nepotem Gregoras & alij faciunt.*

AD CAPVT XII.

Monach. q. Calaber Barl. Constantinop. venit.] *Non primùm Constantinopolim, sed Thessalonicam venit. Qualis autem is homo fuerit, quid vtrobiq́; egerit, & quas turbas commouerit, vberrimè traditum est à Cantacuzeno lib. 2. cap. 34. & sequentibus.*

Lumen illud in monte Thabor creat. esse] *Mirum Græcos errorem tam putidum errasse, vt lumen illud, quod è corpore Christi in monte Thabor transfigurati splendidissimum emicuit, increatum quiddam, & deitati coæternũ, nec tamen diuinæ substantiæ partem aliquam esse vellent, & in Deo quiddam statuerent, quod Deus non esset, idq́; accidens. Pluribus de isto lumine in historia Cantacuzenus. Lege annot. Gretseri in cap. 40. lib. 2.*

Quod Ioanni Chrysoloræ ead. sentienti.] Hic primus græcas litteras variis barbarorũ irruptionibus expulsas post 700. annos in Italiam reportauit: quãquam nulla eius extant, præter Grammaticæ regulas grauioris doctrinæ monumenta. Byzantio

zantio emiſſus à Ioãne Imp. vt totius Europę reges adeundo, pereunti Græciæ maturam opem imploraret, officium quidẽ laborioſa peregrinatione ita impleuit, vt in Italia ſubſiſteret, Græcia ſcilicet præſenti metu liberata, cum Tamerlanes terror orientis Baiazetem ad Stellam montem viuum cepiſſet. Itaque Chryſoloras diro Græciæ hoſte ſublato lætus, Venetiis primùm, & mox Florentiæ, Romæque, ac demùm Ticini, euocante ingentibus præmiis Ioanne Galeatio Principe, græcarũ litterarum ſtudium excitauit, tanta fœlicitate, vt ex eius ſchola ſummæ, nec ideo interituræ laudis ingenia prodierint, in quibus fuêre Leonardus Aretinus, Franciſcus Barbarus, Philelphus, Guarinus, & Pogius. Poſtremò cum ad tollendam pſeudopontificum controuerſiam indicta ſynodus tanti ſpectaculi cupidũ exciuiſſet, exauctorato Balthaſare Coſſa, Conſtantiæ interiit, cuius tumulum Pogius aliique exornarunt. *Hæc ego carptim ex elogiis Paulij Iouij. Tumulatus eſt Chryſoloras Conſtantiæ in Prædicatorum monaſterio ante aram, cuius hoc fertur ibidem legi epitaphium.* D. Emmanuel Chryſoloras, miles Conſtantinopolitanus, ex vetuſto Romanorum genere, qui cum Conſtantino Imp. migrarunt. Vir doctiſſimus, prudẽtiſſimus, optimus. Qui tempore generalis Concilij Conſtantienſis diem ſuum obiit, ea exiſtimatione, vt ab omnibus ſummo ſacerdotio dignus haberetur. Die 15. Aprilis 1415. *Quod dicitur miles Conſtantinop. intellige equitem auratum fuiſſe. Eius gener non diſcipulus modò fuit Franciſcus Philelphus, cui Theodoram filiam nuptum dedit.*

Quæ illi fil. duas, quar. maior Myſorum Principi] *Vnicam filiam, Mariam nomine Andronico iuniori Anna Sabauda genuit, quam parentes poſtea vix dum nubilem Michaëli Alexandri Myſorum, ſeu Mæſorum regis filio collocarunt: Nuptiæ apud Adrianopolim celebratæ ſunt. Cantacuz. lib. 2. cap. 24. Aliam quæ Orchani Turcarum regi nuberet, non genuit. Hoc loco* ἀνιστορησίαν *Protoueſtiarij demiror, cùm præſertim tam prope ab Andronici & Cãtacuzeni ætate abfuerit. Cantacuz. non Andronici filia, Theodora nempe Orchani cõiuncta eſt, & ille generi, non autẽ Ioannes affinis armis adiutus eſt ſæpius.*

pius. Testatur idem Laonicus lib. 1. Tempore deinde multo interiecto, inquit, Cantacuzeni Græcorum regis filiam vxorem ducit. Quæ affinitas vbi intercessit, pax inter Græcos & Turcas facta est. Infrà. Cùm Orchanem data in vxorem filia generum asciuisset, eum & amicissimum, & familiarissimum in posterum expertus est.

Ioannem Cantacuz. ei curat. ac tutor. dedit] *Huius in fidem puerum regnumq́ tradidit, ac iureiurando eum obstrinxit, sine dolo in administratione regni, ac pueri educatione versaturum.*

Auctorit. & opib. præpot. ab Imp. secund.] *Multa de hoc viro ὡς ἐν προλεγομένοις ante historiam ipsius à me disputata sunt, ex quibus nonnulla hîc repetam. Auctoritas eius, potestas & existimatio incredibilis: ita, vt eo inconsulto, aut refragante nihil gereretur, ipseq́ administraret omnia: & esset non quidem vocabulo (nam id vnà cum habitu, licet non semel ab Andronico inuitatus, & enixè rogatus, constanter fugit) sed opere ipso Imperator. De copiis suis, facultatibus, pecuniæ thesauris, variis locis ipse confitetur, in quibus insulas, oppida, castella recenset. Pecuniam quam Byzantij, & in aliis vrbibus per Thraciam apud amicos depositam habebat, nec ipsi qui eandem diripuerunt, inimici, quam magna esset pro certo nosse potuerunt. Tritici, hordei, frugum fructuumq́ infinita illi copia, innumerabiles acerui. Boum pascualium numerat quinq́ millia, aratorum iuga mille, equos pascuales mille quingentos, camelos ducentos, mulos trecentos, asinos quingentos, porcorum quinquaginta, ouium septuaginta millia. Satin' hic homo diues?*

Cui pater Cantacuz. filiam iungi matrim. mand.] *Id quod factum est, iuncta illi Helena, vt ipse Cantacuzen. narrat lib. 4. cap. 1. & peperit mares quatuor, Andronicum, Manuelem, Theodorum, Demetrium: filiam vnam Irenen. Laudatur eximiè in eadem historia lib. 4. cap. 34. Ioannes hic moriente patre nouem dantaxat annos natus erat, non 12. vt Laonicus vult: capta autem à Cantacuzeno Constantinopoli, quindecim. Eundem Ioannem his verbis commendat cap. 1. lib. 4. Cantacuzen.* Cœpit enim statim vehementissimè iuuenem diligere, non solùm ob amorem, quo in patrem eius fuerat: *sed* etiam quòd videbat Gratiarum omnigenarum, vt ita dicam, domicilium. Nec enim forma solùm

ei inerat

ei inerat digna imperio: verùm etiam fortitudinis atque prudentiæ non vulgarem præ se ferebat indolem: quæ virtutes postea quoque (vt sperabatur) in eo eluxerunt. Nulli quippe maiorum suorum intelligentià secundus est: & generosam sæpenumero audendi fiduciam hostibus demonstrauit.

Quos qui curar. propemod. totid. numerab.] *Si canes venaticos amplius mille quadringentos, & accipitres supra mille habuit, ergo curatores propemodum vltra duo milla quadringentos habuit. Quis hoc credat? quid enim ὑπερβολικώτερον? Hausit hoc à Gregora. Laonicus lib. 3. BaiaZetem à Tamberlane captum affirmat habuisse septem millia virorum, qui accipitres curarent: præterea aluisse canes sexies mille. Credat cuilibet.*

Vixit anos 45. imperauit 20.] *Ita quidem Gregoras rationem subduxit. CantacuZenus lib. 2. cap. 40. de eius obitu in hunc modum. Ad vesperam die Mercurij, 17. Kalend. Quintiles, anno 49. supra 800. & 6000. ab orbe condito, indictione 9. morbi sæuitia confectus, ex hac luce migrauit. Diutius autem multò eum vixisse, & imperitasse, ex eadem historia colligitur. Si enim expleuerat annum ætatis 27. antequam secundam vxorem duceret, vt lib. 1. narratur, eaq; ducta adhuc annis aliquot cum auo bellum gessit: si eo victo, vt isti volunt annis 20. solus regnauit, sequitur quinquagenarium, aut eo natu grandiorem obiisse.*

AD CAPVT XIII.

Coniugemque vt Dominam coronat] *Vxores apud poëtas vocantur dominæ, quanquam etiam apud alios scriptores. Amatores item amicas suas ita appellabant. Eodem vocabulo Augustæ, & reginæ, id est, Imperatorum regumq; coniuges afficiebantur. Hæc omnia prolatis exemplis probauimus Symbolor. lib. 11. qui est in 6. Aeneid. ad illum versum,* Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti. *Proinde vocem Despœna, latinæ huic planè respondentem, interpreti aut retinere, aut vocibus Domina, & cum de Imperatorum vxoribus dicitur, Augustæ etiam, & Imperatrix exprimere licebit.*

Matthæo filio calceos purp. ferre dat.] *Suprà cap. 1. Alexius*

Comnenus Irenæ filiæ, quam Augustam designauit, copulatam Alexio Palæologo, hoc dedit.

Palæolog. ad Orchanem Ameram Turcar. confug.] *Manifestè falsum, ex Cantacuzeni historia, cui plerumque maior fides, quam istis Chronologis tribuenda est.*

In Seruiam ad generum suum.] *Etiam hoc commentitium. Tres tantùm habuit filias, quarum Mariam vxorem dedit Nicephoro Ducæ Acarnaniæ Principi: Theodorã Orchani, Helenam Ioanni Imperatori locauit.*

AD CAPVT XIV.

Sæpenumero mecum ipse] *Hæc epistola grauis sanè & vehemens, si vera, & à Ioanne conscripta est, parum vera esse oportet, quæ ad amoliendam ab se tyrannidis suspicionem toties affert Cantacuzenus: dum tutor potius ac patronus, non inuasor imperij ac tyrannus videri studet. Profectò tam speciosè ac verisimiliter se vbique purgat, vt nihil poßit magis. Vide Laonicum post initium lib. 1.*

Et generis coniunctionem imperans] *De filij Ioannis matrimonio cum filia Cantacuzeni, quod vita excessurus mandauerit Andronicus, nec apud Cantacuzenum, nec apud Gregoram quidquã lego. Est autem id propter incredibilem amorẽ, quo Cantacuzenum ipsum prosequebatur, admodum probabile.*

AD CAPVT XV.

Monach. induit, ac Ioasaphi nomen] *Laonicus ait, Cantacuzenum in Nazaræorum, siue monachorum ordinem translatum, & immutato nomine Matthæum appellatum. Vtrumque falsum. Testatur ipse in historia sua lib. 4. se imperium retinere potuisse, si voluisset. Et cap. 42. id sibi à Ioanne suasum affirmat. Ioasaph autem, vt ibi videre est, nomen accepit, postquam cucullam induit.*

Bellumque gessit annos 6. menses 7.] *Imò verò annis quinque tantùm, ipsi enim potius affirmanti credendum.*

Manue-

Manuelem gubernare Thessalonicam] *Paulò aliter Laonicus lib.1. Manuelem cum regeret Thermam siue Thessalonicam, nactum auxilium Pheris vrbi insidias struxisse, & res nouas contra Amuratem molitum. Aduersus quem ille Charatinem miserit, qui Thermam occuparet, & Manuelem vinctum adduceret.*

Apud Lesbi dominos locum] *Lesbus hodie à Græcis Mitylene, ab vrbe sua primaria dicitur. Traditum est, à Ioanne Andronici filio donatam Francisco Catelusio Genuensi, propter nauatam sibi fideliter operam aduersus Cantacuzenum, anno 1355. Cùm à Mahomete II. occuparetur. anno 1462. Principem habuit Dominicum Catelusium. Inde annos amplius centum in ditione Genuensium fuisse colligitur.*

Prusam vltro abeundi consilium] *A Prusa rege Bithyniæ nomen vrbi huic inditum, in ora maris ad radices montis Olympi sitæ. Hic mons inde nomen accepit, quod olim velut Athos in Europa, frequentia haberet monasteria, Constantinopoli degentibus, & Propontidem nauigantibus eximia altitudine spectabilis. Prusa etiã* θεόπολις Dei ciuitas *in constitutione Leonis Augusti de thronis appellatur. Eam subegit Orchanes 1327. Principio domicilium imperij Turcici fuit, quamuis non ita diu. Sultanorum sepultura ibidem diutißimè, etiam post captam Constantinopolim permansit.*

AD CAPVT XVI.

Quosdam de Satrapis suis in Asia desciuisse] *Historiam de Amuratis expeditione Asiatica contra Præfectos, & de coniuratione regiorum iuuenum aduersus parentes absentes, luculenter exsequitur lib.1. Laonicus, quem lege: noster breuitati studet.*

Suum volens nolens luminibus priuatũ] *Qui infundens oculis ei acetum feruidum, visum eius ademit. Laonicus ibid.*

Vnusquisque fil. manu sua iugul. iussus] *Si plenum crudelitatis est, filium ante oculos patris mactare, quanto magis parentem compellere, vt sua manu filij sese carnificem præbeat? Occiderunt aliquando parentes filios suos: sed vlciscendi caussa: innocentes nun-*

 quam.

quam. Laonicus lib. 1. coniurationem duorum istorum regiorum iuuenum, quorum alterum, Turcam nempe, Sauzem vocat, eorundemq; pœnas fusè describit. In extremo eius descriptionis, patres, inquit, duo fuere, qui tam crudele imperium exequi noluere. Hinc & ipsi trucidati sunt cum filiis. Dicebat enim, nequaquam istos citra consilia parentum defecisse ad Sauzem. Nunc autem cum fortuna vtantur dubia, eos nutare in vtramq; partem.

AD CAPVT XVII.

Aliquot triremib. in Italiam ad flagit. opem.] *Pænè omnia huius capitis aliquantò plenius à Laonico differuntur. Etiam à Venetis retentum ait, non sinentibus eum pedem vsquam ferre, donec creditoribus satisfecisset.*

AD CAPVT XVIII.

Baiazetes Alisurius] *Plures Turcicorum Imperatorum habent sua cognomina. Nam vt hic est Alisurius, ita alius Gazi, alius Gilderun siue Lælaps, alius Aleterius, alius Cecyritzes, &c. Quemadmodum videlicet Christiani Imperatores, Reges, Principes à corporis habitu, aut à moribus cognominantur Pulchri, Calui, Crassi, Barbarossæ, Aucupes, Audaces, Simplices, Casti, Pij, &c. ne pluribus exemplis in re perspicua vtamur.*

Vna cum fil. ad Baiazetem supplex.] *Vide Laonicum principio lib. 2.*

Lupus turbinem vid. gaudio exilit.] *Homo ferus, rapax, violentus aptè cum lupo comparatur. Lupus autem, cælo præsertim nubilo & caliginoso prædatum exit. Non alieni sunt ab hoc loco versus Maronis de 2. Aeneid.*

-------- inde (lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catuliq; relicti
Faucibus exspectant siccis) per tela per hostes
Vadimus.

In pa-

In palatio Peges] Πηγὴ *fons extra vrbem, ad quem (seu potius circa quem) Leo Thrax Imp. Deiparæ templum exædificauit, miraculis nobilißimum. Iuxta hoc templum fuisse palatium extructum vel hinc intelligere possumus.*

Vtrum è duob. frat. Imp. præoptent] *Malè Laonicus. Misso nuntio explorabat Byzantiorum animos, quemnam sibi regem dari, Manuelem an Baiazetem vellent. Hac ratione pulchrè expiscabatur vt Byzantij erga se animati forent. De Manuele & Andronico, non de se ipso quærebat Baiazetes.*

Ad annum mundi 6800.] *In codice græco non plus est, quam ςω. maiorem autem oportere numerum esse, locus præcedens indicat de morte Andronici, quem extinctum narrat 6849. Nec inueni adscriptos annos imperij eiusdem Ioannis, quos quidam faciunt tantummodo 13. ab anno scilicet Domini 1341. ad 1354. quidam multò plures. Regnauit tamen cum eo Cantacuzenus etiam annis aliquot, vt patet ex historiæ lib. 9. post Constantinopolim ab eodem Cantacuzeno occupatam.*

AD CAPVT XIX.

Sigismundus Germaniæ rex] Quanquam Carolus Magnus non tantùm iure belli, & S.P.Q.R. voluntate, Pontificiaq; consecratione verus & legitimus, si quis vnquam alius, Imperator effectus esset: sed transactione insuper cum Irene regina, eamque secutis Nicephoro & Basilio Impp. interposita, certisq; terminis vtriusq; imperij diuisione & separatione facta, ius suum abundè confirmasset, ideoque legati Byzantini eum βασιλέα palam salutassent, & omnino inter vtrosque Principes ita conuentum, diuque inter successores obseruatum esset, vt æquo iure Byzantini & nostri Augustos, adeoq; fratres se appellarent: paulatim tamen inuida, & ambitiosa illa natio nostris Cæsaribus eum titulũ detrahere conata est, & suos solos Romanos, & Basileas, & αὐτοκράτορας ῥωμαίων in diplomatis & numismatis proscribere, dominosq; orbis terrarũ, ceu vnius familiæ iactare: nostros autem Latinos tantùm, & Alemanos,

 Fran-

Francosq;, & Cæsarem nostrum vt nouo, ita inepto commento ῥῆγα ἀλεμανίας ἢ Φραγγίας. Vnde factum, vt à nostris paria reponentibus, non aliter quàm Græcorum reges, aut Constantinopolitani Imperatores vocarentur. *Hæc Marquardus Freherus præfat. in ius Græcorum.*

Excusarat se etiam Basilius Imp. orientis Ludouico II. Imp. occidentis, cur eum nomine τοῦ βασιλέως afficere non esset ausus, tametsi hoc ipsum ambage quadam, & obscurius. Cui ille his verbis rescripsit, quæ tomo 10. anno Christi 871. à Baronio afferuntur. Indicat itaque dilectio tua, se maledictum legis (Deuter. 19.) pauescere, & idcirco terminos æternos transferre, & veterum Imperatorum formas commutare, ac præter canonica, & paterna præcepta conuersari renuere, & recusare. Et tamen, qui sint illi, vel vbi, aut vnde fuerint prolati termini æterni, vel veteres formę, aut illa canonica & paterna præcepta, minus apertè declarat: nisi forte Imperatoris nomen velit hæc cuncta sentiri. Verùm apud nos multa lecta sunt, multa quidem indefessè leguntur: nunquam tamen inuenimus terminos positos, aut formas, aut præcepta prolata, neminem appellãdum Basilea, nisi eum, quem in vrbe Constantinopoli imperij tenere gubernacula contigisset, cum gentium singularum monumentis interim postpositis, sacræ nobis affluenter historiæ monstrent, plurimos fuisse Basileas nuncupatos, & non solum electos quosq;, quales fuere Melchisedech, & Dauid, verùm reprobos, quales primorum Assyriorum, Ægyptiorum, Moabitarum, & cæterarum nationum (quas enumerare longum est) extitisse probantur. Ergo cùm ita sit, frustra caussandum ducit prudentia tua, alios præter se Basileas appellandos, nisi forte radendos ducat totius codices mundi, in quibus pœne cunctarum gentium Principes à priscis temporibus, & deinceps Basilei inueniuntur scripti. Et certè vt de Latinis interim codicibus taceamus, si græcos, & nouiter editos reuoluas, inuenies proculdubio plurimos tali nomine vocitatos, non solùm Græcorum, sed & Persarum, & Epirotarum, Indorum, Bythinensium, Parthorum, Armeniorum, Saracenorum, Æthiopum, Vandalorum,

rum,& Gothorum,& aliarum gentium Prælatos *βασιλέων* appellatione veneratos. Intuere igitur frater, & considera; quod multi fuerunt, qui Basilei diuersis temporibus, & in diuersis locis & nationibus nuncupati sunt, vel hactenus nuncupentur: & noli vel nobis quod dicimur inuidere: vel tibi singulariter vsurpare, quod non solum nobiscum, sed & cum pluribus Præpositis aliarum gentium possides.

Ius Prouinciæ illius ad regni sui iura pertin.] *Pertinent partim antiquitus, partim etiam nunc hæc ad Hungariam regna. Dalmatia, Croatia, Slauonia (id est, Illyricum) Ramia vel Roma (quo nomine in Hungarorum titulis intelligitur Bozina) Seruia, Gallicia siue Valachia, Lodomeria, Comania, Bulgaria. Leunclauius.*

Ius meum in Bulgar. hæc arma hunc appar. esse] *Vox tyrannica. Cic. 1. off. Maximè autem adducuntur plerique, vt eos iustitiæ capiat obliuio, cum in imperiorum, honorum, & gloriæ cupiditatem inciderunt. Et infrà non longè, inuehens in Iulium Cæsarem vt tyrannum, & dominationis cupidissimum. Declarauit id modò temeritas C. Cæsaris, qui omnia iura diuina atque humana peruertit, propter eum quem sibi ipse opinionis errore finxerat principatum. Eiusmodi verbum est etiam Agamemnonis apud Homerum 1. Iliad.*

Εἰ δέ κε μὴ δώησιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι.

Ipse equidem eripiam, si tradere forte grauetur.

Hi sunt, quibus ius in manibus & in armis est. Pyrrhus Epirotarum rex moriturus interrogabatur ab adolescentiore filio, cuinam ipsorum regnum relinqueret. Respondit, ὃς ἂν ὑμῶν τὴν μάχαιραν ὀξυτέραν ἔχῃ, qui vestrûm acutiorem habuerit gladium. *Immò fama est, vnum ex missis ab eo centurionibus, qui pro curia stabat, & audiebat, nolle Cæsari senatum prorogare prouinciam, dixisse, at hic prorogabit, manu capulum gladij pulsantem. Plutarchus in Iulio.*

Exercitum è conduct. &c. suos item armat] *Laonicus lib. 2. narrat eum Pontificem rogasse auxilium coram, pecuniam virosque, impetrasse. Misisse quoque auxilia regem Gallorum, Burgundiæ ducis fratrem præfuisse toti exercitui. Conscriptum exercitum è Germanis. Ab Hispanis item, Italisque militibus & pecunia adiutum. Habuisse præterea Pannones & Dacos. Baiazetem vsque ad Istrum summa celeri-*

celeritate ex Asia, & Europa collectis copiis occurrisse. Lege reliqua de infelici illo prælio ad Nicopolim. Caussa mali fuit, audacia, impudentia, fuga Gallorum, quibus se Pannones & Germani socios adiunxerunt. Festinantibus autem Istrum transire, inquit, maxima pars exercitus flumine absumpta est, & quæ sequuntur.

Terra marique obsid. admota] *De caussa huius obsidionis lege Laonicum lib. 2. post principium.*

AD CAPVT XX.

Ad patruum Imperatoremque profugit] *De hoc perfugio, & de profectione Manuelis in Italiam, & Franciam petendi auxilij, Laonicus simillima lib. 2.*

Spartæ principat. societat. Ioan. Bapt. vendit] *Equites Rhodios Nazaræos vocat Laonicus, ac Theodorum etiam Argos non madigno pretio vendidisse narrat. Nazaræi in veteri Testamento dicebantur Deo oblati & consecrati, sicut apud nos monachi & religiosi. Quare & hi à Græcis scriptoribus eodem nomine sæpius vocantur. Equites autem Rhodij, Hierosolymitani, Melitenses in Religiosis numerantur. Quare à Græcis etiam* Φρέρλοι *Fratres voce Gallica dicuntur:* fièr *cum gallicè frater.*

Anno ab ortu Christi 1445.] *Numerus apertè falsus: quare eius loco asteriscum posui. Alioqui enim ad expugnatam Constantinopolim tantùm 9. anni superessent, cum regnante Manuele plurimi superfuerint. Regnauit autem hoc tempore Manuel, quem Ioannes, & Ioannem Constantinus excepit.*

AD CAPVT XXI.

Despota Andron. Thessalon. Ven. sen. venunded.] *Scribunt nonnulli lege permutationis Terulsinæ ciuitatis redditus ei cessisse. Mortuum in itinere dum Venetias nauigaret. Nihilominus vrbe potiti Veneti, suos eò Rectores misere: quorum primus fuit Martinus Bandomerius, cum titulo Comitis Thessalonicæ. Vendita ideirco, quod Græci viderent, se eam aduersus Turcarum vim tueri nullo*

modo

modo posse, licet vrbs ipsa magnitudine insignis, copiis locuples, Thermaici sinus porta nobilis (vnde etiam Therma dicitur) nec vlli Græcarum ciuitatum cæteris ornamentis inferior esset. Anno deinde 1431. Sultanus Murates eam obsedit, ac multoties oppugnatam Venetis tandem eripuit. Ex Leunclauij Pand. Vendita autem anno 1423.

In hoc item capite locum reperi miris tenebris implicatum, valdeq; intricatum, de profectione 5. filiorum Baiazetis in occidentem, & rebus eorum aliorumq;: nec satis liquebat, vtrum scriptor dicenda sibi, an omittenda proponeret. Aliqua enim quæ non proponit, tamen postea narrat: & alia quæ promittit, prætermittit. Quia igitur versus illi commodè abesse poterant, eos induxi. Vnum quiddam in iis memoratu haud indignum. Ex filiis illis quinque Baiazetis Iusuph (sic enim Ioseph illi pronuntiant) Christo nomen dedisse, appellatumq; Demetrium, cui frater Ameras Mahometes liberalissimè res vitæ necessarias prouiderit. Post Baptismum vixisse annos 7. atque ad dominum euolasse.

AD CAPVT XXII.

Temires Massagetarum, & Persarum rex] Scytharum Imperator Tamberlanes propter inauditam animi feritatem atque sæuitiam, portentosasque vires, orbis terror, & clades Orientis appellatus est: ex humili militię loco per omnes honorum gradus ad eximiam bellicæ virtutis opinionem, & denique ad summum imperium ascendit. Homo ore truculento, recedentibusq; oculis semper minaci, corpore autem ingenti, validisque neruis adeo firmo, lacertosoque, vt Scythici ingentis arcus chordam (quod paucissimis præstare licebat) vltra aurem tenderet, cupreumque mortarium pro scopo sagittariis in ludo propositum, emissæ arundinis spiculo perfoderet. Sed eum nōnulli auctores altero crure debilitatum, ideoque deformiter incedentem scribunt. Se Dei maximi iram profitebatur, quæ deprauati sæculi mores vlcisceretur. *Plura Iouius in elogio. Vide insuper initium lib. 3. Laonici, & finem.*

De nomine Temires ita Leunclauius. Quem nostri non rectè Tamerla-

*merlanem, & Tamburlanem Graci Temirem vocant, is à Turcis ple-
rumque Temir, vel Temur Chan (quod regia dignitatis est nomen) di-
ci solet: ac si nominaretur Hispanorum more Don Temir. Significat
autem vox Themir siue Themur ferrum, id est, gladium. Tartari pro-
pter successus rerum prosperrimos Temir Cutlu cognominarunt: hoc
est, ferrum, seu gladium fœlicem. Nonnunquam tamen Temir Lanc
appellatur, quod Temirem claudum significat. Claudicabat quippe, vt
ipse confitetur in primo cum capto Baiazete congressu & colloquio.
Claudicationis caussam refert Laonicus, quod priuatus adhuc, & in-
ops murum, quo cincti pecorum greges erant, furti committendi caus-
sa conscenderit: cumq; se visum à patrefamilias animaduertisset, in
terram desiliens, crus fregerit. Alij, quod inter pugnandum pede
vulneratus, ex eo tempore claudus fuerit.*

Ameram Baiazetem cum vxore & filio cep.] *Pugnam de-
scribens lib. 3. Laonicus, addit. Temires cum prius praconem dimisis-
set per castra, ne quem de Baiazetis exercitu caperent, & ad manci-
piorum miseram conditionem deducerent, curauit, vt spoliatis abire
liceret. Non enim fas esse ducebat, gentiles suos ad mancipiorum for-
mam redigere. Baiazetes contra, praconis voce nuntiari iussit, vt
quemcunq; de Temiris militibus fuerint nacti, eũ illico obtruncarent.
Sequitur de capto Baiazete cũ ducibus pœnè omnibus, vxore & filiis.*

Hic qualis fuerit, vbi regnarit] *Propositionem istam parum
exsequitur Protouestiarius. Nos supra de Tamberlane nonnihil ad-
duximus. De Scythis multa Laonicus lib. 3. & alij, qui de gentium
moribus scripserunt. Lege etiam Herodotum, si lubet.*

Cyrus ille mag. rex à Tomyride dein cæsus] *Vnico sibi filio à
Cyro Persarum rege interfecto, Tomyris Scytharum regina orbitatis
dolorem non in lacrymas effudit; sed in vltionis solatia intendit: ho-
stesq; recenti victoria exultantes, pari insidiarum fraude circumue-
nit. Quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum refugiens,
Cyrum ad angustias vsque perduxit. Ibi compositis in montibus insi-
diis, ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidauit. In qua victo-
ria etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tanta cladis
superfuit. Caput Cyri amputatum in vtrem humano sanguine reple-
tum conijci regina iubet, cum hac exprobratione crudelitatis, satia
te san-*

te sanguine quem sitisti, cuiusq́; insatiabilis semper fuisti. Iustinus lib.1.

AD CAPVT XXIII.

Equis adeo strigosis] *Vt totus locus aliquid lucis accipiat, adscribam verba Nicetæ in Ioanne Comneno Alexij filio. Forsitan autem Neocæsarea potitus esset Imperator, nisi casu quodam improuiso inconsulta & contumax superbia & iracundia prorsus effrænis Ioannis nepotis ex fratre Isaacio Sebastocratore illi obstitisset. Nam cum acie cum Persis decernendum esset, viso insigni equite Italico, Ioannem fratris filium, quippe cui equos non deesse sciret, Arabico equo descendere, eumq́; Italo dare iussit. At is homo elati animi, & iactantior quàm decebat, Imperatoris dicto non audiens, audacius, ne dicam impudentius refragatus est, Latinumq́; per contemptum ad pugnam prouocauit, iure accepturum equum, si vicisset. Sed cum patruo Imperatori, cui bilem efferuescere cerneret, diutius resistere non posset, equum dat inuitus, alioq́; conscenso animo æger, & iracundia æstuans, directa hasta in hostilem aciem tendit: ac paulo longius progressus, ea reflexa, & humeris imposita, galeáque capiti detracta, ad Persas* (ad Turcas, sæpius enim Persæ dicuntur, quia à Persis oriundi) *transfugit, à quibus cupidè & amanter suscipitur, tum quod eis dum cum patre exulabat, innotuerat: tum quod præsentia sua ipsorum res firmaturus esse putabatur. Neque multò post Christiana religione abiurata, Iconiensis Persæ filiam vxorem duxit.*

Nomine Solimanum Scachum] *Scachus aut regum, aut magnorum Principum, aut filiorum Imperatorum atque regum, procerum denique nomen, præsertim apud Persas, quemadmodum apud Hispanos Doni vocabulum. Padiscacher numero multitudinis sunt supremi Principes siue Scachi,* παντοκράτορες, *velut habentes vniuersum imperium, reges regum.*

Plurimas Imp. nouellas in Arabicam] *Nouellæ appellatæ sunt nouæ Iustiniani constitutiones, vt quæ codicis editionem secutæ sunt. Extant legum nouellarum Theodosij, Valentiniani, Marcianique libri. Harmenopolus lib.1.* εἰσὶ δὲ νεαραὶ, αἱ παρὰ τῶν κατὰ νόμους βασιλέων νέαι διατάξεις, πρὸς τὰς ἀνακυπτούσας ὑποθέσεις γινόμεναι.

AD CAPVT XXIV.

Sultanus Azatines *(fortè Aladines)* Christian.] *Parenthesin ego interposui. Hunc magno luxu in ByZantij compitis totos dies potando & comessando exegisse scribit Pachymerius lib.3.*

AD CAPVT XXV.

Ex præfectura Aeni, & Peritheorij] *Vrbem Aenum Aeneas Troianus exul in Thracia condidit, vt est 3. Aeneid.*

——feror huc, & littore curuo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis.

A Plinio lib. 4. cap. 11. & Mela lib. 2. non Aenum, sed Aenos genere muliebri, à Dionysio Aena dicitur, & id cum verbis poëtæ consentit. De Peritheorio sic scriptum est à Cantacuzeno lib. 2. cap. 38. Quin & aliam Thraciæ maritimam vrbem, ab Anastasio Imperatore, vt fama est, conditam, & ab eo dictam, tum autem destructam restituit (Andronicus iunior videlicet) non totam illam quidem: sed quantum potuit, mœnibus complexus, & Peritheorium indigitauit. Videtur dicta, quasi vndique, seu ex omni parte spectatu digna.

AD CAPVT XXVI.

Othmanes patern. regnum occipit] *Othmanes, siue Osmanes (non autem, vt plerique scribunt, Othomanus) in Annalibus Turcicis habet nomen Sultani Gazi, qua voce strenuus magnanimusq; miles significatur. Idem cognomentum Orchani filio, & Amurati nepoti, seu Vrchani, & Murati, (quomodo quidam malunt) tribuitur.*

Filij Amurij quidquid à Sangari fluuio] *De partitione prouinciarum armis acquisitarum inter 7. duces Turcicos, vide Laonicum, non longè à principio historiæ.*

AD

AD CAPVT XXVIII.

A Lazaro dolo necatus est] *Modum exponit Laonicus in extremo libri primi. Addit, regno præfuisse annis 57. longè pluribus videlicet, quam noster vult. Laudat eundem eximiè.*

AD CAPVT XXIX.

Dictus est idiom. Turcico Gilderun.] *Gilderun, siue Hildrim appellatus est; quæ voces Turcis & Tartaris sunt idem quod cum tonitru fulmen horribile. Tribuitur eidem & græcum cognomentū λαῖλαψ, id est, procella, siue turbo, quod præceps esset in actionibus, audiretq́; neminem. Titulum hunc eius, castris ipsius conspectis irrisit Temires siue Tamberlanes, eoq́; non propter animi virtutem, sed præcipitem audaciam dignum esse affirmauit. Scipiadas duo fulmina belli nominat Virgilius. Et Lucret. lib. 3.* Scipiades belli fulmē, Carthaginis horror. *Sic Ptolomæus Lagi nepos, Philadelphi frater dictus est κεραυνὸς, quod in bello quasi fulminaret, vt Maro de Iulio 4. Georg.* Cæsar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem.

Suis sedibus à Baiazete pulsi ad Temirem] *Occasionem belli, quod Baiazeti Temires, seu Tamerlanes intulit, eiusdem legationem ad Baiazetem, & arrogans illius responsum, in fine libri 2. disertè Laonicus persequitur.*

Constabat Ameræ exercitus centum quinquag.] *Longè minores copias Baiazetes duxit, quam Temires: nempe centum quinquaginta millia duntaxat: aut, (vt tradit Laonicus lib. 3.) duodenas tantum myriadas, ex Europa & Asia collectas, cum mille Triballis satellitibus, & custodibus suis, in quibus spei reponebat plurimum. Ille vicena supra octingenta millia in aciem eduxisse fertur. Nihilominus Baiazetes tantam multitudinem, se cum Alexandro M. (cuius minor fuit exercitus) Temirem cum Dario (cuius multis partibus maior) comparans contempsit.*

Caueam ferreā f. cur. in qua eum includ.] *Accumbente Tamberlane sub mensa item tanquam canis frustilla sibi proiecta miser colligebat. Equum ascendenti, dorsum vice scabelli præbebat, vt Sapori*

Persarum regi Valerianus Imperator. Coniux item pro pocillatrice ad mensam famulabatur. Magnum humanæ fortunæ ludibrium.

Ac paulò post morte afficit] *Laonicus lib. 4. refert ex aliis, nimia ægritudine ægrotantem, fato suo functum esse. Regnasse annis 25. Adeò præfractum, & temerarium fuisse, vt neminem monentem sequeretur; sed sibi soli confideret, quando eundum erat in hostes. Expirasse in Ionia, cum eo is hyberna monuisset Temires.*

AD CAPVT XXXII.

Qui Cyritzes cognominatus est] *De huiuscemodi Sultanorum cognomentis supra diximus. Notio autem huius mihi nondum liquet: nec eam ignorare magni est detrimenti.*

Apud Varnam oppid. rem malè gessit.] *Cladem hanc Varnensem sub Ladislao Hungarorum & Polonorum rege acceptam anno Christi 1444. disertè & distinctè Bonfinius rerum Hungaricar. Decad. 3. lib. 6. descripsit.* Rex feruentissimè prælians, dum Coruinum (Ioannem Hunniadem) ipsum eripere studentem, & vt vitæ suæ parceret, hortantem minimè audit, sed Martio furore prouehitur, dextero interim armo cōfoditur equus. Qui cum prolaberetur in præceps, inter medios Ianizarorum enses regem eiecit: & ita confluente ingenti Prætorianorum manu, cum regia gestaret insignia, telorum sylua confossus est. In acie ac fuga innumera vtrinque multitudo cæsa. Ex Turcis multo plures in acie, è Christianis, quos ad sedecim millia hominum fuisse perhibent, vix tertia pars rediit. Ex Turcis autem, qui ad hoc bellum cum sexaginta millibus hominum satè confluxerunt, triginta circiter millia interfecta fuisse dicuntur. *Sed hanc ipsam cladem non malè etiam noster Chronographus, quanquam breuiter, explicauit. Lege ibidem apud Bonfinium quibus verbis Amurates Turcarum rex Deum Christianorum ad vlsiscendam rupti fœderis iniuriam inuocarit.*

Tand. vit. monast. apud Prusam excoluit] *Apud Varnam magno in discrimine constitutus, vouit, si incolumis, & victor euaderet, abdicaturū se regno, abiturumq́; in Asiā, & vitam inter sacer-*

dotes

dotes ac Nazaraeos acturum. Voti damnatus Prusam petiuit, vbi cum Zichidis qui sunt Turcarum monachi, & cum aliis doctis ac religiosis Mahometanæ sectæ versatus est. Alij Mamissam vrbem nominant, vbi multitudo Religiosorum degeret.

AD CAPVT XXXIIII.

Nec tantam regni molem ætati tam immaturæ] *Natus erat tum Mahometes annos non plus viginti, aut certè nõ multò plus. Prudenter itaq; Vezires Amuratem iam senem monebant, ne puero gladium, quod est in prouerbio. Nam adolescentes, aut stulti atq; imperiti homines potestate abutuntur, rempub. malè administrant, ad suam nimirum, aliorumq; perniciem. Calimbassam tamen, seu Halimbassam inter Satrapas Turcarum auctoritate & opibus eminentem ei pro rectore attribuit, cui (vt suo loco videbimus) parum se se gratum præbuit. Verùm ista à Veziribus admonitio facta est, cum Pater ex Pannonia victor reuersus, regno vltro cessit.*

Caraman. Alisur. è mont. d. plerumque reg. occup.] *Mortuo Amurate Caramus Alisurius, qui iam antea non cessabat Asianos ad defectionem sollicitare, vt potentiam inde suam augeret, tum id maximè faciebat. Inuadens igitur cum exercitu regionem Mahometis, populabatur, & prædas agebat. Mahometes rei indignitatem non ferens, cum copiis illi occurrit, eius prouinciam vastauit, eumq; rursus in montes compulit. Princeps hic Cariæ ab aliis Caramanus dicitur, & ab eo appellata Caramania Cilicia, seu Caria.*

Profect. Trapezunt. illud quoque reg. cæt. addidit] *Anno circiter octauo à subacta Constantinopoli, Mahometes II. cum exercitu numerosissimo Trapezuntem terra mariq; oppugnatum profectus, ea citra prælium ac laborem potitus est, nec vrbem ipsam tantùm, sed prouinciam, siue regnum totum obtinuit, quod ab Amisunte initium sumens, vsq; ad Iberiæ (hodie Georgianam appellant, & Iberes illos Georgianos) fines porrigitur, oppidis, vrbibus, hominibus frequens. Ciues Trapezuntios trifariam partitus est. Vnam partem ipse sibi ac purpuratis suis in ministros asciuit. Alteram in vrbem Constantini colonos deduxit. Tertiam illic in patria habitare iussit,*

non

non quidem intra vrbem, sed extra mœnia. Ipsum regem Dauidem Comnenum, cum liberis, cognatis, & omnes eius primores in nauim coniectos, Constantinopolim deportauit. Hæc paucis ex Turcogræcia. Obsidio durauit dies 32. Finis Trapezuntio imperio impositus est anno Christi 1460. vide Laonicum.

Oppidum Hydruntem obsed. & occupauit] *Hydrus Pomponio Melæ, Hydruntum Straboni, Hydra Ptolemæo, Hydruns Appiano, oppidum Apuliæ. Hoc Turcæ aliquot diebus obsessum, muris ictibus tormentorum prostratis in potestatem redegerunt, die 11. Augusti anno Christi 1481. Ciues partim cæsi, partim in seruitutem abrepti. Matronæ stupratæ, virgines raptæ, sanctimoniales fœdatæ, adolescentes immani feritate trucidati, senes equorum calcibus conculcati, sacerdotes in templis iugulati, prægnantes cum fœtu dilaniatæ. Ipse Archiepiscopus senex, pontificia veste indutus, crucem tremulis manibus tenens, Christianos ad constantiam fidei exhortans, serra lignea frustatim dissectus. Octingenti circiter capti, cum nollent fidem Christi abnegare, educti oppido nudi, inter se ad constantiam cohortati, in parua valle (quæ nunc Martyrum vallis vocatur) occisi sunt. Eorum virtutem egregiam & inuictam fortitudinem pluribus explanat Leander Albertus in descriptione Salentinorum, regione Italiæ nona. Mortuo Mahomete, post crebras cum Turcis, qui Hydruntem tenebant, & infœlices dimicationes, oppidum Alphonso regi, Ferdinandi F. restitutum est.*

AD CAPVT XXXIV.

Hexamilium reædificauit.] *Isthmum denuò communiuit, seu muro inclusit, & firmauit. Sæpius in his annalibus sic nominatur Isthmus, à sex milliarium longitudine, vt videtur. De eo vide Laonicum lib. 4.*

Patricius Nicetas trirem. per arid. Isthmi.] *Fecit quiddam simile Mahometes in obsidione Constantinopolis, vt lib. 3. narratur. Fecit primus Augustus in bello Actiaco. Atq; hac de caussa, quia nauigationi impedimento est, multi perfodere Isthmum, sed frustra conati sunt. Vide parœmiam, Isthmum perfodere.*

AD

AD CAPVT XXXV.

Omnes Michaël. Balbum Aug. auxil. poſceb.] *Quæ hîc de Agarenorum populationibus, & Creta ab iiſdem incurſata referuntur, compendio à Zonara in Michaële Balbo, ſub finem recenſentur.*

Inſulæ bonitat. fertilitatemque] *Vberrima regna vocat Virgilius. Plin. lib. 25. cap. 8. perſuaſum fuiſſe ait, Cretenſibus ipſis, an aliis, quidquid in Creta naſceretur, infinito præſtare cæteris eiuſdem generis alibi genitis.*

Quam p. his verbis commend. Creta honorat. Iouis nut.] *Poëta ille, ni fallor, Homerus eſt. Locus non occurrit. Honorata autem Creta vel ob hoc ipſum, quia Iouis nutrix,* & quid Ioue maius habetur? *vt eſt apud Ouidium. Iouis magni inſulam vocat Anchiſes 3. Æneid. Nam cùm multæ ſint nationes, quæ apud ſe natum, & educatum Iouem gloriantur, verior eſt ſententia, in Creta natum & educatum, cuius etiam ſepulchrum in eadem inſula oſtendebatur, vt teſtis eſt Cic. 1. Tuſculana.*

Naues ne vna q. except. concrem.] *Alexander M. tranſiturus cum exercitu in Indiam, cum præ multitudine ſpoliorum grauem iam videret, tardumque exercitum, inſtructis ſummo mane curribus, primum ſuis, ſociorumque impedimentis ignem iniecit, idemque deinde reliquos facere Macedonas iuſsit, & quæ ſequuntur apud Plutarchum in Alexandro. Quonam modo deluſus ſit Iulianus Imp. à duobus transfugis ſimulatoribus in Perſide, vt igni ſuis nauibus iniecto, omnes præter 12. cremaret, cum eſſent triremes 700. onerariæ 400. narrat Zonaras in Iuliano.*

Creta vna ex ſeptem nobilib. inſulis.] *Vnde Creta appellata, quære apud Stephanum. Plinius lib. 4. cap. 12. Doſiades eam à Creta Nympha Heſperidis filia, Anaximander à rege Curetum, Philiſtides, Mallotes, Crates primùm Aëriam dictam, deinde poſtea Curetin, & Macaron nonnulli à temperie cœli appellatam exiſtimauere. Hodie quidem Candiæ nomen obtinet, à vocabulo vrbis recentioris, quæ in ea eſt. Sabellicus initio lib. 9. Decad. 1. rerum Venetarum, vbi plura de eius nominibus, quam & ibidem deſcribit. Quæ*

autem sint istæ septem insulæ nobiles, alius dixerit. Forsan in eo numero Cyprus, Sicilia, Anglia reponantur.

AD CAPVT XXXVI.

Est autem hæc insula montib.] *Tota descriptio huius insulæ, & quomodo ab Agarenis occupata sit, ex Ioanne Curopalata sunt petita. Describitur etiam à Strabone lib.10. Plin.lib.4. cap.12. Solino cap.70. Mela lib.2.cap.7. post alia hæc de Creta. Vrbium notissimæ Gnosus, Gortyna, Lyctos, Lycastos, Holopyxos, Phæstos, Cydon, Monethusa, Dictynna, &c.*

Vrbes antiquæ supra nonag.] ἑκατόμπολιν *vocat Homerus 2. Iliad. Ex quo Virgil.3.Aeneid.* Centum vrbes habitant magnas. *Horat.Ode 9.Epod.*

Aut ille centum nobilem Cretam vrbibus
Ventis iturum non suis.

Plin.lib.4.cap.12. Ipsa Creta altero latere ad Austrum, altero ad Septentrionem versa, inter ortum occasumq́; porrigitur, centum vrbium clara fama.

Cum Rhadamanto in beator. insulis Iudicem] *De Minoë Virgil.lib.6.*

Quæsitor Minos vrnam mouet: ille silentum
Conciliumq́; vocat, vitasq́; & crimina discit.

Idem de Rhadamanto eodem lib. Gnosius hæc Rhadamantus habet, durissima regna. *Aeaci, qui tertius est iudicum, nusquam meminit. Duos priores etiam nominat Cic.1.Tuscul. Mentio Minois est apud Horatium Ode 7.lib.4.* Cum semel occideris, & de te splendida Minos Fecerit arbitria. *De rebus Minois Diodorus lib.5.cap.15. De insulis beatorum Cic.5.de finib. Veteres Philosophi in beatorum insulis fingunt qualis sit vita sapientium. Et in Hortensio. In beatorum insulis, vt fabulæ ferunt, immortale æuum degunt. Dicuntur & insulæ Fortunatæ & fortunatorum: à Græcis* μακάρων νῆσοι, & ὄλβιοι νῆσοι. *De his Plaut.Trinummo.*

Sed iste est ager profectò, vt te audiui loqui,
Malos in quem omnes publicè mitti decet.

Sicut fortunatorum memorant insulas,
Quò cuncti qui ætatem egerunt castè suam,
Conueniant: contra istoc detrudi maleficos
Aequum videtur, qui quidem istius sit modi.

Eas festiuissimè describit Muret. variar. lect. lib. 5. Strabo lib. 1. Plin. lib. 6. cap. 32.

Alias igni græco incendit] *Ignis hic in isto Commentario semper vocatur ὑγρὸν πῦρ, ignis in humido ardens, vt opinor.* Est autem qui à nobis dicitur ignis græcus, inuentus anno Domini 679. siue vt aliis placet 664. Callinicius enim Architectus ab Elcopoli Syriæ ad Romanos confugiens, ingenio ignem à se compositum edidit, quo vsi in Saracenos Romani, illorum naues exusserunt. Vbi igitur in vsu esse cœpit, maximæ ex eo res in superādis hostibus confectæ sunt. Cum enim Inger Russorum rex Constantinopolim mille, & eo amplius nauibus profectus expugnandæ vrbis caussa fuisset, à Romano tum ibi rerum potiente profligatus est, omnibus nauigiis græco igni exustis. Sed & Hugo olim in Gallia se pro rege gerens, cum ignem hūc ab Imperatore Constantinopolitano ad se missum accepisset, Fraxinetum diu oppugnatam, etiam nauibus Saracenorum exustis expugnauit. Hinc illi nomen græcus, quod Græco inuentore in orbem prodierit. Alij illum maritimum appellant, quod maritimo bello conficiendo sit aptissimus, dum maritimis aquis contemptis, vrendi vsum exercet. [*Hinc etiam intelligi quodammodo potest, cur ὑγρὸν πῦρ vocetur.*] Eius autem vis tanta est, vt nullo liquore, præterquam aceto extingui possit. Quod si arte confectus, aut compositus sit, tametsi Latini inuentores fuerint, Græcum dicemus ob virtutis similitudinem: at si id naturà igni sit inditum, quia artis non est inuentum, proprio alio nomine ex loco, vel ex effectu denominabimus. Exemplo sit ignis ille, qui apud Coloniam Vbiorū visus est, cum Agrippina Claudij ibi moraretur, paulò antequam obiret. In ea enim vrbe agroque magnis hiatibus aperta est tellus, ignemque emittebat, qui neque aquis, neque humore poterat extingui; saxis autem & pannis duntaxat opprimebatur.

mebatur. Hæc breuiter ex Canicularibus Simonis Maioli, Colloquio
XXII. ex optimis scriptoribus, quos adducit, ab eodem desumpta.

AD CAPVT XXXVII.

Imperator Romanus Puer] Puer dicebatur, non quod pue-
rili ætate regno potitus esset (iam enim vir erat) sed ad discrimen Ro-
mani, aui materni, senis prouectæ ætatis. Si quis autem eum Puerum
dictum putet ob vitam pueriliter actam, id quoq; moribus eius est con-
uenientissimum. Zonaras. Is verò potestatem vniuersam malis &
imbellibus eunuchis tradens capiendis feris, & venando misere occu-
pabatur, inquit Manasses.

Omnia insulæ castella sub se redigit] Nicephorus Phocas,
Magister, Domesticus legionum, cum iustis copiis cõtra Cretenses Sa-
racenos missus, & septem mensibus sæpissimè cum iis congressus, atq;
omnibus obsidionalibus machinis eorum oppidis admotis, ea subegit:
Chandacem metropolim vastauit: Curupem Ducem eorum, & ab illo
auctoritate proximum cepit. Ac nisi ob constantem famam, qua fere-
batur, Romanum, qui Agarenos Creta pulsurus esset, omnino Romana
sceptra arrepturum, Phocas inde reuocatus fuisset, fortassis insula pe-
nitus subacta, Saraceni pulsi essent. Ita Zonaras, vnde noster decer-
psit. Similia in Annalibus Constantinus Manasses.

Ipsam metropolim Chandacem] Chandax non Cretensium,
sed Agarenorũ metropolis fuit. Fossam primùm altam fecere (ingressi
insulam Agareni) inquit Curopalata, quam valle benè muniendam
curarunt, ex quo etiam nunc cognomen tunc impositum retinet locus,
Chandax appellatus, ibiq; pernoctabant. Charax verius diceretur, sed
vsus vnam consonantem in alias duas mutauit.

Cum Itali (Latini) monarch. in princip. var. diuis.] Quo-
modo diuiserint ostendit, sed parum accuratè. De eadem sortitione
Nicetas libro de rebus post expugnatam vrbem gestis. Occasione au-
tem occupatæ à Latinis Constantinopolis, & imperij sede Nicæam
translata, duces nonnulli, qui prouincias occidentales regebant, eas
sibi vt proprias vendicarunt; quoniã Romanis Imperatoribus Thra-
ciam, & Macedoniam Latinis tenentibus, ad illas transitus non
patebat.

patebat. Ita docet Mag. Domesticus, Cantacuzen. lib. 2. cap. 38. Idem ex Prætore Græciæ, auctore nondum in latinum conuerso, quem penes se habuit, Leunclauius refert, in hæc verba. Qui duces aliis in locis alij fuerant hactenus, singuli regionem administrationi suæ commissam, tunc sui iuris efficiebant: vel ad hoc impulsi motu proprio: vel ab incolis ad defendendam regionem arcessiti.

Balduinus Fland. comes Constantinop. Imper. salutatus] *Danduli Venetorum Ducis opera, cui res commissa. Hunc Balduinum ita commendat Nicetas.* Vir erat pius & modestus, ne impudico quidem aspectu mulierem intuitus, quamdiu à sua coniuge abfuerat. Vacabat diuinis laudibus, necessitatibus conflictantes subleuabat, suæ sententiæ aduersantes æquo animo audiebat. Et quod maximum est, bis qualibet hebdomade vesperi proclamari iubebat, ne quis in suo palatio cubaret, qui alienam mulierem attigisset.

AD CAPVT XXXVIII.

Latitud. ab vno mari ad alt. ὀργυαὶ 3800.] *Videndum quomodo hoc mensuræ genus accipiamus. Suidas,* ὀργυὰ τὸ μεταξὺ τῶν ἰδίων χειρῶν μέτρον, mensura quæ inter expansas vtrinque manus continetur, *quam Plinius appellat vlnam, & ita plures Lexicographi interpretantur. Hesychius exponit etiam* τρεῖς πήχεις tres cubitos. *Porrò Plinius* ὀργυὰν *decem pedes longam facit, Herodotus tantùm sex. Quidam apud auctores verterunt passum, alij, tres passus. In descriptione Peloponnesi Strabo lib. 8. Isthmum, inquit, quâ naues per sulcum quendam terra ab vno mari ad alterum traducuntur, stadiorum esse quinquaginta dictum est.*

Ad pontum Euxinum, siue nigrum mare] μαυροθάλασσα *dicitur, propter nebulas ibi assiduas. Feruntetiam in eodem quotannis ad sexaginta naues interire. Propter inhospitalitatem & immanitatem accolarum pontus hic olim dictus Axenus: postmodum sublatis Scytharum latrociniis, vbi Iones aliquot circum oppida condiderunt, vbi cum Græcis contrahi cæptum est, mutato nomine appellatus est Euxinus. Ouid. de Ponto.*

Frigida me cohibent Euxini littora Ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Pontus olim dictus Euxinus, vel hospitalis (inquit in Pandect. ad annales Turcicos Leunclauius) per contrarium sensum, velut Axenos & inhospitalis, nunc à Turcis Caradenzi vocatur, à Græcis μαυροθάλασσα, idem vtroque nomine significante, videlicet mare nigrum. Nomen hoc ei datum, non quod aquas habeat nigras, quæ profectò limpidissimæ sunt: sed à subitis fœdisque tempestatibus, quæ prius placidum ac serenum, paulo momento nigris tenebris inuoluunt. E diuerso mediterraneum mare, non tantis obnoxium mutationibus, sed longè serenius, illis Acdenizi dicitur, his aspra thalassa, id est, album mare. Germani etiam daß schwartze Meer.

AD CAPVT XL.

Simil. esse form. auctori relig. ip. Mahometo] *Suo quidem ipsorum iudicio magis laudare non potuerunt. Ego tamen de forma scelerati illius singulari & regia nondum quidquam legi. Vidua illa diues nouerit, quæ ipsi, seruo suo nupsit. Quam cum morbo comitiali laboraret, impudentissimo mendacio de Gabriele Archangelo sibi apparente, secumque colloquente, cuius splendorem & maiestatem ferre non posset, ludificatus est.*

AD CAPVT XLI.

Per diuin. angelicumque habitum Matthæus] *De ista pietate Græcorum Imperatorum Imperatricumque supra dixi. Tantum moneo lectorem, obseruet, quàm reuerenter de habitu monastico loquantur Græci, quo his temporibus apud multos nihil est despicabilius. Diuinus est, & angelicus, quoniam reuera qui eum induti viuunt, vt debent, diuini quidam, & angelici homines sunt. Atqui plurimi non ita viuunt vt debent. Quid tum? nec in purpura, & diademate omnes fuerunt, quales esse debuerunt: ipsa tamen purpura & diadema etiam in malis regibus, & Imperatoribus venerationem & dignitatem retinent. Quam multi sub habitu & insignibus Magistrorum &*

& Doctorum indoctißimi sunt? ipsa tamen insignia spernenda minimè sunt.

Quod Despœnæ form.nat.negauisset] *Moribus quidem optimam, sed non ita formosam, etiam Laonicus ait lib. 4. Proinde nec cohabitabat, nec Veneris fœdus cum ea inibat: tantum mulieris obrepserat fastidium. Mulier animaduertens, se marito esse inuisam admodum, naue conscensa ad genere propinquos se recepit. Ipse interim matrimonio sibi iunxit Sarmatiæ (quæ & Rußia) principis filiam. Affirmat tamen idem Laonicus lib. 5. ei reconciliatum, suauiter in posterum cum eadem vixisse. Sed hoc ante discessum eius in Italiam contigerit. Nam inter coniuges bellum & pax vicißim sunt.*

IN LIBRVM SECVNDVM.

AD CAPVT I.

SPiritualis pater eius Macarius] *Huiusmodi patres dicebantur* πνδυματικοὶ, *erantq́; Imperatoribus à confeßionibus, & consiliis spiritualibus, & eorum animas ad salutem regebant & dirigebant, & non secus quam patres ab illis obseruabantur colebanturqúe. Officium spiritualis patris exponitur in historia Cantacuzenica libro 2. cap. 16. Patrem etiam spiritualem nominabant monachi eum, cuius se arbitrio in monasteriis totos tradebant ac dicabãt: quem nunc Abbatem, aut Priorem, aut Præpositum dicere solemus.*

AD CAPVT II.

De modo monasticæ profession. Theod.] *Hunc Theodorum non Andronici, Ioannis, Constantini, Demetrij ac Thomæ fratrem, sed Andronici filium fuisse scribit Laonicus his verbis. Andronicus autem profectus ad fratrem in Peloponnesum, victum in Mantinea Laconiæ habuit. Morbus cum in dies inualesceret, tandem vita functus est, Theodorum, qui defuncti quoque filius erat, misit ad fratrem Theodorum Porphyrogenitum, vt eum Peloponnesi successorem relinqueret,*

queret, &c. sed errat Laonicus; nam noster apertè Constantini fratrem vocat.

Consobrina Caroli Theod. adducitur] *Hic Carolus fuit Caroli Principis filius, & consobrinam hanc suam, id est, Leonardi patrui sui filiam, Constantino collocauit.*

Ad sinum Messeniacum] *Sinus porrò sunt (Peloponnesi puta) Messeniacus, Laconicus, Argolicus tertius, quartus Hermionicus, tum Saronicus, quem alij Salaminiacum dicunt. Horum alios Africum, alios Creticum, & Myrtoum maria implent. Sunt qui Saronico etiam maris nomen tribuant. Strabo.*

Omnibus odiosus ille fluuius] Πάμμισον ποταμὸν *appellat auctor. Quis autem sit hic fluuius, adhuc quæro, & tu licet mecum quæras. Quis enim aut nouit omnia, aut quæ nouit recordatur omnium?*

AD CAPVT III.

Qui cum Padiate egerant] *Forsitan officij, aut magistratus nomen est Padiates, aut familiæ, è qua quispiam Patris magistratum gerebat. Apud Nicetam in Manuele Comneno dux quidam, Theodorus Padiates vocatur. Permulta sunt in his libris, ad quæ percipienda coniecturis opus est. Porrò quoniam multus est sermo apud nostrum de obsidione, expugnatione, possessione huius vrbis, visum est faciendum, vt quædam è Laonici lib. 5. ad perspicuitatem toti rei conciliandam hîc apponeremus. Postea duxit exercitū (Ioannes) contra Patras Achaiæ vrbem quam obsidione circumdedit. Deinde relicto fratre Constantino, cui vrbis oppugnationem mandarat, nauem conscendit, & Byzantium proficiscitur. Cum multum iam temporis mœnibus vrbis assedisset, nec tamen vrbs in manus venisset, proditionis consilia oppidani cum Constantino agitant. Aberat enim vrbis Episcopus, profectus in Italiam auxilij petendi gratia: & longas ibi agebat moras, vt à Pontifice id acciperet. Hanc Achaiæ vrbem Italici Principes, qui Peloponnesum regebant, ex familia Malatestarum orti, occupantes, vnum quidem dederunt vrbi Principem: alterum elegerunt, qui eam administraret, & semper apud Pont. Rom. moraretur. Vrbs ista vbi concessit in ius, & potestatem Romani Pontificis, accepit episcopum,*

quem

quem misisset Pontifex, vt vrbem eam gubernaret. Eo tempore Episcopus qui rempub. curabat, missus à Romano Pontifice, natus erat ex familia Malatestarum. Hanc vrbem vbi dominio suo iunxit Constantinus, etiam arcem expugnare aggressus est: cui expugnationi integrum annum insumpsit.

AD CAPVT V.

Sorori trium Archiepiscoporũ, &c.] *Quanam ratione istuc verum sit, alius exquirat, cui plus otij est. Sanè à matre nobilißimum fuisse Nicolaum Cabasilam hinc planum fit. In historia Cantacuzeni lib. 4. est sacellij curator, id est, sacrarũ ædium Præfectus. Eidem Cantacuzeno monachismum parturienti addebant se socios Cabasilas, & Demetrius Cydonius, qui externæ sapientiæ fastigium attigerant, & moribus philosophantes, vitam cœlibem, coniugaliumq́; molestiarum expertem amplexi fuerant. Quocirca præcipuum gratiæ, & amicitiæ & familiaritatis locum apud Imperatorem obtinebant. Huius Cabasilæ cum libros VI. de vita in Christo in bibliotheca Bauarica reperissemus, eos nuper latinitate donatos publicauimus.*

Inq́; S. Demetrium poëmata] *Thessalonicensis Prætor fuit hic Demetrius Martyr. Cognomen illi datum μυροβλύτης, propter oleum ex sacro eius corpore distillans, multis morbis sanandis salutare. A Græcis ponitur 28. Octob. à Latinis 8. eiusdem mensis. Summa illum veneratione, & à puero coluit Andronicus iunior, vt est videre lib. I. apud Cantacuzenum. Multa præclara de eodem Martyre Gretserus noster, annotat. in cap. 53. lib. eiusdem.*

AD CAPVT VIII.

Vt legi transcripsi, rursumq́ue obsig.] *Græcè est, ὃ ἀνεγνωκὼς αὐτὰς, καὶ μεταγράψας, πάλιν σφραγίσας εἴασα αὐτάς. Quæritur, quo pacto illud verbum,* obsignaui *intelligendũ sit, si literas resignauit. Si enim antea cera obsignabãtur, quo tandem modo rursus signo saluo & integro obsignare potuit? hæreo.*

AD CAPVT IX.

Ad S. Mauram insulam] *Parua insula est Maura, vicina Tenedo, habens vrbem eiusdem nominis, vt aliquot aliæ insulæ.*

Inclytam Thessal. armis subiugauit] *Rogabatur Amurates à Ioanne Imp. vti à bello Thessalonicensibus inferẽdo desisteret. Respondit. Si illa ciuitas regno tuo subiecta esset, abstinerem, amice, hac expeditione. Quia vero ditionis Venetorum est, ibo contra, & Deo bene iuuante expugnatam, mihi subiiciam. oppugnauit, cepit, magno Græcorum numero interfecto. Noluerant enim vllo modo deditionem facere, quamuis magna pollicito: sed ad extremum vsque spiritum restiterant. At Latini, qui numero pauci inerant, fœminarum modo clam aufugerunt. Acciderunt indigenis Thessalonicensibus multa grauissima, cædes, captiuitates, in alia ex aliis locis venditiones, charorum inter se distractiones, per orientem occidentemq́ dispersiones, dulcis patriæ amißio, & alia generis eiusdem, nullo crudelitatis genere ab impiis, ceu ferocißimis bestiis prætermisso. Hæc Turcogræcia.*

AD CAPVT X.

Domina Cleopa filia Malatestæ] *Hæc mulier Itala, Malatestæ ducis Marchiæ filia cum Theodoro, Theodori ex Andronico fratre nepote nupta fuit, si vera narrat Laonicus, qui odio vxoris permotus, monachus fieri voluit. Theodoro Porphyrogenito coniugem tribuit Rhainerij Corinthi & Athenarum Principis filiam, ex qua nullos genuerit liberos. Veruntamẽ Protouestiarius expresse Theodori senioris, & Porphyrogennetæ vxorem facit, qui cum sentire malo. Eam funebri oratione laudauit Georgius Gemistus Pletho. Extat in manuscripto codice Augustano. De Malatestis Arimini Principibus multa sanè in descriptione Italiæ Leander Albertus, in Romanula. Nominat eius familiæ complures viros insignes. Sed & hanc mulierem, quæ tantum decus suis peperit, nominare conueniebat.*

Festi dominici quod ὑπαπάντη] *Sciendum, Græcis* δεσποτικὰς ἑορτὰς dominica festa *appellari præcipuos dies festos anni, quales sunt Christo, aut Spiritui sancto dicati, vt Natalis, Circumcisionis,*

nis, Purificationis, Resurrectionis, Pentecostes, &c. Iam verò qui dies apud nos Purificationis nomen habet, eum iidem Græci nominant ὑπαπάντην occursum. *Tum enim mirabiles, & inexspectati occursus contigerunt. Occurrit enim viduitas virginitati, infantia senectuti, hominibus Deus.*

Iniussu magni Domini] *Docuimus antea, ab Italis Turcarum regem Il gran Signor vocari. Græcè est* τοῦ μεγάλου αὐθέντου. *Miram vim addit epitheton, Magnus, adeo, vt Magnus Dominus plus, quàm magnus Princeps, aut magnus rex significare videatur.*

AD CAPVT XII.

Incredulitatem vestram magniloquent. Isaias] *De fide adhibenda in rebus diuinis, & captum nostrum superantibus, locus est egregius apud Theodoretum sermone 1. de Fide. Opus est nobis oculis intellectus, inquit, ad ea cognoscenda, quæ vim habent, vt intellecta percipiantur. Sicut enim oculis corporis indigemus ad ea conspicienda quæ cerni possunt: ita indigemus & fide ad diuinarum rerum aspectum. Nam quod est oculus ipse in corpore, hoc est fides in discursu animi, & ratione. Aut potius, sicut luce oculus indiget, per quam sibi visibilia ostendantur, pari modo & intellectus indiget fide, quæ diuina sibi ostendat, quæque stabilem de iis rebus conceptum, perpetuumque conseruet.*

AD CAPVT XIII.

Florentiæque coactam synod.] *Primùm Ferrariam indicta fuit: pestis caussa postmodum Florentiam translata, ibique finita post biennium. Sed ad initium huius capitis illustrandum, caussamque synodi coactæ, & exitum eius intelligendum, iuuat quædam ex Turcogræcia huc transcribere.*

Hæc & similia Imperator (Ioannes) cernens, quomodo immanis iste Agara oriundus canis vrbes subigeret (quasdā prætextu speciem habente: nonnullas verbis lenibus, & falsis promissis: alias vi atque oppressione, omnem lapidem mouens,

nullum dolum omittens, ſemper aliquid deuorare cupiens) de proficiſcendo in Italiam conſilium cœpit: & conſtituendo quamlibet difficili cum Latinis Religionis conſenſu: vt hoc modo aliquibus ſubſidiis comparatis, Agarenũ propulſaret. Qua de re cum ad Papã Eugenium ſcripſiſſet, huic res auditu iucunda fuit, de concilioq; conflãdo cogitauit, in quo vna ex duabus cõcors Eccleſia efficeretur, ſi fieri poſſet. Itaq; & ſumptus miſit, nauesq; neceſſarias. Nec Papa modo, ſed etiam Cardinales, & alij conſenſus cupidi erant: quippe quem ſæpe tentaſſent, ſed nihil profeciſſent, multarũ offenſionum incurſu. Significauit igitur Imp. ditionis ſuę Principibus, ſacerdotibus, & viris ſtudio literarum deditis, eruditionisq; laude pręſtantibus, qui Conſtantinopolim aduenerant. Horũ præcipui erant Trapezuntius, Philoſophus Amyrutza, Nicæę Beſſario, Ruſſię Iſidorus, Gemiſtus Pletho philoſoph⁹, & alij delecti. Qui cum ad ſacrum faciendũ cum Patriarcha Ioſepho (qui poſtea Florentię diem ſuũ obiit) conueniſſent, liturgia in maxima diuini logi Sapientię templo peracta, nauigare inde decreuerunt, Exarcho, ſeu inceptore ſynodi deſignato Marco Eugenio Epheſi Metropolita. Delati in Italiam cum ad Latinos veniſſent, poſt plures congreſſus, & integri biẽnij moram, ſanè vnionem ſeu conſenſum fecerunt, quemadmodum acta Florentina huius quæ octaua nominatur ſynodi perhibẽt: ſed exitu nullo bono: eò quòd ſubſcribere recuſaret Epheſinus, & verborum cõcertationes, poſtquam Conſtantinopolim rediiſſent, alias denuo multi ſererent. Ea cauſſa fuit nullius poſtea ſummiſſi auxilij. Sed Hylã, vt prouerbio dicitur, tanto tempore clamauerunt.

Non Imp. princip. n. ſed œconom. quærit] *Imperium Orientale olim ampliſſimum (quod & Conſtantinus lib. 3. cap. 14. oſtendit, cum milites ſuos in vltimo illo certamine ad rem fortiter gerendam hortatur) hodie tantopere imminutum & acciſum cernitur, vt qui illud regit, nõ iam Imp. id eſt, multorum regnorum dominus, ſed vnius cuiuſdam, licet magnæ familiæ curator videri poſſit: cui non tam quomodo rem ſuam augeat, quam quomodo conſeruet, laborandum ac prouidendum ſit. Hanc ego verborum iſtorum ſententiam eſſe iudico.*

AD

AD CAPVT XIV.

Ei obuiam volant nauiculæ,&c.] *Splendidißimo apparatu à Venetis Ioannes Imp. exceptus est. Aduentus illius Venetias, meminit quidem in historia Veneta Sabellicus: sed qua pompa, quibus plausibus introductus sit, nec vnum gry habet. Ac miror, hominem diligentem nihil horum inuestigasse. Magis etiam in ea mutus est quam piscis Laonicus. Immò nec de eius aduentu in Italiam, & Ferrariam vllum verbum facit.*

Vrbem verè admirandam] *Et hoc, & alio loco lib. 3. satis hanc vrbem commendat. De situ eius & constructione Caßiodorus lib. 12. Variarum. Venetiæ prædicabiles quondam plenæ nobilibus, ab Austro Rauennam Padumq́; contingunt, ab oriente iucunditate Ionij littoris perfruūtur: vbi alternus æstus egrediens modò claudit, modò aperit faciem reciproca inundatione camporū. Hîc vobis aliquantulū aquatilium auiū more domus est. Namq́; nunc terrestris, modò cernitur insularis. Vt illic magis æstimes esse Cycladas, vbi subitò locorum facies cernis immutatas. Earum quippe similitudine, per æquora longè patentia, domicilia videntur sparsa, quæ natura non protulit, sed hominum cura fundauit. Viminibus enim flexibilibus illigatis, terrena illic soliditas aggregatur, & marino fluctui tam fragilis munitio non dubitatur opponi, &c. Cui otium est, legat Sabellici rerum Venetarum Panegyrica. Eiusdem præterea de situ vrbis Venetæ libros 3. Laonicus lib. 4. inter alia multa de laudibus & institutis huius vrbis. Ciuitas ista duobus omnes Italiæ vrbes antecedit, videlicet domorum magnificentia, & ædificiorum, quæ in mari sunt ædificata apparatu. Excellit & opulentia, quæ penes ciues est. Nam cum sit mercaturæ & negotiationibus idonea, fit vt incolæ plurimas hinc colligant opes, &c. Adscribam epigramma Iulij Scaligeri de potentia Venetiarum.*

Peruia barbaricis tellus Oenotria turmis
Pertulit impositi pondera dira iugi.
Ipsa suos fleuit populares Roma Quirites:
Sensit & indomitæ noxia tela manus.

Haud tulit hoc Genius: cuius fatalibus ausis
Tutior in medio Roma renata mari est.
Clara virûm virtus animo: insatiata cupido
Imperij: vastæ non numerantur opes.
Iupiter, haud temerè tua sunt ita dissita cœli
Mœnia. Si possunt tangere, parte cares.

Templum illud S.Marci] *Qua occasione Veneti corpus S.Marci Euangelistæ Alexandria auexerint, narrat ordine, & diligenter in historia Veneta lib.2.Decad.1.ad finem Sabellicus.*

AD CAPVT XV.

Hora sexta cum honore, &c. ingressus est] *Anno 1438. cum fratre, & quatriduo post Iosephus Patriarcha senex. Celebratum concilium in templo S.Georgij. Disputarunt Græci 6. Marcus Ephesius* εὐγενικὸς, *Isidorus Rhutenus, Bessario Nicænus, Theodorus Xantopulus magnus Sacrista, Syluester Balsamon, magnus Bibliothecarius, Georgius Gemistus Pletho. Præcipui fuerunt Marcus & Bessario. Præcipuè respondit Iulianus Card. Cæsarius. Nicolaus Secundinus Cretensis Græcorum sententias latinè est interpretatus.*

Habens in Stratorio aquilas aureas] *In gratiam Imp. etiam Veneti, vt suprà vidimus, cum aquilis aureis occurrerunt. Et in calceis quoq; gestabant auro depictas aquilas, vt cognosces lib.3.cap.18. dum vrbs capitur. Ideo autem insigne Romanorum aquila, quod vt illa auium regina, ita ipsi gentium domini. In ea etiam omnes virtutes regiæ elucescunt. Vide Pierij Hieroglyph.in Aquila.*

AD CAPVT XVII.

Pro consuetud.serta nob.imposuer.] *Sacerdos sponso & sponsæ nuptias acturis serta imponebat, & octauo die iisdem serta demebat, non sine sollemni precatione. Vide Euchologium Græcorum, vbi vocatur* ἀκολουθία στεφανώματος, officium coronationis.

Qui canicleo præerat] *Genus quoddam honoris summi fuit præesse*

præesse Canicleo. Fuit autem Canicleum arx & monasterium Constantinopoli in vrbe, quod socero Imperatoris, si esset, honoris ergò dabatur incolendum. Et is coram Imp. genero vehebatur, nec tenebatur coram eo in pedes procidere, vt alij omnes qui in dignitate erant Imperatoris beneficio. Ita Scholiastes Curopalatæ de Officiis aulæ Constantinopolitanæ.

Et Bessarion Nicææ Episcop. qui Romæ sedē] *De hoc summo viro nonnulla ex elogio, quod illi confecit Paulus Iouius, apponam, quæ huic loco sunt perapposita.* In celeberrimo gentium omnium concilio, quo Florentiæ disceptantibus Gręcis & Latinis, prę sidenteque Eugenio, Christiani dogmatis fides publici consensus auctoritate firmata est, Bessarionis Nicæni mirifica virtus senatorij ordinis ornamentum promeruit. Datum est enim honori totius Græciæ ab antiqua pertinacia discedenti, vt duo eius nominis, Isidorus scilicet atque Bessarion in purpura conspicerentur. Sed in Bessarione virtutes omnes vsque adeò præcellenti temperamento concentuque ad imitationē respōderunt, vt nemo eo Christiana probitate spectatior, nemo admirabilior doctrina, & nemo deniq; generosis moribus ornatior atq; splendidior hoc ipso, à morte eius sexaginta annorum curriculo in senatu conspectus sit. Senatoriam enim grauitatem ore probo atq; blandissimo condiebat, ac ipsam viri optimi famam domi & foris nitida ac hospitali disciplina, & liberalis animi beneficentia tuebatur: cum subactæ Turcarū armis, & ideo concidentis Græciæ ingenia diu iactata mari & terris, apud eum certissimum salutis portum inuenirent, & qui in Academia nomen darent, eodem patrono atq; hospite vterentur. Habitabat sub Quirinali ad sanctos Apostolos: deducebatur autem mane in Vaticanum, non exculto quidem & numeroso, sed vno virtutis nomine decoro maximè comitatu: quandoquidem præclara græcæ, latinæq; linguæ lumina, peregrinorum requisita oculis, circa eum in triuiis ciuium digito monstrarentur. In his enim sæpe conspecti sunt Trapezūtius, Gaza, Argyropylus, Plethon, Philelphus, Blondus, Leonardus, Pogius, Valla, Sipontinus, Campanus, Platina, Domitius

tius nullo æuo perituri, &c. *Adde his ex Laonici lib. 6. Bessario tanto erat instructus à natura intellectu, vt præstantissimos Græcorum non dico æquaret, sed superaret. Iudicio in re qualibet plurimùm pollebat. Græcarum, latinarumq; litterarum peritia tanta huic viro inerat, vt facilè eruditionis palmam inter omnes caperet. Nicolaus Eugenij successor virum hunc coluit plurimum. Quapropter vrbi Boniæ opulentæ illum præfecit. Cùm autem ea vrbs vsq; seditionum procellis iactaretur, & seditiosi vsq; contendere inter se nō cessarent, planè inter istos tumultus vir ille diuinus apparuit.*

AD CAPVT XVIII.

Vti rex per se prælium consereret] *Non æquè prudens horum iuniorum consilium fuit suadentium, vt postea Ianci dissuadentis, cui etiam euentus fauit; quamuis ex euentu consilia æstimanda nō sint. Prudentius autem consuluisse patet ex doctrina Onosandri, eximij doctoris militaris, eadem sed fusius differentis Strategici cap. 33. Imp. si quando ipse decertet, caueat diligenter ne sit audacior, aut potius manum cum hoste non conserat. Nam licet præstabilem fortitudinis operam naure poßit, non tamen tantum suis pugnando proderit, quantum occumbendo oberit. Illius enim prudentia longè anteponenda fortitudini. Et sanè animum suum induxisse censetur, de rei & exercitus totius interitu minimè esse sollicitum, quia scilicet eius, in quo omnium salus versatur exitium parui facit, & omnes quoq; omnino secum vnà profligari dolo malo velle videtur. Reliqua ne sim longior, omittam.*

At Iancus magister militiæ] *De clade Varnensi differitur hoc capite, in qua pugna temeritatis suæ pœnas morte luit Ladislaus rex, dum consiliis Iāci parere non vult. Iancus autem hic, cuius aliquoties in his annalibus est mentio, est Ioannes Hunniades, quem & Choniaten, & Coruinum, & Candidum scriptores nominant: quo præstantiorem domi militiaque virum illa tempora non viderunt. Valacho patre, matre Græca oriundus, industria & virtute supra omnium opinionem genus suum illustrauit. Vide plura apud Bonfin. rerum Hungar. Decad. 3. lib. 3. Defendit Albam Græcam aduersus Mahometen*

ten anno 1456.eaq́ obſidione ſoluta eſt mortuus. Quem F. Ioannes de Capiſtrano eius commilito, ſic inter cætera deplorauit. Salue aureola cœli, quæ cecidiſti, corona. Regni extincta es lucerna. Orbis corruptum es ſpeculum, in quo nos diutius inſpicere ſperabamus, & alij. Nunc tu deuicto inimico triumphas coram Deo & angelis, ô bone Ioannes. Hæc ille. Hic Matthiæ regis Hungariæ pater fuit, Turcarum fulmineus terror appellatus. Traditũ eſt, adeò eius nomen fuiſſe terrificum, vt pueris plorãtibus matres potiſsimùm Huniadis aduentum minitantes, ceſſationem impetrarent.

Chamutzes vocab. & Peloponneſiota] *De nomine huius Ianitzari controuerſia eſt, In Annalibus enim Turcicis Cheter, ſeu Cheſer, apud Laonicum Therites dicitur. Vide Leunclauium Pand. pag. 318. Dies pugnæ fuit 10. aut 11. Nouembris. Cæſa Chriſtianorum millia decem, Turcarum triginta. De ſacra hoſtia à Ladislao pignori accepta: & ab Amurate in ſummo diſcrimine è ſinu prolata, cum teſtatione numinis Chriſti, & deteſtatione violatæ ab rege fidei, vide eundem pag. 317.*

AD CAPVT XIX.

Et Lazaro fil. Georgij Deſp. nuberet] *Ex Annalibus Sultanorum Turcicorum docet in Pandecte Leunclauius,* Turcas à Lazaro vel Eleazaro Bulco, vt à Laonico nominantur, qui primus regionem Iſtro adiacentem, ſiue Seruiam à Stephano rege Bulgaro nactus fuit, ſucceſſores omnes Seruiæ Deſpotas, ſiue Principes appellaſſe Lazaros, vt omnes Conſtantinopoleos Imperatores itidem dixere Conſtantinos. Laonicus ipſe quodam in loco, Georgium Seruiæ Deſpotam (huius Lazari patrem) more Turcico Eleazarum, ſiue Lazarum vocare videtur, vbi dicit, Eleazarum pro Belgrado multas vrbes in Pannonia conſecutum à Sigiſmundo. Iidem Principes à Turcis alicubi etiam Bulcogli nominantur, ab hoc primo Lazaro Bulco, tanquam Bulci filij, vel poſteri, ſicut & Michalogli, & Malcozogli ſunt Michalis, & Marci poſteri. A Seruiis autem ratione prorſus cõſimili Bulcouitzij fuere vocati, velut Bulci

filij, siue posteri. Nam id lingua Sclauorum, aut Venedorum qua Seruij vtuntur, familiare est. Sic etiam hodieq; Moscouij Basilouitzios, Theodorouitzios, Iuanouitzios pro filiis Basilij, Theodori, Ioannis dicunt. Sic Crateuitzij Bulgarorum Principes erant à Crate. Sic ab auctore generis appellati Cernouitzij, Catari Dalmatiæ, regionisque vicinę quondam reguli. Sic Karlouitzij dicebantur in Albania, vel Epiro Dyrrhachini, vel Durantzij Principes, quod à Karulo propagati fuissent, ex regum Galliæ familia, &c.

IN LIBRVM TERTIVM.

AD CAPVT I.

QVÆ Demetrius cum f. sua moliebatur] *De contentione Demetrij pro imperio, de eius aduersariis, de sacramento inter fratres dicto, & à Thoma violato, de Turcis à Demetrio in auxilium vocatis, lege extrema lib.7. apud Laonicum.*

Apud Calliopolim] *Sæpe inuenies scriptum Calliopolis. Aiunt distare quatridui itinere Constantinopoli, magnam nunc etiam vrbem esse, carentem mœnibus, habitari à Græcis, Iudæis, & Turcis. In suburbano specie collium cerni sepulcra regum veterum Thraciæ.*

Ad Principem Iberiæ Georgium] *Iberes Europæi sunt Hispani, & Iberia Europæ Hispania. Iberes Asiatici sunt, qui hodie Georgiani, Hispanorum coloni: & Iberia Georgiana. Ne quis igitur in Iberia, & Iberes nominibus hallucinetur.*

Quia vitam vltra centum quinquag. annos] *Meritò igitur μακρόβιοι. Crates Pergamenus Indos, qui centenos annos excedant, Gymnetas appellat, non pauci macrobios. Ctesias gentem ex his quæ appellatur Pandoræ, in conuallibus sitam, annos ducentos viuere, in iuuenta candido capillo, qui in senectute nigrescat. Artemidorus, in Taprobana insula longißimam vitam sine vllo corporis languore traduci. Plinius lib.7. cap.2. Caterùm tota propemodum ista*

ista senis narratio de mirabilibus Indiæ, sumpta est ex Cedreno, & instar episodij à Protouestiario inducta.

AD CAPVT III.

Vt fœminæ dotem dent viris, sed contra v. fœm.] *Plutarchus in Solone & Lycurgo scriptum reliquit, eos sponsas, ne magno coniugia inirent, viris dotes dare legibus vetuisse. Tacitus de moribus Germanorum narrat, viros vxoribus dotes dare coactos. Qua non exhibita nihil consociatum, aut fœderatum sponsalia haberent. Apud Cantabros etiam, nisi à viro sponsæ dos soluta fuisset, nullum erat matrimonium. Multa de dotibus dandis & accipiendis Alexand. Neapolit. lib. 4. cap. 8. Notanda præterea quæ in hoc capite de variis gentium moribus scribuntur. In extremo adscripta erat promißio, quam dabat rex Iberiæ Protouestiario his verbis. Quando autem tu, Deo iuuante, ad illam (filiam ipsius, nupturam Constantino Imp.) abducendam veneris, donabo tibi serici partes quatuor. Sericum illud minimè exolescit, venditurq́ue pars aureis quingentis. Itaque donum promittebatur paranympho huic duûm millium.*

In qualibet regione & gente quæd. scripto] *Quæ hîc à rege Iberiæ ex Cæsarij, fratris Gregorij Nazianzeni libello de variarum gentium legibus, consuetudinibusq́ue disseruntur, ex Cedreno ad verbum descripta sunt.*

AD CAPVT IV.

Vt filia regis esset sibi vxor] *Hanc tamen non duxit, quod ex hac historia appareat, obsidione interueniente. Antea 2. habuerat: cōsobrinam Caroli Principis filiam, & Catelusij postmodum, domini Lemni insulæ, quarum prior Theodora, posterior Aecatharina nuncupata est.*

AD CAPVT VII.

Capiti huic præscripsi hæc verba, De expugnatione & vastatione Constantinopolis. *Hinc enim calamitatis illius decantatißimæ narratio sumit initium. In codice græco ista verba, velut in-*

scriptio & summa quædam capitum sequentium leguntur. ἀρχὴ τῶν ὠδίνων καὶ ἀφανισμοῦ τῆς βασιλευούσης τῶν πόλεων, συγγραφεῖσα παρὰ γεωργίου τοῦ Φραντζῆ. Principium dolorum & vastationis reginæ vrbium, conscriptum à Georgio Phranza. *Describitur eius expugnatio lib.1.Turcograciæ. Et rursum ibidem ex epistola Matthæi Camariotæ. Item à Laonico lib.8. ab Aenea Syluio Europæ cap.7. Leonardo Chiensi, & Isidoro Cardinali, qui eo tempore Eugenij Pontificis Legatus ibi versabatur, & Sabellico in historia Veneta, Decad.3. lib.7. Omnes tamen hi in commemorandis cladibus potius & miseriis, quas vltimo illo die pertulit Constantinopolis, quam in eius oppugnatione & propugnatione ante oculos ponenda occupati sunt; Atque haud scio, an non inter illa tam lacrymosa & indigna quæ afferūt, quædam falsa & commentitia, ipsisq; veris ad maiorem in Turcas indignationem commouendam afficta sint. Vt breuis sim, auctori nostro plurimum in ista narratione fidei tribuendum censeo.*

Quidnam ipse quoque perenni.d.m.perpetrare] *Sine dubio ingentis spiritus & animi argumentum, parta à maioribus gloria contentum non esse. Virgil.3.Georg.*

-----tentanda via est, qua me quoq; possim
Tollere humo, victorq; virûm volitare per ora.

Iuxta Asomatum] *Vltra S.Phocam Archangelus est, locus sic ab Archangelo Michaële dictus, veteres Catascepen nominabant. Nicetas: Monasterium in Ponti faucibus, loco qui Catascepe dicitur, extruxit, archiducis Michaëlis nomine. Vocant nunc etiam Græci Asomaton, propterea quod angeli corporis expertes sunt. Habes in his verbis rationem vocabuli.*

Ad angustias castell. siue arcē construere] *Ad hoc castellum condendum (vt est in Turcogracia) etiam ciues Constantinopolitani quæ vsui erant suppeditarunt, alimenta ex parte, lapides, & huiusmodi. Id metu adducti faciebant, ne bellum fortè ipsis inferret. Et quanquam prohibere possent, spem tamen quidam habebant in fœdere, & iuramento, quod cum patre ipsius factum fuerat, quod etiam ipse à se confirmatum seruabat, summamq; erga Byzantios beneuolentiã præseferebat. Habebant spem oppidani, se, si quid periculi viderent, posse illud, vt in propinquo situm, diruere. Sed ea spes fallax fuit. Nam A-*

gareni

gareni interea equestribus excursionibus de more factis, homines rapiebant, quos obuios habuissent. Vrbem, & Læmocopiam vocat Laonicus principio lib. 8.

Vt bid. mænia vrb. & fossas, &. si. q. a. u. contempt.] *Græca sic habent.* διέβη εἰς τὴν ἀδριανόπολιν, ὡς φαίνεται, ἵνα ταῖς δύο αὐταῖς ἡμέραις ἴδῃ τὰ τείχη τῆς πόλεως, καὶ τάφρους, καὶ εἴ τι ἕτερον αὐτοὺς ἐλογίζετο. *Sensum & verba expressi. Forsitan mænia aut ampliabat Adrianopoli Mahometes, aut firmabat magis, aut instaurabat, aut nouis vrbem muris & fossis communiebat.*

Cum copiis ingent. in Peloponnes. mittuntur] *Disertè de hac expeditione quem sæpe nominaui Laonicus, ipso initio lib. 8.*

Paruæ Romanor. scintillæ hæres natus] καὶ τοῦ τῶν ῥωμαίων μικροῦ σπινθῆρος κληρονόμος. *Supra lib. 2. cap. 13. dixit Manuel, Imper. Rom. illis temporibus propter imperium tam diminutum magis œconomum, quàm Imperatorem videri: hîc longè plus dicitur, cum id quod de Romano imperio superfuit, parua scintilla, hoc est vestigium, seu portiuncula exigua, & propemodum puncti instar vocatur. Non potuit dicere* ἐμφατικώτερον.

Andreas Palæol. Thomæ Desp. filius] *Hic postea Romæ scorto vulgari in vxorem ducto est mortuus. Natu minor Manuel, Roma profugiens Constantinopolim venit, suasu quorundam familiarium, qui montes aureos apud Sultanum illi pollicebantur. Acceptus est humaniter, & aliqua loca ei in victum perpetuum attributa, & Salarij nomine in singulos dies centum asperi, duo etiam ministri cum duabus ancillis non deformibus. Ex earum compressu Ioannem & Andream filios genuit. Vitam fœlicem exegit, in honore habitus. Selimus postea Imper. Andream in castrum regium transtulit, quem Agarenicis sacris initiatum, Mehemetam appellauit. Ioannes in morbum delapsus animam efflauit, humatusq; est in Pammacaristæ monasterio. Ex Turcogræcia.*

AD CAPVT VIII.

Helepoles, & helebolicas] *Adde his etiam heleboles, & helebolifcos. Fuerunt tormenta, è quibus lapides maiores minoresúe ad expugnandas & capiendas vrbes, vnde nomen inuenerunt, iacerentur.*

tur. Tormentorum curulium æneorum, qualibus nostra militia vtitur, vsus nondum fortasse fuit: nihil enim affirmo, propter locum infra sequentem.

Naues ex Liguria tres, &c.] *Quidam ita numerant & distinguunt. Genuensium septem, Cretensium tres, ex Chio insula pauca, omnibus rebus necessariis ad vrbis defensionem instructæ. Sabellicus historiæ Venetæ lib.7. decad.3. Ad eius (catenæ de qua infra) præsidium tres Venetorum triremes erant, quæ ex pontica negotiatione sub id tempus redeuntes, vt Christianæ vrbi auxilio essent, in portu subsedere. Erant & Cretenses quædam naues, ac cethea vna Ligustica eximiæ magnitudinis, cui Georgius Aurius praerat. Inde 3. aliæ Genuensium, eiusdem pœnè magnitudinis ex Chio affuere, commeatus & virorum plenæ, &c.*

Eius ambit. decem & octo milliar. circund.] *Videndus Petrus Gyllius in descriptione Constantinopolis. Centum & vndecim stadia in circuitu continere dicit Laonicus. Quare cum milites defensores per tantam amplitudinem distribuerentur, nec essent multa admodum millia, necesse fuit eam parum bene munitam, vel potius immunitam esse.*

Catenam ferream prægrand. ante os portus prætend.] *Venientibus Turcis catenam eximiæ crassitudinis obiecit ad angustias sinus, quæ intra Byzantium & Peram sunt. Ea à Gallorum turri ad Peranæ Claræ pontem protendebatur. Sabellicus in historia Veneta. Lib.7. de rebus Manuelis narrat Nicetas, non procul à continenti, in mari extruxisse turrim Damalim, quæ tum Arcula vocaretur: & alteram turrim è regione iuxta Manganium monasterium: eo consilio, vt ferrea catena vtrinque extenta barbaris nauibus aditus in loca vrbis arci vicina, & tractum illum omnem, vsque ad Blacherniam regiam, intercluderetur.*

Cuius os pateb. spithamas duoden.] *Hinc quispiam suspicabitur fuisse hanc helepolim tormentum æneum murale, nostrorum simile, quandoquidem os habuit: & multo magis ex verbis mox sequentibus.* Magna porrò illa helepolis propter continentem iaculationem, & quia metallum adeo purum non erat, dum exploditur, magistrum tormentarium flamma haurit, & ipsa

in complura frusta dissiliens, multos percussu necat. *In Annalibus Turcicis ita legitur. Bellica quoque tormenta fundi iussit, instar draconum. Ignes scilicet vomentia. Laonicus etiam ante hoc tempus, cum à Baiazete, & eius patre Amurate Byzantium obsideretur, bombardarum, & globorum, qui inde torquentur sæpius meminit. De inuentione bombardæ, materia, forma, vsu, puluere tormentario disserit idem lib. 5. Sed esto, quædam machinæ tales fuerint: credibile est alias ligneas fuisse, vnde grandia saxa exploderentur.*

Non amplius 4970. præs. extran. vix 2000.] *Egregius profectò defensorum tantæ vrbis numerus, septem millia: addamus enim 30. si placet, ad 70. Faciunt rem credibilem, quæ statim de subducta ratione subiunguntur. Extranei illi partim Veneti, partim Genuenses fuerunt. Quidam aiunt fuisse Græcorum militum millia sex, auxiliariorum Venetorũ Genuensiumq́; tria millia, cùm haberet Mahometes ad trecenta millia, quæ per longa locorum ac temporum interualla adduxerat; quæ quidem multitudo maximè ex vicinis gentibus collecta fuit, quæ adhuc sub Christiani nominis titulo diram seruiebant seruitutem, vel saltem desertis religionis Christianæ sacris, turpiter ad barbarum hostem defecerant. Constabat nimirum ex Græcis, Illyricis, Valachis, Dardanis, Thracibus, Bulgaris, & Triballis. Turcæ pauci fuerunt, & eorum pars fuit ex Asia, Bithyni, Galatæ, Lydi, & Cilices. Ex Bizaro, historiæ Genuensis lib. 12.*

AD CAPVT IX.

Ligur quid. Ioan. Iustinian. Longus] *Quomodo hic laudes suas ad extremum fœdauerit, infrà cognosces. Finis principiis non respondit.*

Ioannes quid. German. in machin. bellicis] *Existimo hunc ipsum esse, de quo in historia Genuensi his verbis scriptum est à Bizaro. Habebat ipse dux (Iustinianus) Ioannem Grandem Alemanum, passim in historiis notum, cuius opera & rei bellicæ peritia fortiter irrumpentes Turcas repellebat.*

Cum lignis * parauit] μετὰ ξύλων χοντρῶν κατεσκεύασε. *Legendum fortasse* χόνδρων, *sic interpungendo.* μετὰ ξύλων, καὶ χόνδρων. χόν-

δρος

dp⊛ est cartilago, vt funes neruiceos, & alia huiusmodi vincula indicentur, in ista machina componenda & vincienda adhibita.

Int.& extra triplicat. corio bubal. & boum tergor. contexit] *Helepolis hoc loco descripta, longè alia est ab ea, quam supra in frusta dissiluisse retulit, & ad turres potius referenda, non absimilis illi, quam lib.3. Poliorcet. dialogismo 1.ex Ammiani lib.23. Lipsius describit. Coriis autem, ciliciis, velis molliter ita suspensis, vim ballistarum, catapultarum, leuiumque telorum excipiebant, & frangebant: immo & ignita iacula repellebant. Vide plura apud Lipsium Poliorcet. lib.5. dialogismo 9.*

AD CAPVT X.

Tres naues Liguſticæ in Chio oneratæ] *Malè Laonicus, duas tantùm fuisse, vnam Ianuensium, alteram regiam. Immò regia quarta fuit. Multò autem harum 4.nauium cum Turcica classe certamen virtutemque luculentius noster describit.*

Manus ſibi vt canis mord.arripit] *Præira in semet sauire, seque laniare, sine dubio magis bestiarum quàm hominum, aut certè insanorum & furentium hominum est. Tamen laniatus crinium, & genarum, in funeribus præsertim, & tragœdiis legimus: sed in luctu, cuius magnitudini ista venia danda. At in Christiano homine, qui rebus perditis spes suas in domino locare, & charissimos in vitam redituros credere debet, nescio an istiusmodi mores probãdi sint. Satis porrò graphicè Mahometes iratus à Protouestiario depingitur.*

Et pede humum pulſat] *Gestus irascentium. Cic.2. Tusculan. cum Heracleotes Dionysius affirmasset, cum tantum operæ philosophiæ Stoicæ dedisset, dolorem tamen ferre non posset, satis esse argumenti, malum esse dolorem, tum Cleanthem, cum pede terram percussisset, versum ex Epigonis ferunt dixisse, &c. Alioqui pulsare humum pedibus, etiam de saltantibus dicitur à poëtis.*

Aut Nicetam patricium, quando & ipſe] *Supra li.1.cap.36. Per montem 70. naues hoc modo traduxisse, & in littore portus collocasse, auctor est Laonicus, qui pontis quoque ex doliis constructi meminit. Vide lib.8.*

AD

AD CAPVT XI.

Bailo Hieronymo Mino] *A Laonico redditur πρύτανις, quæ vox idem sonat, quod Administrator, Præfectus, Prætor. Aliter, & aliis nonnullis regiones vrbis ad tuendum distributas narrat Leonardus Chiensis, vt recitat in Annotat. auctor Turcogræciæ.*

Ad numerand. palat. pecun. deficieb.] *Ciues ditiores nihil conferre in stipendia volebant, & Imperatore petente, sibi pecuniam esse negabant. qui postmodum capta vrbe totos thesauros suos Turcis fodientibus perdiderunt. Sic enim infrà clauditur cap. 17. omnia domicilia & loca Christianorum perquirebant, & perfodiebant impij, vt pecuniam abditam inuenirent, plurimisq; thesauris, ac veteribus & nouis, iisq; pretiosissimis rebus implebantur. Reprehenditur ob hoc idem etiam Notaras à Mahomete, vt videbis cap. 18.*

Se domino suo quadrup. restituturum] *Alexius Comnenus Nouella quadam, nulla de caussa, ac nulla in necessitate vasa Deo dicata in vsum profanum conuerti vult, & eius velut peccati veniam à Deo petit, restituturum, quamuis cogente necessitate ablata, pollicetur: secus facientem deuouet his verbis, quæ ad sacrilegos terrendos subiiciam, qui etiam nulla compulsi necessitate Ecclesias auro, argento, veste pretiosa, thesauris ipsarũ deniq; audacissimè spoliant.* Quod si quis in posterum, mi Domine ac Deus manus iniicere rebus ante consecratis, aut etiam deinceps dedicandis sacris diuinisque cimeliis, & supellectili, & vasis, & sacrosanctis ac venerandis Ecclesiis tuis ausus fuerit, is lucem nullam videat in die visitationis tuæ: non ei tempore matutino sol oriatur, non vel hîc tuum impetret auxilium; vel post hanc vitam abs te iuuetur: sed inspectionis & custodiæ tuæ prorsus sit expers. Tantum nunc propitius esto, mi rex, hæreditati tuæ. Siste iustam contra nos iram tuam, &c.

Quadrag. iuuen. Græcos & Italos] *De his iuuenibus breuius, & dissimiliter scriptum extat in Turcogræcia lib. 1. Oppidani nauigio paruo ac celeri quadraginta iuuenes emiserũt, qui clam hostilem classem incenderent, Cynegia porta egressi. Id cùm Latini, qui Galatam*

*incolebant, percepiſſent, ſtudij ſui erga Turcas ſignificãdi cauſſa, flam-
mæ de magna turri indicio, hoſtibus eos prodiderunt. Qui globo bom-
bardæ è triremi emiſſo, celocem ſummerſerunt. Ita præclari illi iuue-
nes vitam aquis ſuffocati amiſerunt. De ſupplicio, vt cætera taceam,
longè aliud à noſtro ſcribitur, vt vides. Libet etiam verba Laonici at-
texere. Turcæ intellecto Græcos accedere, arreptis bombardis, duas
eorum naues ſummerſerunt. Vectores qui natare neſciebant, à Turcis
capti ſunt. Turcæ vbi primùm diluxit, captiuos ad vrbis portas addu-
ctos, in conſpectu Græcorum mactant. Erant & apud Græcos Turcæ
quidam in vinculis, quos in pinnas muri rapientes, è regione hoſti-
lium caſtrorum interemerunt.*

AD CAPVT XII.

Nolite mutuum belligerare] *Quid pernicioſius diſcordia mi-
litari? præſertim cùm exercitus eſt exiguus. Nam vt paucorum con-
iuncta & conſpirans virtus inuicta eſt: ſic quamuis multorum robur
diſsidio & ſeditione intercedentibus facillimè vincitur. Itaque meri-
tiſsimo Conſtantinus Imper. in ſedandis ducum diſcordiis & nunc, &
infrà rurſum laborat.*

Ore ſceleſto contumel. in miſer. Imp.] *In Imperatorem pro-
bra iaciebant, quia miſer, nec tum ſe vindicare poterat, & magis ipſe
in eorum, quàm ipſi in illius poteſtate erat. Capite ſequenti Turcæ e-
tiam Ameræ non dubitant maledicere, à quo ſe in ſummum pericu-
lum adductos arbitrantur.*

Quoſd. etiam præter. ſibi conuitiant. a. ſ. audiebat] *Au-
diebat quidem, ſed vt paulò ſupra dictum eſt, nihil reſpondebat, Da-
uidem imitatus. Traianum quæuis conuitia toleranter ferre ſolitum
ſcribunt hiſtorici, cum diceret, Imperatorem Deo ſimilem eſſe de-
bere, atque oris maledici petulantiam commodè perpeti.*

AD CAPVT XIII.

Ex decem vnum illis opponere ſatis] *Locus ſumptus appa-
ret*

ret ex Homeri Iliade, vbi Agamemno volens oſtendere copiarum græcarum ingentem numerum, ait, ſi decem Græci deberent propinare vni Troiano, multas decurias non habituras, cui propinarent. Hoc voluit, decies, & amplius Troianos à Græcis multitudine ſuperari. Sic paucitatem Hieroſolymitanorũ Rabſaces Aſſyrius Legatus irridebat. Dabo vobis duo millia equorum: videte num habere valeatis aſcenſores 4. Reg. 18.

Deus ſolus tibi timendus eſt] *Deus ſuperbos humiliat, & humiles exaltat*, in cuius manu ſunt omnes fines terræ. Donec ſcias *(inquit Daniel Nabuchodonoſori cap. 4.)* quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud. *Et tamen plurimi reges, & priuati hunc non timent, qui in flagitiis, & ſceleribus ſuis ſine vlla deſinendi ac reſipiſcendi voluntate liberrimè volutantur. Ad frangendos ſpiritus arrogantiores nihil illa ſimiliue admonitione vtilius, qua ad Vlyſſem Minerua vtitur apud Sophoclem, cum ei Aiacem Deûm contemptorem iam miſerum, & mente captum oſtendiſſet.*

Τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν, ὑπέρκοπον
Μηδὲν ποτ' εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος,
Μηδ' ὄγκον ἄρῃς μηδέν', εἴ τινος πλέον
Ἢ χειρὶ βρίθεις, ἢ μακροῦ πλούτου βάρει.
Ὡς ἡμέρα κλίνει τε καὶ ἀνάγει πάλιν
Ἅπαντα ἀνθρώπεια. τοὺς δὲ σώφρονας
Θεοὶ φιλοῦσι, καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς.
Hæc intuetor, nec ferocioribus
Vnquam laceſſe cœlites dictis deos,
Nec inſolenter te geras, ſi pluſculum
Quam cætui dextra, vel auro polleas.
Mortalium res auget, & premit dies.
Amant modeſtos, execrantur dij malos.

AD CAPVT XIV.

Rem om. ſæculor. mem. dig. peragite] *Nec ita auribus per-*

cepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt, aut irritant, vt hortatrix ad virtutem & gloriam oratio, intrepidas expeditæ aciei mentes ad opposita pericula erigit, stabilitq́: immo & metu conterritos, pænéque iacentes, sæpe constanti roborat allocutione. Onosander cap. 1. Immensum gloria calcar habet, *ait Ouidius.*

Contra singulos nost. plur. 500. pugnarent] *Iam hoc multo plus est, quàm decem contra vnum, quod antea Sogambassa dicebat.*

Portantes sanct. ac venerand. imagines] *In rebus tristibus, ac periculosis circũferre & confugere ad sanctorũ imagines & reliquias, ibiq́ preces effundere, semper in Ecclesia Catholica vsitatum fuit. Habes exemplum de imagine nõ manu facta Saluatoris in historia Mauricij, quæ per exercitum à ducibus circumfertur. Capta Constantinopoli à nepote Andronico, auus ante imaginem Deiparæ inuenitur. Cantacuzenus lib. 1. cap. 59. Et Imperatrix Anna cum filio Ioanne capta eadem rursus à Cantacuzeno lib. 4. cap. 1. Nicetas in Ioanne Comneno, vbi de prælio cum Scythis agit. Illud autem insignem etiam pietatem eius testatur.* Nam cum Romanæ phalanges vrgentibus hostibus, & audacius se inferentibus laborarent, imaginem Dei genitricis cum gemitu, & miserabilibus gestibus intuens, lachrymas bellicis sudoribus calidiores fundebat: neq; id frustra. Statim enim cœlesti robore armatus, Scythicam aciem profligat. *Idem lib. 3. de imperio Isaacij Angeli.* At Imperator obscuris principio vocibus acceptis, deinde in tentorium suum concursu plurimorum viso, & fratris (Alexij) declaratione audita, nec multò post facinoribus istis nuntiatis, cursu represso, signo crucis se muniit: & Christi pace implorata, Deum sæpius orauit, se ex illo discrimine liberari: & Dei genitricis imaginem ex sinu prolatam, crebro amplectens, partim supplex efflictim orabat, vt imminens periculum effugere liceret.

Cum lacrymis per vrb. quoquo vers. inced.] *Canentes quod sequitur,* κύριε ἐλέησον, Domine miserere. *spectaculum hoc quis potuisset videre sine lacrymis? Quam aptè dici tum potuit de Constantinopoli.* Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? facta est quasi vidua domina gentium. Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius. Non est qui consoletur eam ex omni-

omnibus charis eius. Omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici.

Viri nobiliſſ. clariſſimique] *Si quid iudico, hæc luculenta, magnifica, & ad animos militum commouendos apta eſt oratio, qua belluam illam Mahometicam acriter, & pro eo ac decet inſectatur. Habet etiam locos alios illuſtres, de Virgine Deipara, de potentia vrbis & imperij orientalis.*

Eſt autem dies ſept. & quinquageſ.] *Obſedit Byzantium Mahometes à die 5. Aprilis, ad 29. Maij, quo die victor intrauit.*

Pauci Carthag. elephanti tant. equor. Rom. multit.] *Tangit nonnunquam reconditiores hiſtorias Protoueſtiarius, de quibus eſt hæc quoq;. Quod Carthaginenſium hos elephantos fuiſſe narrat, peccatum memoriæ eſt: fuerunt enim Pyrrhi Epirotarum regis bello Tarentino, de quibus ita Florus lib. 1. cap. 18. Actum erat (de Pyrrho) niſi elephanti conuerſi, in ſpectaculum belli procurriſſent: quorum tum magnitudine, tum deformitate, & nouo odore ſimul ac ſtridore conſternati equi (Romanorum) cum incognitas ſibi belluas amplius quàm erant, ſuſpicarentur, fugam ſtragemq; latè dederunt.*

Qui aſſauit cochleas, dixitque.] *Fabula Aeſopi non tota hic recitatur. Eſt autem hæc. Ruſtici filius aſſabat cochleas. Cùm autem audiret eas ſtridentes, ait, ô peſsimæ animantes, domibus veſtris incenſis vos canitis? Videtur Conſtantinus reprehendere Galatæos, qui lætarentur, & gauderent, cum ipſis pernicies in ceruicibus eſſet, quod non videbant. Nam, vt ſcitè Horatius,* Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Gloriatio omnium per orientem habitant.] *Oriens, ſiue Eccleſia Græcorum quam incenſo ſtudio, quibus precibus ac cærimoniis Deiparam coluerit, ex Menæis, Pentecoſtario, & ſimilibus eorum libris liquidò perſpicitur. Ipſa vrbium regina & imperij domicilium hanc ſibi Diuam tutelarem delegit, & à Conſtantino Magno eidem dicata eſt.*

***

AD CAPVT XV.

Lætiſonis vocibus frementes] *Committantur copiæ cum iubilatione & barritu, & aliquando etiam citato curſu. Nam & aſpectus, & clamor, & rigidi armorum horrores, hoſtium mentibus terrorem ſtuporemq; incutiunt. Onoſander in Strategico. Huc ſpectat illud quoq; præſtantiſſimi vatis,* Exoritur clamorque virûm, clangorque tubarum.

AD CAPVT XVI.

Commilitones, & fratres mei] *Facit officium boni ac ſtrenui Imp. dum etiam in ipſo certamine militum animos confirmat. Prior appellatio moderationis eſt, poſterior Chriſtianæ charitatis.*

A priſtina virtute immutat, & pauore ictus] *Pluribus verbis Iuſtiniani Genuenſis imbellis animus deſcribitur, quem nec præterita decora, nec Imperatoris preces, nec vrbis ſalus, quæ eo potiſſimùm nitebatur, in acie retinere potuit, vulnere non ita magno, nec lethali ſaucium. Proinde elogium illud, quo ab Vberto Folietta ornatus eſt inter claros Ligures, ideo non ei conuenit, qui ad extremum vertit omnia, & ſuæ claritati ipſemet tenebras offudit. Bizarus quoque hiſtoriæ Genuenſis lib. 12. conuenienter Protoueſtiario ſcribens, ibi rurſus conuerſa eſt fortuna prælij, inquit, vulnerato Genuenſi Iuſtiniano Duce, cuius caſum miſeratus Imp. iubet & hortatur bono eſſe animo, neue ſtationem ſibi demandatam aliquo modo derelinquat, præſertim cum ipſum vulnus non eſſet lethale. Verùm Iuſtinianus fatali, puto, caſu, potius animo fractus, quàm vulnere debilitatus, nullo ſibi in ea ſpecula ſubſtituto, qui cæteros confirmaret, & regeret, aufugit; adeò me hercule, vt milites animaduerſa ducis ſui fuga, illius exemplum ſecuti, pari modo ſtationem, vbi aditus in vrbem patebat, relinquerent. Turcæ magno agmine ibi in vrbem infunduntur. Iuſtinianus in vicinam Galatam medendi vulneris gratia ſe recepit. Vnde poſtea in Chium nauigans, ſeu vulnere, ſeu mœrore animi inglorius*

glorius periit. Mitto cætera quibus idem Bizarus ignauiam eidem exprobrat. Quod autem manum illi bombardæ globulo vulneratam narrat Laonicus, non placet.

Relictis exterioribus per portas ad interiores] *Inter murum interiorem, qui erat altior, & exteriorem humiliorem stabant propugnatores, spem omnem in fossis, & antemurali illo ponentes. Quo amisso, confertim se in vrbem ad altiores defendendos contulerunt. Fuerunt autem obseratæ primùm portæ vrbis, per quas aditus ad antemurale patebat, ne miles pedem referre posset, sed fortius resisteret. Turcogræcia. Vrbs, inquit non procul ab exordio lib. 8. Laonicus, quà continentē spectat, muros habet duos, eosq́; firmissimos. Vnus, magnus & memorabilis est: alter extra situs est, verùm præcedente minor, fossam subiectam habens latitudine iugeri, lapidibus extructam. Imperator cum Græcis deliberabat, vbi nam resistendum esset hosti. Tandem visum est, vt irent in exteriorem murum, ibique hosti repugnarent, vti fecerant, cum Amurates Byzantium oppugnaret. Idem quo pacto fugientes caderent, seseq́; obtererent, perspicuè docet.*

Primoque impetu omnes de muro præcip. agit] *Exemplo etiam, non verbis duntaxat suos in vltimo discrimine animat Constantinus, planè egregius & nomine & re Imp.* κρατερὸς αἰχμητὴς, *vt hoc capite videre licet. Docet etiam Onosander, Imperatorem manu & exemplo militem prouocare debere. Conspiciens enim aliquis ducem suum in re attrectanda omnium principem, festinandum esse animaduertit, cessare erubescit, imperatisq́; non parere veretur: nec iam vt seruus, aut imperio subditus, sed commilitonis instar ad opus quoque prouocatus accedit. Hoc loco Sabellici mendacium præterire nequeo, scribentis in historia Veneta, cum Iustinianum nec precibus, nec hortationibus vllis à fuga cohibere posset, ipsius locum subiisse cum paucis, quos penes se habebat, tentasseq́ue vi hostem iam in muros scandentem repellere. Verùm vbi propugnatorum infrequentia barbarum irrumpentem sustineri non posse vidit, tum sibi manum iniicere voluisse. Inde quia*

id

id parum hominis esse Christiani succurrit, suos hortatus est, vt se ferro transfigerent, &c. Nihil verò magis absonum scribi potuit.

AD CAPVT XVII.

Vsque ad sext. & sept. diei horam propugnab.] *Ciuitas, vt infrà scribitur, occupata est hora ab initio diei tertia & semis. Videntur ergo nautæ isti Cretenses etiam post occupatam, amplius tribus horis constantissimè se, & turres illas defendisse. Exemplum magnæ virtutis.*

O sol horresce, ô tellus ingemisce] *Quid enim vrbem iam captam videntes τραγικώτερον exclamare aut potuerunt, aut debuerunt? Magni doloris, luctus, gaudij indicium etiam muta, & nullis sensibus aucta ad commiserationem, lætitiam, affectumq́ue nostri affectus similem prouocare. Exempla multa in sacris prophanisq́ue scriptoribus obuia sunt. Vide annotata ad cap. 3. lib. 1.*

Die tertio hebdomad. anno 1453. vicesimo nono Maij] *Consentiunt in hoc, quicunque de expugnatione huius vrbis scripserunt. Addunt aliqui, imperium illud stetisse annos mille centum & nonaginta. Sub Constantino I. cuius mater Helena, constitui cœptum: sub Constantino VIII. cuius item mater Helena euersum ac perditum. Mahometes tum singulis Ianizaris mille aspros donauit. Asper facit apud nos fermè duos cruciferos: ita mille aspri erunt 20. ducati. Fuisse autem dicuntur in Annalibus Turcicorum Sultanorum 10. millia Ianitzarorum. vnde æstimes licet, quantum hoc donatiuum fuerit, quàm liberale & magnificum. Hanc expugnationem calamitatemq́ue prospicientes multi nobiles, & eruditi homines mature profugerunt, quo quemque tulit animus. Turcogræcia pag. 90.*

Qui irruerant, diripieb. obuios capieb.] *Describitur Turcarum in captam vrbem grassatio, furor, crudelitas, impietas. Cum hac descriptione confer, si placet, illam Nicetæ in Alexio Murzuflo, qua Latinorum in eandem à se occupatam sacrilegam tyrannidem, & inauditam feritatem copiosè commemorat. Initium est,* Hostes verò, cum

rò, cùm præter exſpectationem, &c. *Direptiones, cædes, & flebilem captæ huius vrbis caſum plures deſcripſerunt: ſed nemo noſtro auctore credibilius, vt opinor. Ingens auri, argenti, & lapidum pretioſorum veſtiumq́; vis in caſtra exportata. Additur in margine Laonici mei prædam vniuerſam æſtimatam quadragies centenis ducatorum millibus. Venetos damnum paſſos 50000. Genuenſes 20000. Florentinos 20000. Anconitanos 15000.*

Præ cadauerum obiacentium multitud.] *Ad portam S. Romani vltra 800. occiſorum, & vulneratorum cadauera reperta quidam tradiderunt. Tota vrbe cædentibus & cæſis, fugientibus & perſequentibus omnia plena erant. Quibuſdam etiam victis redibat in præcordia virtus, nec omnes inulti moriebantur.*

Nobiles item ac primar. fœminas] *Impotens Turcarum furor & libido, omnia diuina & humana conculcantium. Eadem in Galliis & Belgio ab impiis, patrū & noſtra memoria factitata ſunt, quos proinde vt noſter Turcas, rectè Antichriſti præcurſores appelles. Retulerunt quidam, Conſtantini Imp. vxorem, filias, & alias nobiles fœminas iuſſu tyranni in conuiuium adductas, & poſt conſtuprationes in fruſta diſſectas. De Imperatrice falſum puto: nam Conſtantinus tum vxorem non habuit, etſi quartam, Iberiæ ſcilicet regis filiam, parabat ducere. De filiabus quoq; eiuſdem nihil in hac hiſtoria lego.*

Longè ampliſſ. ac diuiniſſ. Dei ſap. templum] *Huius templi laudes cum ex hoc, tum ex aliis ſcriptoribus poſuimus annotat. in Simocattam. Dignum ſanè Dei Sapientia, hoc eſt, Dei filio, ſi quid eo dignum fieri poteſt. Apponam eius elogium ex Conſtantino Manaſſe.* Templum illud ſplendidiſſimum, & ampliſſimum condidit (Iuſtinianus) delubrum Dei mei, cœlum terreſtre, quod ipſos etiam Seraphos cum veneratione admirari arbitror. Nam ſi Deus commorari dignatur in iis, quæ hominum manus perpoliuerant, omninò hîc, nuſquam alibi habitat. Ac ſplendent omnia quidem huius vrbis templa perpetuis quaſi luminibus, ſuiſque gratiis coruſcant, ipſam rerum naturam colluſtrantia, tanquam lucida mortalium ſidera: verùm

vbi ſol exoritur, aliorum omnium faces occultantur. Etenim inter hæc quoque minora ſidera, quæ ſacra ſunt delubra, fanũ illud diuinitus extructum, terræ totius ornamentum, veluti ſol alter, cæleſtiſque gigas inſigniter fulget.

Et dolebat omne caput] *Alludit ad locum Iſaiæ, cap.1.* omne caput languidum, & omne cor mœrens: *Deplorat vaſtatam à Latinis Conſtantinopolim multis verbis, & admodum* παθητικῶς *Nicetas in Murzuflo. Ea deploratio quoniam ad hunc locum, & tempus vehementer quadrat, non pigebit inde nonnulla tranſcribere.* O vrbs vrbs omnium ocule, ita ne de manu domini calicem furoris bibiſti? Itáne pars extitiſti ignis multo vehemẽtioris eo, quo olim Pentapolis diuinitus conflagrauit? Quodnam tibi tribuam elogium? cui te comparem? An poculum contritionis tuæ amplificatum eſſe, vt lacrymoſus Hieremias veterem Sionẽ deplorans ait? Qui mali genij te ad cribrandum efflagitarunt; Qui alaſtores, inuidi, & implacabiles dæmones, ebrietatis in te ſuæ intemperies effuderunt? Qui infeſti, & inſani proci thalamum tibi non concinnarunt, nec facem nuptialem, ſed carbones exitiales incenderunt? O fœcunda genitrix, byſſo & purpura imperatoria amicta pridem, modò ſordida & ſqualida, & germanis orbata liberis. O pridem in alto ſolio collocata, longis & altis incedens paſſibus, auguſto vultu, ſtatura magnifica, nunc humilis & depreſſa. Laceratæ ſunt tuæ delicatæ veſtes: elegantibus atque imperioſis ſpoliata es redimiculis: extincta eſt lux gratioſorum oculorum: aniculæ cauminarię ſimilis ex incendij fuligine extitiſti: profundis rugis ſplendida prius, & ſuauis tua facies eſt arata. *Lege reliqua. Crede etiam verum eſſe, excidium Byzantij & cladem ſuperaſſe omnium excidia & clades vrbium.*

AD CAPVT XVIII.

Studioſiſſ. ſuper Imp. quæſiuit] *Metuebat enim, ne ſi adhuc viueret, aliunde acquiſitis auxiliis, iniuriam vlciſceretur. Non enim*

enim nesciebat multos reges ac Principes regna & prouincias, quibus pulsi fuerant, virtute duce, comite fortuna recuperasse.

Quidam adeuntes aiebant fugisse] *Cum nullum vitæ subsidium, vel spes, nisi in sola fuga relinqueretur, vitæ retinendæ studio ipse, & proceres plerique, dum vrbem egredi vellent, in ipsa porta vel trucidati, vel collisione interempti sunt. Ita quidam narrant. Sed fugere ex ignauia voluisse, vehementer ab iis abhorret, quæ à nostro auctore de eius magnanimitate ac fortitudine præclarissima prædicantur.*

In quibus (calceamentis) aquilæ aureæ depict.] *Nam ex veste, quam vilem induerat, ne agnosci ab hostibus posset, non internoscebatur. Calceos fortasse oblitus erat mutare: aut ibi Imperatorem à Turcis requisitum iri non putabat.*

Corpus exanime inuenerunt] *Credibile est, occisum, cùm non agnosceretur. Laonicus auctor est, in humero vulneratum periisse. Sabellicus Decad. 3. lib. 7. Constantinus imperatoriis insignibus depositis, ne cognitus viuus caperetur, stricto ferro in irrumpentium barbarorum cuneum irruit, fortiterque pugnando, princeps æterna memoria dignus, hostili manu concidit.*

Vt corpus eius cum honore Imp. conuen. sepelirent] *Quod est in Turcogræcia, in pugna ei caput præcisum pugnanti, & seruitutem neutiquam subire volenti: & id inde factum, quia ignorarent esse Imper. & quod Laonicus addit, caput eius à quodam Ianizarorum ad Mahometem allatum, qui proinde munera ab eo, & principatum acceperit, cum historia nostra haud consentit: nec illud, hastæ infixum, & ita per totam vrbem exercitumque Mahometi iussu circumlatum. Non fuisset hoc cum honore Imperatoribus conuenienti sepeliri. Et quomodo ei caput mortuo præcidebatur, si non agnoscebatur?*

Dom. Lucas Notaras Mag. dux] *Hunc duabus de caussis vnà cum duobus filiis iugulatum affirmat Protouestiarius, quòd thesauro tam ingenti, quem Mahometi pro munere offerebat, Imperatori ac patriæ succurrere noluisset (suprà enim audiuimus, pecuniam in obsidionem tolerandam defuisse) & quòd eidem Imperatori auctor & suasor accipiendæ propositæ conditionis non fuisset: non quòd filium 12. annorum tyranno mittere recusasset, vt refert Lao-*

nicus. In conuiuio, spectante tyranno, cum filiis Isaacio & Ioanne decollatum, duos alios eiusdem filios in pugna cecidisse, filiam Annam ante vrbem captam in Italiam missam scribunt alij. Hic autem Lucas Notaras variè nominatur, Chirlucas, Zirelucas, Gerlucas, Leontares.

Multos nobil. ac illustres interimi iussit] *Post quinque dies ab vrbe occupata quæsiti sunt viri illustres. Comprehensus est Magnus Dux, & Magnus Domesticus, & Protostrator, Imperatoris curatoris Cantacuzeni F. aliique complures amplissimo genere, & virtute dignitatéque eximia conspicui viri: qui capitis supplicio affecti sunt. Ea procerum cædes omnis vno eodemque die peracta. Ex Turcogræcia. Testatur Laonicus multos viros nobiles iam libertate donatos, iussu Mahometis denuò captos, & iugulatos esse.*

Qui pecun. partim ipsi persol.] *Catharinus Contarenus, & sex nobiles Veneti, amplius 7. aureorum millibus, post iam antea concessam libertatem datis, vix dimissi. Periisse in pugna dicuntur nobiles, siue patricij Veneti ad 47.*

Ipsos enim quoque stipend. sibi fecit] *Operæpretium erit adscribere locum ex historia Genuensium Bizari, lib. 12. vnde Mahometana fides apparebit. Perenses* (Galata enim alias Nicetæ Perea, aliâs Pera ἀπὸ τῦ πέραν, quod sit vltra sinum, siue è regione Constantinopolis, veteribus ab arborum ficus ferentium copia Syca appellata, Genuensium colonia) *cognita Byzantinorum clade, cum tam immanem, & barbarum hostem viribus, ac recenti victoria exultantem, & ob oculos versantem viderent, veriti, ne idem periculum adirent, & maioribus, vel saltem paribus ludibriis reseruarentur, citra aliquam longam deliberationem, deditionem sponte fecerunt. Sed quamuis ipsa deditio sub certa transactionis formula subsecuta sit, tamen crudelis hostis pactorum & fœderum immemor, muros Perensium diruit, bona diripuit, fœminæ ac viri iuxta per omne ludibrij, & contumeliarum genus habiti & distracti, non secus ac si viribus expugnati, & ad deditionem coacti fuissent, parem fortunam cum Constantinopolitanis victis subiere.*

Halim-

Halimbaſſam vita priuauit, quod ab orbe obſid.] *Variè ſcriptum inuenio hoc nomen. Alimbaſſa, Cholilbaſſa ſeu Chalimbaſſa, Halimbaſſa, quod extremum placet, itaque ſemper ita ſcripſi. Vnam cauſſam necis eius affert Protoueſtiarius. Inuenio prætereà duas, quod accitu eius pater Mahometis Amurates ab oriente in occidentem bello Hungarico rediiſſet, imperiumq́ue recepiſſet: & quòd ab ipſo in multis caſtigaretur, quæ per iuuenilem petulantiam committeret.*

AD CAPVT IX.

Ad ter. beat. venerand. memoriæ immortal. Flauium Conſtant.] *Nicephorus Calliſtus præfat. hiſtoriæ ſuæ, Conſtantinus artibus imperatoriis magnus, prudentia incomparabilis, ardore autem erga Deum, magnisq́ue rebus geſtis & certaminibus pro vera pietate ſuſceptis, ſupra omnes, quemadmodum ſol ſupra aſtra relucens. Græci anniuerſaria celebritate illum cum matre colunt die Maij 21. eumq́ue vocant* ἰσαπόστολον, æqualem apoſtolis.

Et imperauit annos 4. & menſes totidem] *Deceſſit Ioannes Octobris die vltimo, anno Chriſti 1449. capta eſt Conſtantinopolis 1453. ergo Conſtantinus imperauit annis quatuor, & menſes 7. September. & October de primo anno imperij eius tribuendi ſunt Ioanni.*

Annis mille centum quadrag. tres] *Plures annos ſtetiſſe Romanum imperium Conſtantinopoli, ex ante dictis perſpicuum eſt, ex aliorum ſubductione, inquam. Fortaßis ſcribere voluit nonaginta quatuor. Græcè tamen expreßè eſt.* ἐν δὲ τῇ τριβαλαίνᾳ πόλει ἐπεκράτησεν ἡ τῶν ῥωμαίων βασιλεία ἔτη αρμγ.

Die tertio à capta vrbe triumphum duxit] *Magna ſine dubio lætitia triumphum duxit, quod ſe tam illuſtri & nobili vrbe potitum, iamq́ue Imperatorem Romanum, ac dominum orientis totius, nec paruæ partis occidentis factum videret. Quam cum propemodum vacuam hominibus cerneret, è pluribus locis nouos ciues accerſiuit. Qui ſinguli pro dignitate ſua acceptis domibus vrbem incoluerunt, multis etiam agris in eos diuiſis, mancipióque datis.*

Iussit vt Patriarch. pro consuetud. & more suo crear.] *Quoniam Mahometem minimè fugiebat, Patriarcham semper Constantinopoli fuisse, cum is ad obsequium ei deferendum nullus veniret, iratus quæsiuit, quid caussæ esset. Cum responderetur, neminem Patriarcham iam pridem visum, iussit creari, idq́ʒ astutè & vafrè. Nam cùm etiam à Christianis vrbem deinceps frequentari cuperet, voluit palam constare omnibus, Patriarcham denuò Constantinopoli habitare, vt ita ad redeundum (multi enim profugerant) & ibidem habitandum allicerentur. Hanc caussam & historicus noster tangit.*

Georg. Scholar. etiamnum laicum eleger.] *Dictus est Gennadius postea, ante iudex imperialis. Quem Ioannes Palæologus secum ad Concilium Florentinum in Italiam duxit, vt hominem doctissimum sicut erat. Patriarchatum haudquaquam volens suscepit. Hic ab vrbe in potestatem Turcarum redacta primus numeratur Patriarcha, de cuius honoribus ab ipso Mahomete in illum collatis, multa in Turcogræcia lib. 1. & 2. Simiam enim Tyrannus Christianorum Imperatorum in creando & confirmando Patriarcha egit. Notandæ cærimoniæ inaugurationis. Quinque annos & menses aliquot in eo munere versatus, nascentibus turbis ac dissidiis magnis, conuocato Pontificum, Clericorum, optimatumq́ʒ Concilio, illis frustra ad manendum hortantibus se abdicauit, & in monasterium Ioannis Baptistæ in monte Menœcei propè Serras situm discessit, vbi vitam finiuit.*

Locum ad beatiss. Deiparæ petiuit] *Erat id templum foris totum circumcirca habitatum hominibus: vicinia tota domorum plena, supra & infra colonis, & aliunde ex oppidis eò deductis, ibiq́ʒ habitare iussis. Cum itaque multitudine hominum totus ille tractus celebris esset, ea fuit caussa, cur de eo Patriarcha Sultanum appellauerit, qui & illi hoc templum concessit, in quo ab eo tempore tanquam in patriarchio illic resedit. Ex Turcogræcia.*

Ad Præcursor. monast. in Trullo] *Palatium Constantinopolitanum fuit Trullum, vbi Synodus habita Episcoporum CCXXVII. Est autem inter Concilia partim confirmata, partim reprobata, de quibus agit Bellarminus 1. Tomi Controuersia 4. generali, cap. 7. Vocatur in græco πενθέκτη σύνοδος ex Balsamone, quini sexta, quia nec quinta nec sexta Synodus est, sed canones addidit quintæ & sextæ Synodis.*

Impe-

Imperante Iustiniano ῥινότμητε] *Bellarminus incertum existimat, quo tempore hæc synodus celebrata sit. Iustinianus hic Constantino Pogonato, siue Barbato successit, de quo vide Zonaram. De eo sic Manasses inter cætera. Vir quidam nobilis, senator, patricius, cui nomen Leontius, cum plebem sibi adiumento auxilióque præstò fore cerneret, vniuersis odeo Iustinianum Imper. persequentibus, suis cum sociis eum noctu aggreditur, quasiq; cinctum indagine capiens, præcisis naribus, mari Chersonesum deportari curat. Supra. Qui magnam illam, splendidamq; domum in regia à fundamentis extruxit, & aureis calculis distinxit, parietibus & pauimento de marmore confectis.*

AD CAPVT XX.

Etiam externi Princip. Christ. ad. a. fer. sese instrueb.] *Ne tam opportunus locus (Byzantium) Christiano nomini adimeretur, decreuerunt Patres triremes decem ad ipsius vrbis præsidium. Statuerunt adhæc, vt duæ cethеæ naues fabricarentur, quarum vtraq; duûm millium amphorarum esset Nec ita multo post Lauredanus præfectus decretus, cum 5. triremibus domo erat profectus, cũ quinq; alias in Dalmatia & Creta senatus ornandas mandauerat. Decem & Alphonsus fuerat pollicitus, ac Pontifex totidẽ, vt 30. triremium classis communi nomine expleta, ad Byzantij præsidium mitteretur. Sed Othmanus interim cum trecentis, &c. Sabellicus historia Venetæ lib. 7. Decade 3.*

Dux Franciscus Fuscarus] *Creatus est Dux Venetorum Fuscarus anno Domini 1423. cuius in historia Ducum Venetorum hoc est epitaphium.* Accipite ciues Francisci Fuscari vestri Ducis imaginem. Ingenio, memoria, eloquentia, adhæc iustitia, fortitudine animi si nihil amplius, certè summorum Principum gloriam æmulari contẽdi. Pietati erga patriam meæ satisfeci nunquam. Maxima bella pro vestra salute & dignitate terra marique per annos plusquam triginta gessi, summa fœlicitate confeci, labantem suffulsi Italiæ libertatem, turbatores quietis compescui, Brixiam, Bergomum, Rauennam, Cremam imperio adiunxi vestro. Omnibus ornamentis patriam auxi. Pace vobis parta, Italia in tranquillum fœdere redacta, post tot labores

bores exhaustos, ætatis anno 84. Ducatus quarto supra trice-
simum, salutisque 1457. Kal. Nouemb. ad æternam requiem
commigraui. Vos iustitiam, & concordiam, quò sempiter-
num hoc sit imperium, conseruate.

Sedis honor temporan. erat] *non hæreditarius: liberè enim senatus Ducem Venetiarum eligit.*

Cum versaretur Byzant. Cardinalis Russiæ] *Isidoro huic viro nomen fuit, antea Metropolitæ Kiouiensi apud Russos, quem Eugenius IV. Pont. Roman. quòd se cum Latinis in Concilio Florentino coniunxerat, in Cardinales cooptauerat. Eum à suis pulsum, & Romam reuersum, Nicolaus Pontif. Constantinopolim legatum ad res denuò componendas miserat, quod præstitit: sed illa reconciliatio nimis sera fuit. Captus & Galatiam ductus ac venditus, in Peloponnesum euasit ignotus. Cognitus enim nunquam euasisset.*

Hæc fuisse reuera iudicia Dei] *Etiam, fuerunt iudicia Dei, iustificata in semetipsa, vt periret orientale imperium, propter schismaticam discessionem videlicet: & qui Ecclesiam Romanam contempserant, ipsi vicissim contempti, & omni Principum Christianorum auxilio destituti, teterrimo hosti subderentur.*

Cometes supra horizontem] *Crinitam stellam, crinitum sidus quidam nominant, quem Græci κομήτην. De quo ita vulgò prædicatur, eum imperiorum mutationem, & summis potestatibus exitium portendere, quorum vtrumque iam factum erat Constantinopoli. Nisi fortè Palæologinæ familiæ interitum & ἐξολόθρευσιν quæ consecuta est portendit hoc genus cometæ, in speciem gladij conformatum.*

AD CAPVT XXI.

Ad despotas Seruiæ, consocerum, & generum] *Thomas filiam suam iunxit Lazaro Despotæ, Georgij filio: ita Lazarus fuit gener Thomæ, & Thomas socer eius. Georgius item socer, propter filiam Thomæ, quæ erat illi nurus. Nisi quis dicat, Thomam Georgij filiam duxisse, quod non ita quadraret ad consocerorum nomen: nec noster quidquam, si memini, de hoc connubio.*

Centerionis Princip. filius] *Putant hunc fuisse Martinum Zachariam Genuensem, cognomento Centerionem. Huius sororem, filiam Asanis Zachariæ Centerionis, qui Achaiæ imperabat, habebat in matrimonio Thomas Palæologus.*

Per Sophiæ regiunculam] *Sophia Bulgariæ metropolis est, etiam nunc magna & populosa, sed non munita.*

A Ianco, & Capistrano, aliisque] *De Ianco supra diximus nonnulla. Capistranus fuit monachus è familia D. Francisci, homo sanctissimus, & ad excitandos populos dicendi copia instructissimus. Eius in obsidione Belgradi, siue Albæ Græcæ, quam Mahometes II. 13. Iunij anno 1456. obsidere cœpit, præcipua virtus enituit, cum per muri ruinas ingressis in vrbem Turcis, & atroci prælio commisso, ipse è turri clamitans, Christianos hortaretur, vexillum crucis ostenderet, opem de cœlo promitteret, hostibus malediceret, Dei præsens auxilium imploraret. Omnino in eius Christianorum propugnaculi defensione præclarissimam nauarunt operam Hunniades, & Capistranus. Complura super eo Bonfinius Decade 3. libro 8. ipso principio. Plurima & magna ad Iesu religionem pertinentia docens, magnam ad gloriam & claritatem emersit, eruditione & contemplatione facilè totius occidentis princeps. Boëmos ad verum fidei lumen adduxit. Hæc carptim ex Laonico. Qui quod ait, eos tunc ignem pro Deo coluisse, melius dixisset Ioannem Hussium coluisse, ne Boëmos Persas faceret, & Capistranum eos non ab idololatria ad Christianismum, sed ab hæresi ad Catholicismum reuocasse.*

AD CAPVT XXII.

Quod cap. in corp. hoc in Peloponneso Corinthus] *Cicero in Maniliana totius Græciæ lumen appellat: sed lumen, antequam à L. Mummio euerteretur, de quo in 1. Officiorum. Nihilominus cum ista scriberentur adhuc lumen Peloponnesi iure dici potuit, & caput, hoc est, vrbs omnium illius peninsulæ vrbium florentissima, & præcipua, & vnde cæteræ penderent. Varia huius vrbis nomina profert*

Stephanus. Vasa Corinthia, & æs Corinthium apud scriptores celebrantur. Eorum cùm esset percupidus Augustus, dictus est Corinthiarius.

Contra tres insurrexerunt] *Contra Demetrium, contra Mahometen, contra Deum ipsum.*

AD CAPVT XXIII.

Mandaretque carnif. suo Ameræ] *Attila Hunnorum rex iram Dei, Tamberlanes se flagellum Dei nominabat.*

AD CAPVT XXVI.

Contra ambos expedit. suscipit] *Cum intellexisset Sultanus de discordiis fratrum, nec tributum ab illis pendi, & Thomam conuentis non stare, ac veteres Patras & Calabrytam, quæ ipsius maiestati dedita essent ad hunc inclinare, eumq; ex ditione fratris prædas agere: cumq; his de caussis ab eodem Demetrio litteris ad ipsos, & oppida capienda euocaretur, ira ille percitus, infestis armis Peloponnesum contendit. Ex Turcogræcia. Contigit Palæologis vt leoni & vrso apud Aesopum, qui magnum nacti hinnulum, de eo pugnabant. Grauiter itaque mutuo affecti, vt ex multa pugna etiam vertigine corriperentur, defatigati iacebant. Vulpes autem circumcirca eundo, vbi eos prostratos vidit, & hinnulum in medio iacentem, hunc per vtrosque percurrendo rapuit, fugiensque abiuit. At illi videbant quidem ipsam, sed quia non poterant surgere, nos miseros dicebant, quia vulpi laborauimus. Peloponnesus fuit iste hinnulus, leo & vrsus Palæologi fratres de vrbium possessione belligerantes, vulpes Turca.*

Simul vt ipsum oppid. dedit. acciperent] *Oppugnatum primo à Turcis affirmat lib. 9. Laonicus. Deinde superueniente ipso rege Mahometo, missum Iosuam legatum, virum prudentem, qui cum Asane vrbis præfecto de deditione ageret. Noster Manuelem Palaologum*

logum Præfectum facit. Orationis autem ab eo ad legatum habitæ summam ponit duntaxat, quam apud Laonicum legere integram licet.

Ipſam bullam poſtquam cap.[factus acquiſiui] *Inſeruerat Protoueſtiarius hiſtoriæ ſuæ bullam hanc, eique hac verba præſcripſerat.* Nunc mihi viſum eſt faciendum, vt in hoc libro ac monumento noſtro etiam iſta extent, quò agnoſcamus merita, quibus Monembaſiotas Imperatores cumulauerunt, propter virtutem & integritatem eorum videlicet: ne temporis loginquitate obliterentur: & vt qui audiunt, & alij excellentium factorum præſtantiam ſibi æmulandam, imitandamque proponant. *Veruntamen diploma hoc epitomæ huic ideo minus neceſſarium putaui inſerere, quia epitome. Deinde quia obſcurius, & ad interpretandum locis aliquot difficilius. Tamen quia ab Imperatore profectum, & alibi nuſquam extat, placuit ad verbum, & citra immutationem, correctionemq́ (niſi librarij imperitiſſimi qui id mendoſiſſimè deſcripſit, vt alia in codice illo permulta) hîc ſubiicere; atq; ita curioſo lectori, & in lingua græca non amplius germana ac ſincera melius verſato, ad exercitationem quandam proponere.*

DIPLOMA ANDRONICI IVNIORIS IMPERATORIS PRO MONEMBASIOTIS.

Ἐπεὶ οἱ μονεμβασιῶται, οἵ τε ἀπὸ τῆς θεοσώστου πόλεως μονεμβα-
σίας καὶ ἀπὸ τῶν πηγῶν εὑρισκόμενοι, καὶ κατοικοῦντες ἀρτίως,
εἴς τε τὴν θεοδόξαστον, καὶ θεοφύλακτον, καὶ θεομεγάλυντον κων-
σταντινούπολιν, ἀλλὰ δὴ καὶ εἰς ἄλλας πόλεις καὶ χώρας τῆς βα-
σιλείας μου εἰσὶν ἀποτεταγμέναι διὰ χρυσοβούλλων, καὶ προσταγμάτων τῶν
ἁγίων, ἀοιδίμων, καὶ μακαρίων μου αὐθέντων καὶ βασιλέων τοῦ τε πατρὸς,
καὶ πάππου, καὶ προπάππου τῆς βασιλείας μου. ἵνα ἐφ' αἷς ἂν ποιῶσι πραγ-
ματείαις εἰς τὴν θεοδόξαστον κωνσταντινούπολιν, τὴν συλημβρίαν, τὴν ἡρα-
κλείαν, τὸ ῥοδοστὸ, τὴν καλιούπολιν, καὶ τὰς ἄλλας τῆς μακεδονίας. καὶ δι-
δῶσι χάριν κομμερκίου εἰς ποσότητα νουμισμάτων ἑκατὸν νουμίσματα δύο εἰς
δὲ τοὺς λοιποὺς πάντας τόπους καὶ χώρας καὶ σκάλας τῆς βασιλείας μου
διαμένωσιν ἀνώτεροι ἀπαιτήσεως κομμερκίου παντελῶς. διατηρῶνται δὲ καὶ
ἔνθα ἂν εὑρίσκονται, καὶ κατοικῶσιν ἀνενόχλητοι καὶ ἀπὸ πασῶν ἄλλων δό-
σεων καὶ ἀπαιτήσεων. παρεκάλεσαν δὲ ἵνα τύχωσι καὶ ἐκ νέου εὐεργεσίας ἰδίας
παρὰ τῆς βασιλείας μου, δι' ἣν ἔχει αὐτὴ τῇ χάριτι, τοῦ ἔφεσιν καὶ ὄρεξιν
εὐεργετεῖν πάντας τοὺς εἰς αὐτὴν ἀναφερομένους πιστοὺς, καὶ εὐυπολήπτους.
προστάσσει, καὶ διορίζεται ἤδη ἡ βασιλεία μου, ἀπολύουσα τὸν παρόντα χρυ-
σόβουλλον λόγου αὐτοῖς, ἵνα πάντες οἱ μονεμβασιῶται, οἵ, τε ἐν τῇ θεοσώστῳ πό-
λει μονεμβασίας κατοικοῦντες, ἀλλὰ δὴ καὶ ἐκ τῶν πηγῶν, καὶ ὅπου ἄρα εὑρί-
σκωνται καὶ κατοικῶσιν, εἴς τε τὴν θεοδόξαστον κωνσταντινούπολιν, ἤ τε καὶ ἀλλα-
χοῦ, ἀπολαύωσι μὲν τῆς ἧς εἶχον προτέρας ἐξουσίας, καὶ δεφενδεύσεως, διὰ
τῶν ῥηθέντων χρυσοβούλλων καὶ προσταγμάτων, ὧν εἶχον οἱ ἀπὸ τῶν πηγῶν
ῥηθέντες μονεμβασιῶται. κατεπίκοινα δὲ τῆς τοιαύτης ἐξουσίας εὐεργετεῖ ἡ βα-
σιλεία μου αὐτοὺς κοινῶς ὅλους τοὺς μονεμβασιώτας, τούς τε ἐκ τῶν πηγῶν, καὶ
τοὺς ἐκ μονεμβασίας, ἵνα ἀφ' αἷς ἂν ποιῶσι πραγματείαις, διδῶσιν εἰς τὸ κο-
μέρκιον τῆς θεοδοξάστου κωνσταντινουπόλεως ὑπὲρ ἐκβολῆς ποσότητος νου-
μισμάτων ἑκατὸν νούμισμα ἕν. καὶ ὑπὲρ ἐκβολῆς ἀγορᾶς ἑτέρας πραγμα-
τείας

τείας ποσότητος νομισμάτων ἑκατὸν νόμισμα ἕν· εἴ τε δηλονότι διὰ σίτου ἐν τῷ
προφορείῳ, καὶ ἀλλαχοῦ ἔνθα βούλωνται· εἴ τε διὰ οἴνου ἐὰν ἐξ οἵης δήποτε χώ-
ρας διακομίσωσι τούτους, ἢ διὰ προσφαγίων πασῶν, ἢ τομερίων, ἢ πετζίων,
ἢ πανίου, ἢ λινοκόκκου, ἢ τζοχαρικῆς, ἢ τετραπόδων, ἢ ἑτέρων εἰδῶν, ὧν ἂν βού-
λωνται, μηδ' ὅλως παρὰ μηδενὸς κωλυόμενοι, ἐπὶ ταῖς διαπεράσεσι τῶν τοιού-
των πραγματειῶν αὐτῶν, ἢ καθελκόμενοι εἰς ἀπαιτήσεις καμπανιστικοῦ, μεσι-
τικοῦ, ζυγαστικοῦ, μετρειατικοῦ, πακτιατικοῦ, γομεριατικοῦ, ὀψωνίου, σκαλιατι-
κοῦ, βιγλιατικοῦ, δεκατίας, ἁλιευτικῆς τετραμοιρίας ξυλαχύρου, ὁρειμῆς
τῆς ἐνιάδος, ὡς τὰς εἰς αὐτοὺς περὶ αὐτὴν ἁπάσας σκάλας. ἀλλὰ δὴ κα-
στροκτισίας, κατεργοκτισίας, μαγγιπείας, ἀντιναύλου, ἐξοπρασίας κοσμιατι-
κοῦ, καπηλιατικοῦ, μιτατικοῦ, ἐργαστηριακοῦ, μεταξιατικοῦ. τῆς ἀπαιτήσεως
τοῦ πανίου τοῦ ἐν τῷ φόρῳ πωλουμένου· ἔτι δὲ καὶ τοῦ κεφαλαίου τοῦ σιταρίου, τοῦ
εἰσαποταχθέντος ἀπαιτῆσθαι ἀπὸ τῶν καραβίων, ἢ ἑτέρου τινὸς κεφαλαίου
τῶν νῦν ἐνεργουμένων, ἢ καὶ εἰς τὸ ἑξῆς μελλόντων ἐπινοηθήσεσθαι. ἀλλὰ δια-
τηρῶνται ἁπάντων τούτων ἀνενόχλητοι, καὶ ἀδιάσειστοι παντελῶς. ὡσαύτως
οὐδὲ οἱ πωλοῦντες πρὸς αὐτοὺς, ἢ ἐξωνούμενοι ἀπὸ τῶν πραγματειῶν αὐ-
τῶν, εἴ τε ζῶα εἰσὶν, εἴ τε γεννηματικὰ εἴδη, ἢ καὶ ἄλλο τι, ἢ ἐν τῇ θεοδοξάστῳ
κωνσταντινουπόλει, ἢ ἐν ἑτέροις τόποις τῆς βασιλείας μου, ἀπαιτοῦντες χάριν
κομερκίου, ἕνεκεν δηλονότι τῆς δεφενδεύσεως τῶν τοιούτων μονεμβασιωτῶν,
ἔσται δὲ καὶ ὅταν διακομίζωσι διὰ καραβίων τὰς τούτων πραγματείας, εἴ τε
ἀπὸ τῆς ἄνω θαλάσσης, εἴ τε καὶ ἀπὸ τῆς κάτω, εἴ τε ἀπὸ τῆς θεομεγα-
λύνθου κωνσταντινουπόλεως κόλπων, εἴ τε σῖτος ἐνὶ, εἴ τε οἶνος, εἴ τε ἕτερόν τι
εἶδος. ἰσάζονται μὲν οἱ δηλωθέντες μονεμβασιῶται, ἐν τῷ μερκίῳ τῆς θεο-
φυλάκτου κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἵνα δίδωσιν ὅσον ἀνωτέρω διορίζεται ἡ
βασιλεία μου. οἱ δὲ ἔχοντες τὰ καράβια διαμένωσιν ἀνενόχλητοι, χάριν
τῶν τοιούτων πραγματειῶν αὐτῶν· μήτε τετραμηρίου, ἢ ἄλλην ἀπαίτησίν τι-
να, χάριν τῆς τοιούτων ἐξουσίας παρά τινος ἀπαιτούμενοι· ἐὰν δὲ διέρχωνται
μετὰ πραγματειῶν αὐτῶν, ἢ ἀπὸ δύσεως εἰς ἀνατολὴν, ἢ ἀπὸ ἀνατολῆς εἰς
δύσιν, ἢ ἀπὸ μέρους τῆς ἀγορᾶς διαβιβάζοντες ζῶα, ἢ ἄλλο τι, εἴ τε εἰς τὴν σω-
ζόπολιν, ἢ εἰς τὴν ἀγαθόπολιν, ἢ εἰς τὴν μηδίαν, καὶ τὰς λοιπὰς χώρας τῆς
βασιλείας μου ὀφείλωσι, διατηρεῖσθαι ἀνενόχλητοι, καὶ ἀδιάσειστοι παντε-
λῶς, ἀπό τε τῆς ἀπαιτήσεως τοῦ κομερκίου τοῦ διαβατικοῦ, καὶ τοῦ περατικοῦ,
παρά τε τῶν κατὰ καιροὺς εὑρισκομένων εἰς κεφαλὴν τῶν εἰρημένων κάστρων· καὶ
παρὰ τῶν ἐκεῖσε τὰ δημόσια διενεργούντων. ἐφ' οἷς δὲ ἂν ποιῶσι πραγμα-
τείας, ἐν ἑτέροις τόποις τῆς βασιλείας μου γεννηματικάς τε, καὶ λοιπὰς, εἴ τε

κατ' ἀνατολὴν, εἴτε κατὰ δύσιν, εἴτε ἐν νήσοις, εἴτε καθ' ἤπειρον, ἔντε κάστροις, καὶ πανηγύρεσιν, εἴτε ἐν ἄλλοις τόποις. Ἔτι δὲ καὶ εἰς τὰς τῆς Πελοποννήσου ἁπάσας χώρας, καὶ κάστρα τῆς βασιλείας μου γινωσκομένας πανηγύρεις, ὠφειλώσι διατηρεῖσθαι μὲν καὶ ἀπὸ τῶν κεφαλαίων πάντων ἀνώτεροι, διατηρεῖσθαι δὲ καὶ παντελῶς ἀνενόχλητοι καὶ χάριν δόσεως κομερκίου. μηδὲ ἕνεκεν πορθμιατικοῦ διδόντες τὸ τυχὸν, ὅθεν ὀφείλωσι διατηρεῖν αὐτοὺς εἰς τὴν τοιαύτην ἀνενόχλησιν, καὶ διεφενδεύουσιν. εἴς τε τὸ κομέρκιον τῆς θεομεγαλωτῆς Κωνσταντινουπόλεως, καὶ οἱ εἰς τὰς ἄλλας πάσας σκάλας, καὶ χώρας, καὶ κάστρα τῆς βασιλείας μου ἐνοχοποιούμενοι κατὰ καιροὺς. ἀλλὰ δὴ καὶ πάντες ὅσοι ἐπιαρατῶσι κτήματα, ἢ ζευγαλάτια, ἢ κάστρα ὁρισμῷ τῆς βασιλείας μου, εἴ τι τῆς περιποθήτου μου αὐγούστης εἰσὶν οὗτοι, εἴ τε τοῦ ἐρασμιωτάτου υἱοῦ τῆς βασιλείας μου βασιλέως, εἴ τε τῶν προ[ειρη]μένων ἀρχόντων τῆς βασιλείας μου, καὶ τῶν λοιπῶν ἀρχόντων, καὶ ἀρχοντοπούλων αὐτῆς. οὐδὲ αὐτοὶ ὀφείλωσι χάριν μαγειρείας, ἢ ὀψωνίου, ἢ ἄλλου τινὸς ζητήματος ἀπαιτεῖν τι ἐξ αὐτῶν, ἢ ἄλλως ἐπάγειν αὐτοῖς ἐπιτίμιον, καὶ ἐπιβλαβὲς, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ οἱ κατὰ καιρὸν μέλλοντες ἔχειν τὴν ἐνοχὴν τῆς θεοδοξάστου Κωνσταντινουπόλεως, ἀφέξονται τελείως τοῦ ἐπάγειν ἐπήρειας αὐτοῖς, καὶ ἀπαίτησιν τὴν τυχοῦσαν, ἢ ὀψωνίου ἢ μαγειρείας, ἢ συγκαταλέγειν αὐτοὺς τοῖς λοιποῖς ἐποίκοις ταύτης. ἐπὶ τὰς κατὰ καιροὺς γινομένας κοινωφελεῖς ἴσως χρείας συγκροτήσεσιν, ἢ ἰδίως ὅλως ἀπαιτεῖν τούτους τῆς τοιαύτης συγκροτήσεσιν ἕνεκα. ἀλλ' οὐ δὲ εἰς ἃς ἔχωσιν οὗτοι ὑποθέσεις, ἢ μετ' ἀλλήλων, ἢ μετ' ἑτέρων τινῶν κριθήσωνται παρ' αὐτῶν, ἀλλ' ἐν τῷ σεκρέτῳ τῆς βασιλείας μου. τῇ γοῦν ἰσχύϊ καὶ δυνάμει τοῦ παρόντος χρυσοβούλλου λόγου τῆς βασιλείας μου, τὰ κατὰ μέρος περὶ αὐτῆς διορίζεται. ἀπολαύσωσι ταύτης κατὰ τὸ ἴσον, καὶ ὅμοιον τρόπον, καὶ οἱ ἐξ ὀσφύος παῖδες, καὶ ἀπόγονοι τούτων, μέχρι ἂν ἡ τοῦ γένους αὐτῶν διαρκῇ ἡ σειρά. εἰς γὰρ τῆς περὶ τούτων ἁπάντων βεβαίωσιν ἀσφαλείας, ἐγένετο, καὶ ἐπεβραβεύθη καὶ ἐπιχορηγήθη αὐτοῖς καὶ ὁ παρὼν χρυσόβουλλος λόγος τῆς βασιλείας μου. ἀπολυθεὶς κατὰ μῆνα νοέμβριον τῆς ἐνισταμένης ἰνδικτιῶνος ιε. ἔτους ς, ωκε. ἐν ᾧ καὶ τὸ ἡμέτερον εὐσεβὲς, καὶ θεοπρόβλητον ὑπεσημήνατο κράτος.

Ἀνδρόνικος ἐν χριστῷ τῷ θεῷ πιστὸς βασιλεὺς, αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων,

Δούκας ἄγγελος κομνηνὸς, ὁ παλαιολόγος.

Τὸ παρὸν ἴσον ἀντιβληθὲν, καὶ εὑρεθὲν κατὰ πάντα ἰσάζον τῷ πρωτοτύπῳ, καὶ ἐγράφη δι' ἀσφάλειαν.

AD

AD CAPVT XXV.

Reginam, & filiam ipsius sibi desponsam] *Non tamen eam cognouisse vnquam scribitur, venenum, aut aliquem dolum ex ipsa metuentem. Transtulit autem eam Constantinopolim, eiq́; victum quotidianum prabendum quamdiu viueret, curauit.*

AD CAPVT XXVI.

Papæ Pio II. caput S. Andreæ Apostoli] *Venienti Thomæ Despotæ Pius Pontifex vsq; ad Miluium pontem, cum frequenti clero obuiam processit. Atq; eo loco, vbi Apostoli caput primum veneratus est, marmoreum sacellum erigendum curauit. Inde augustius aliud in D. Petri templo, vbi caput ipsum postea sollemni dedicatione locauit. Sabellicus lib. 8. Decad. 3. rerum Venetar. Idem Pontifex venienti in Italiam Thomæ Despotæ occurri vsq; Anconam iussit, atq; omnia regio more subministrari.*

AD CAPVT XXVII.

Cui de vita sustentanda prouidit] *Salarium vectigal ciuitatis Aeni dimidium ei concessum narrat Turcogracia. Quo accepto vitam egerit dissolutam ac profusam, luxui venatuiq́; deditus. Cum autem Salarij pecuniam regiam cū ipso interuertissent, re ad aures Sultani perlata, ad quæstionem iussu eius abrepti sunt. Qui in tormentis ediderunt, peculatum de sententia Despotæ factum esse, partitione nummorum inter ipsos facta. Ob id capitis ipsum supplicio afficere Sultanus voluit, sed obstitit Mahometa Bassa. Attamen vectigali salinarum, & omni reliquo reddιtu eum priuauit. Quo factum est, vt aula ipsius diffluxerit, singulis quò voluntas ferret abeuntibus, non suppeditante amplius ad victum cultumq́; facultate. Eidem postquam Adrianopolim venisset (Ameras) facultas equitandi prorsus adempta est, ingloriam vitam degere coacto. Appropinquante Sultani in Adriani vrbem ingressu, egressus inde miser ille pedes, ei obuius*

uiu factus est. Quem Sultanus conspicatus, miserans, iußit ei equum vnum de eximiis adduci, quo conscenso Sultanum equitans praceßit. Accepit & exiguum quid annonæ, ad sustentationem duntaxat vitæ. Nec multò post deceßit ipse, & Despæna vxor eius. Hanc narrationem cum Protouestiarij narratione compara, si vis.

Regi autem Trapezuntis Dauidi Comneno] *Qua ratione regnum Trapezuntinum ad Comnenos peruenerit, docet lib. 9. Laonicus hoc modo. Colchidis reges feruntur olim Byzantij fuisse, nati è familia Comnenorum. Qui cum excidissent regno Constantinopolitano, Isaacius patre à populo propter odium interempto in Colchida & Trapezuntem abiit. Aduenientem Colchidis incolæ ducem pronuntiarunt, & exinde regnum Colchidis Trapezuntem contraxit. Ex eo inde tempore hic regnantes, ad nostra vsq; tempora durarunt, existentes Græci, mores, linguamq; Græcorum retinentes. Affinitatem iunxerunt cum barbaris finitimis, quos Albos Probatantes nominant. Item cum Græcis Byzantij, nam & Alexius Comnenus Ioanni Byzantio regi filiam suam collocauit.*

Reperta aduers. illum caussa non vera] *Dedit Sultanus illi ex promisso regionem & oppida victus vestitusq; nomine, iuxta Serras. Filiam eius ex pacto non duxit; sed præceptori suo coniunxit, qui multum laborauit, vt Saracenam faceret, sed frustra. Ideo & repudiauit ipsam. Postea bello contra VZucasanem orto, cum aduersus eum Sultanus profectionem susciperet, afflictum illum, quondam Trapezuntis Imp. de medio sustulit. Caussa vera à nemine cognosci potuit: sed suspicio tantum fuit. Ex Turcogræcia.*

Bessario Card. ad eorum pædagog. epist.] *Huius epistolæ summam quandam ponere satis fore statui. Propter memoriam autem hominis eruditißimi, & de Ecclesia latina optimè sine controuersia meriti, ipsam ad verbum, & qualem inueni, hoc loco apposui. Sunt etiam in ipsa tenebræ multæ ac densæ, quod lector vel mediocriter græcè doctus indicabit. Scribæ lapsus quam plurimos emendaui, interpũctiones necessarias, quatenus quæ legi intellexi, adhibui. Ad captum Pædagogi se Bessarion demisit, & cũ balbo balbutiuit, cum græco vulgari ista conscripsit, non indigna sanè, quæ latinè legerentur.*

EPI-

EPISTOLA BESSARIONIS CARDINALIS, AD PÆDAGOGVM FILIORVM THOMAE PALAEOLOGI, ANCONAM.

Εὐγενέστατε ἄνερ, καὶ ἡμῶν φίλτατε φίλων, ἐδεξάμην καὶ πρότερον, καὶ νῦν διὰ τοῦ ἑρμηνιανοῦ γράμματα τῆς εὐγενείας σου, πρὸς ἃ οὐκ ἀπεκρινάμην, ἀναμένων, ἵνα γένηταί τις ἀποκατάστασις εἰς τὴν πρόνοιαν τῶν αὐθεντοπούλων. ἐπειδὴ οὖν ἐγένετο, νῦν γράφω. παραμυθεῖσθαι μὲν καὶ ὑμᾶς, καὶ τοὺς αὐθεντοπούλους διὰ τὴν ἀφόρητον λύπην τοῦ μακαρίτου ἐκείνου, καὶ ἁγίου δεσπότου, οὐκ ἔστι τοῦ παρόντος καιροῦ. διὸ παραιτήσομαι τοῦτο τανῦν. γίνωσκε δὲ ὡς ἁγιώτατος πάπας διὰ παρακλήσεως φίλων τινῶν, καὶ οἰκείας καλοθελείας, ἔταξεν ἵνα δίδωνται κατὰ μῆνα τοῖς αὐθεντοπούλοις δουκάτα τριακόσια. ὥσπερ ἐδίδω καὶ τῷ ἁγίῳ τῷ δεσπότῃ. θέλει δὲ καὶ ὁρίζει ὁ ἁγιώτατος πάπας, ἵνα τὰ μὲν διακόσια κατὰ μῆνα μεῖναι διὰ τὰ τρία ἀδέλφια ὀπίσης ἀνέγκυσα, νὰ ἐξοδιάζωνται ἐς τροφὴν ἐκείνων, καὶ ἀνθρώπων ὑποχειρίων μικρῶν, ἕξ, ἢ ἑπτὰ τοῦ καθ' ἑνός, καὶ εἰς ἀγορὰν καὶ τροφὴν ἀλόγων τεσσάρων τὸ ὀλιγώτερον, καὶ εἰς ρόγαν τῶν αὐτῶν ὑποχειρίων, καὶ εἰς ἐνδύματα τῶν αὐθεντοπούλων, νὰ εἶναι καλὰ ἐνδύματα. καὶ κάπουνα περισσεύσῃ, καὶ τύποτα τὸν καθ' ἕνα δι' ἀναβοηθηθῶσι κάπου εἰς ἀσθένει αὐτοὺς, ἢ εἰς ἄλλην ἀνάγκην. καὶ τοῦτο θέλει ἵνα γένῃ ἐξάπαντος, καὶ νὰ μηδὲν γένῃ ἄλλως. τὰ δὲ λοιπὰ ἑκατὸν δουκάτα τὸν μῆνα, ἤγουν χίλια καὶ διακόσια τὸν χρόνον νὰ ἐξοδιάζωνται εἰς τινὰς ἄρχοντας, καὶ καλὰ πρόσωπα, ὁποῦ νὰ εἶναι ἀσουτὰ τῶν καταδουλεύουν, καὶ νὰ τὰ συντροφιάζουν, καὶ νὰ τὰ φυλάττουσιν. ἀκούσας δὲ ὁ ἁγιώτατος πάπας τὸ πόσοι εἶναι αὐτοῦ, ὑπερεθαύμασε, καὶ κατὰ γίνωσκέ ταί μας, καὶ γὰρ ἐὰν εἰς τὴν αὐθέντην τὸν μακαρισμένον ἐκεῖνον τοιοῦτον ἄνθρωπον. ἐθαύμαζον δὲ πῶς εἶχεν ἐδῶ τόσους, καὶ ἐκατηγόρουν τόν, ὅτι εἰς ξενητείαν νὰ θρέφῃ τόσους μὲ ξένα δουκάτα καὶ ξέναις ἐλπίδαις. πόσον μᾶλλον τώρα ὁποῦ ἦλθον καὶ ἄλλοι πλειώτεροι παρὰ ὁποῦ ἦσαν ἐδῶ καταγινώσκονταί των καὶ κατηγοροῦσί των. καὶ μάλιστα εἰς αὐθεντόπουλα νέα καὶ ὄρφανα.

ὅπου οὐδὲ ἀξίωμα, οὐδὲ ὄνομα, οὐδὲ φήμην ἔχουσι. καὶ οὐ μόνον καταγινώ-
σκονται τῶν, ἀμὴ οὐδὲ βούλονται νὰ ἐξοδιάζωσιν ἕνα τορνέσιν πλέον. καὶ ἀμ-
ποτες τὸ μᾶς ἔταξαν νὰ τὸ φυλάξωσι τελείως καινὰ μηδὲν μεταβληθῶσιν,
ὥσπερ ἐποίησαν καὶ ἄλλοτε. δι' αὐτὸ εἶναι χρείαν νὰ φροντίζῃ ἡ εὐγένεια σου μετὰ
τοῦ ἄρχοντος τούτου κελτοπούλου τοῦ ἰατροῦ τούτων. ὅπου κατὰ τὸ παρὸν ἔχετε τὴν φρον-
τίδα τῶν αὐθεν τοπούλων. ἐπαναστήσωμέν της νὰ τὰ διοικῇ, ἢ δὶς ἔναι ἀναγκαί-
ως νὰ κρατηθῇ καὶ μετὰ ταῦτα θέλουσα μερισθεῖν μετὰ βουλῆς ἐδικῆς μας εἰς ἐκεί-
νους ὅπου θέλουσιν ἀπομένειν. ἐμένα γοῦν προηγουμένως φαίνεταί με ὡς ἀναγ-
καιώτατον ὅπου οὐδὲν ὑπορεῖ νὰ λείψῃ, πρῶτον ὁ ἰατρὸς, δεύτερον ὁ διδάσκαλος
ἕλλην, τρίτος ὁ διδάσκαλος λατῖνος, τέταρτον δραγουμάνος. ἔπι οὖν εἰσὶν ἀναγ-
καιώτατοι καὶ οὐδὲν ἠμπορεῖ νὰ λήψωσιν. ἔτι δὲ καὶ εἷς, ἢ δύο παπάδες λατῖνοι
εἶναι ἀναγκαιώτατοι διὰ νὰ ψάλλωσι λειτουργίαν λατινικὴν συνεχῶς. εἶναι
γὰρ χρεῖα νὰ ζῶσι τὰ παιδία λατινικῶς, ὥσπερ ἐβούλετο καὶ ὁ μακαρισμένος
ὁ πατὴρ τῶν. καὶ οἱ ἄρχοντες ὁ ποῦ θέλωσιν, εἴθε μετ' ἐκείνους, ἔναι χρεῖα νὰ
προσέχωνται εἰς τοῦτο, νὰ μηδὲν φεύγωσιν ἀπὸ τὴν ἐκκλησίαν διὰ τὸ μνη-
μόσυνον τοῦ πάπα, ὡσὰν τὸ ἐποίησαν εἰς τὴν στράταν ὅπου ἤρχεσθε, διότι ἂν φεύ-
γωσιν ἀπὸ τὴν ἐκκλησίαν ἔναι χρεῖα νὰ φεύγωσι καὶ ἀπὸ τὴν φραγγίαν.
οὐδὲ δύναται γὰρ θέλει ἄνθρωπον ὅπου τὸν ὀνομάζει ἄπιστον, καὶ αἱρετικὸν, καὶ ἀπο-
στρέφεται τὸν φανερά. ἀφ' ὅτου γοῦν τοῦτοι οἱ ἀναγκαῖοι σου εἴπαμεν νὰ κα-
ταστα θῶσι, καὶ ἐστηθῇ τὸ μερτικόν των, τότε θέλει εἰσθεν. τοῦτο δὲ θέλω τὸ καὶ τάξιν
ἐγὼ ἐδῶ καὶ θέλω σου καταστήσειν, τότε θέλετε ἰδεῖν τὸ ὑπόλοιπον πόσον ἔναι,
καὶ πόσον ἀπομένει ἀπὸ τὰ, α, ςφλόρια. καὶ τότε ἡ εὐγένειά σας ὅλοι αὐτὰ μα
θέλετε ἀποκαταστήσειν τις νὰ ἀπομείνῃ, καὶ τινὰ ἔχῃ ὁ καθεῖς μεταβουλῆς ἡμε-
τέρας. ἐμένα οὖν φαίνεταί μου, ὅτι ὅσον εἶναι πλείονες καὶ ἐλαφρώτεροι ὅπου μέλ-
λουσι νὰ ἀρκεθοῦν μὲ ὀλίγον ὁ καθεὶς. εἶναι δὲ ἄλλως χρήσιμοι. τόσον θέλει εἶ-
σεν κάλλιον, διότι θέλουσιν ἔχειν τὰ παιδία πλείονα συντροφίαν, καὶ πλείο-
να δουλωσύνην, καὶ πλείονα τιμήν. ὅμως τοῦτο θέλομεν τὸ σκέψεσθαι ἐν ἅμα,
καὶ θέλομεν ποιήσειν τὸ κάλλιον. ἡ εὐγένεια σου εἶναι κατὰ τὸ παρὸν ὥσπερ διοική-
της τῶν παιδίων μετὰ τοῦ κελτοπούλου. ἔναι γοῦν ἀνάγκη περὶ πάντων νὰ φρον-
τίσεται τὴν παίδευσιν τῶν. καὶ τὰ ἤθη τῶν. νὰ γίνουν καλὰ, καὶ πεπαιδευμένα,
ἂν θέλετε νὰ ἔχουν τιμὴν ἐδῶ. εἰ δὲ μὴ θέλουν τὰ καταφρονήσειν καὶ αὐτὰ, καὶ ἐ-
σᾶς ἐδῶ. καὶ οὐδὲ στραφεῖν θέλουν νὰ σᾶς ἰδοῦν με τὸν μακαρίτην τὸν αὐθέντην
τὸν πατέρα τῆς ἐσυντύχαμεν περὶ τούτου, καὶ ἐκεῖνος ἐβούλετο νὰ τὰ ἐνδύσῃ καὶ
νὰ ποιήσῃ νὰ ζοῦν φράγγικα παντελῶς. ἤγουν νὰ ἀκολουθοῦσι τὴν ἐκκλη-
σίαν κατὰ πάντα ὡσὰν λατῖνος, καὶ οὐχὶ ἀλέως, νὰ ἐνδιώνωνται λατινικῶς. νὰ

μάθουν νὰ γονατίζουν, τοὺς ὑπερέχοντας καὶ πάπα, καὶ καρδιναλέας, καὶ τοὺς
ἄλλους αὐθεντίας. νὰ ἀποσκεπάζωνται τὸ κεφάλιν τους, νὰ τιμῶσι τοὺς χαι-
ρετῶντας αὐτοὺς, ὅταν ὑπάγουν, νὰ ἰδοῦν καρδινάλιν, ἢ ἄλλον ὅμοιον αὐθέν-
την, νὰ μηδὲν καθίσουν ποσῶς, ἀμὴ νὰ γονατίζουν. καὶ ἀπέκει ὅταν τοὺς εἰπῇ.
ἐκεῖνος νὰ σηκωθοῦσιν. ὁ δὲ μακαρίτης ἐκεῖνος ἔλεγεν, ὅτε καὶ πολλάκις ἂν τοὺς
τὸ εἴπωσι νὰ μηδὲν καθήσωσιν. αὐτὰ οὖν ὅλα ἐνθυμᾶσθαι ταῦτα νὰ τοὺς νουθετήσε-
τε· καὶ νὰ τοὺς παιδεύσετε καλά. ἔτι ποιήσετε ὅτι τὸ βαδισμά τους νὰ ἔναι σεμνὸν,
καὶ τίμιον, ἡ ὁμιλία τοῖς χρησιμωτάτοις, καὶ ἡ φωνὴ τους νὰ ἔναι μετρία. καὶ ἠρε-
μία, τὸ βλεμμά τους προσεκτικὸν, νὰ μηδὲν χάσκωσιν ἐδῶθεν κἀκεῖ-
θεν. ἂς τιμοῦν πάντας, ἂς ἀγαποῦν πάντας, ἂς συντυχένωσι πάντας καὶ
τοὺς ἐδικούς των, καὶ τοὺς ξένους μετὰ τιμῆς· μηδὲν εἶναι ἀλαζονικοὶ, ἂς
εἶναι ταπεινοὶ, καὶ ἤρεμοι· καὶ μηδὲν ἐνθυμοῦνται, ὅτι εἶναι βασιλέως ἀπόγο-
νοι, ἀμὴ ἂς ἐνθυμοῦνται· ὅτι εἶναι διωγμένοι ἀπὸ τὸν τόπον των. ὀρφανοὶ, ξέ-
νοι, ὁλόπτωχοι ὅτι ἔναι χρεῖα νὰ ζοῦν ἀπὸ ξένα χέρια. καὶ ὅτι ἂν δὲν ἔχωσιν
ἀρετὴν, ἂν οὐδὲν εἶναι φρόνιμοι, ἂν οὐδὲν εἶναι ταπεινοὶ, ἂν οὐδὲν τιμῶσι πάντας,
οὐδὲ τοὺς θέλουν τιμήσειν οἱ ἄλλοι. ἀμὴ θέλουν τοὺς ἀποστρέφεσθεν πάντας.
αὐτὰ οὖν ὅλα φρόντισε τὰ καλὰ ἡ εὐγένειά σου μετὰ καὶ τοῦ κερτοπούλου, ἐπειδὴ
τὸ γομάριν ἀπάνω σας ἔναι. πρὸς τούτοις ἂς ἐπιμελοῦνται νὰ μάθουν γράμμα-
τα, νὰ προκόψουν, μηδὲν ἐνθυμοῦνται, ὅτι εἶναι εὐγενικοὶ, ἡ εὐγένεια χωρὶς ἀρετῆς
οὐδὲν εἶναι τί ποτις. καὶ εἰς πάντας μὲν τοὺς αὐθέντας ὅπου ἔχουν καὶ μεγάλας
αὐθεντίας καὶ ἀρχὰς, ἢ μάλιστα αὐτοὺς ὅπου ἔχασαν ὅλα. διὸ ἀσπουδάζουν νὰ
μανθάνουσιν, ἂς ἔχουν εὐπείθειαν, καὶ ὑποταγὴν, καὶ ὑπακοὴν εἰς τὴν εὐ-
γένειαν σου, καὶ εἰς τὸν ἰατρὸν ὅπου τὰς ἐνέθρεψε, καὶ εἰς τὸν διδάσκαλον των,
καὶ ἄσσας ὑπακούωσι, καὶ ἂς ποιοῦν τὸ τοὺς λέγεται. ἐξ ἅπαντα ἂς μα-
θεῖν, ὁ καθεὶς ἀπαυτοὺς ἐκ στήθους ἕνα προφώνημα τὸ πλέον μικρὸν εἰς
τὸν πάπαν, νὰ τὸ εἴπωσι τοῦ πάπα γονατιστοὶ, καὶ ἀποσκέπαστοι ὅταν ἔλθωσιν
ἐδῶ, καὶ μηδὲν γλύη ἀλέως, ὅταν περιπατοῦν εἰς τὴν στράταν. Καὶ ἐν ἄν-
θρωποι ἀποσκεπάζονταί τους καὶ τιμοῦν τους, ἂς ἀποσκεπάζωνται καὶ αὐ-
τοὶ τὸ καπάσιν των, ἢ ὁλότελα, ἢ πλεῖον ἢ ὀλιγώτερον, ὡς πρὸς τοὺς
ἀνθρώπους. ὁμοίως καὶ ἂν ἔρχωνται ξένοι εἰς τὸ σπίτιν, τίμιοι ἄνθρωποι, νὰ
τοὺς βλέπουσιν, ἂς τοὺς προσηκονοῦνται, ἂς τοὺς ἀποσκεπάζωνται, ἂς τοὺς
παρεμβάλωσι κατὰ τοὺς ἀνθρώπους. ἂς συντυχένωσι ὀλίγα μὲν, ἔντιμα καὶ
εὐχαριστικὰ, καὶ ταπεινὰ, μηδὲν γελῶσι ποσῶς, μηδὲν διαχέτωνται, ἀλλὰ μετὰ
καθεστηκότος, καὶ σοβαροῦ φρονήματος αὐτοὺς συντυχένουσιν, εἰς τὴν τρο-
φὴν των ἂς εἶναι προσεκτικοὶ, καὶ ἐγκρατεῖς εἰς τὸ τραπέζιν των, ἂς κάθων-

ται μετὰ προσοχῆς, καὶ παιδεύσεως. ἂν θέλετε νὰ εἶναι πεπαιδευμένοι εἰς τοὺς
ἐδικούς των. νὰ μηδὲν ἀναισχυντοῦν ἵνα συνηθήσετέ τους ἀπὸ τώρα. καλὰ ἤθη,
καὶ ταπεινά, καὶ ἥμερα. ἂς μανθάνωσιν ἀπὸ τώρα νὰ γονατίζουν ἐπιτήδεια καὶ
εὔμορφα. καὶ μηδὲν τὸ ἔχωσιν ἐντροπὴν ὅτι μεγάλοι ῥήγαδες καὶ βασιλεῖς
τὸ ποιοῦσιν, ὅταν σεβαίνουν εἰς ἐκκλησίαν λατινικὴν ἂς γονατίζουν, καὶ ἂς εὔ-
χωνται, ὥσπερ οἱ λατῖνοι. ἐπαγγέλετέ τους συνεχῶς εἰς τὰς ἐκκλησίας, εἰς
τὰς λειτουργίας, καὶ ἀστέκωνται μετὰ εὐλαβείας, καὶ προσοχῆς, χωρὶς γέ-
λωτος, χωρὶς λαλίας, ἂς γονατίζουν καὶ ἂς ἀποσκεπάζωνται ὥσπερ οἱ λα-
τῖνοι, καὶ ἂς μιμοῦνται ἐκείνους, ἂν οὕτως ποιῶσι, θέλουσι βοηθηθεῖν, θέλουν ἔ-
χειν τιμὴν παρὰ πάντας, θέλω δυναθεῖν καὶ ἐγὼ νὰ τοὺς συνεργῶ, εἰ δὲ
τἀναντία ποιοῦσιν, ἐγὼ οὐδὲν θέλω δυνηθεῖν, νὰ τοὺς βοηθήσω οὐδὲ ὅλως. οἱ
ἄνθρωποι θέλουν τοὺς ἀποστραφεῖν, καὶ τινὰς οὐδὲν τοὺς θέλει τιμήσειν οὐδὲ πο-
σῶς. ταῦτα οὐδὲν λέγω γράφειν τὴν εὐγένειάν σου, καὶ τοὺς ἄλλους μετόσω
πολυλογίας εὔκαιρα καὶ μάταια, ἀλλὰ διὰ νὰ λέγεται συνεχῶς τὰ αὐθεν-
τόπουλα. νὰ ποιήσετε, νὰ τοὺς τὰ ἀναγινώσκῃ συνεχῶς ὁ διδάσκαλος τῶν,
νὰ τὰ ἐγροικοῦν καλά, διὰ νὰ τὰ ποιῶσιν. ἐκείνους τὰ ἤθελα γράψειν. ἀλλ' ἐ-
πειδὴ ἐκεῖνοι ὡς νέοι ἀκόμη. οὐδὲν τὰ ἐγροικοῦν καλά. διαυτὸ γράφω τὰ τὴν
εὐγένειάν σου νὰ τοὺς παραινεῖτε καὶ ἀπὸ λόγου μου, καὶ ἀπὸ ἐδικοῦσας, νὰ
ποιῶσιν ὡσὰν γράφομεν, ἐνταῦθα ἔναι θανατικὸν κατὰ τὸ παρόν. δι' αὐτὸν ἐ-
φάνη καλὸν μετὰ βουλὴν τῶν ἀρχόντων. Ὁποῦ εἶναι ἐδῶ, καὶ μετὸ θέλημα
τοῦ ἁγιωτάτου πάπα νὰ μηδὲν ἔλθουν τὰ αὐθεντόπουλα ἐδῶ διὰ τὸν κίνδυνον,
ἀλλ' οὐδ' αὐτοῦ εἰς τὸν ἀγκῶνα νὰ εἶναι, ἐπειδὴ οὐδὲ αὐτὸς ὁ τόπος εἶναι γερός,
ἀμὴ νὰ διαβῆτε νὰ ὑπάγετε εἰς ἄλλην χώραν τὴν λέγουσι τζίκολον, ὁποῦ
ἔναι καλὸς ἀήρ, νὰ στέκετε ἐκεῖ ἕως τοῦ σεπτεμβρίου, ἢ ὀκτωμβρίου μὲ τοὺς αὐ-
θεντοπούλους καὶ τὴν αὐθεντοπούλαν. σκέψασθε ἐσεῖς ἐν τῷ μέσῳ ἂν πρέπῃ
νὰ ἀπομείνῃ αὐτοῦ πάντοτε, ὡσὰν βουλεύονται καὶ οἱ ἄρχοντες ὁποῦ εἶναι ἐδῶ.
ὁ μακαριώτατος πάπας, καὶ ἐγώ, γράφομεν τὸν λεγάτον τῆς μάρκας ὁποῦ
νὰ σᾶς βοηθήσῃ. καὶ νὰ σᾶς συνδράμῃ εἰς ὅ τι εἶναι χρεία. αὐτοῦ ἔναι καὶ τὶς
ἐπίσκοπος τοῦ κόσμου ὁποῦ ἔναι ἐδικός μου καὶ οἶτον, καὶ δουλευτῆς τοῦ ἁγίου τοῦ
δεσπότου, τὸ τζίκολον εἶναι ἐνοριάτου, καὶ ἔχῃ καὶ ἐκεῖ καλὸν ὁσπίτιν καὶ
θέλει σᾶς τὸ δώσειν νὰ κατοικήσετε ἐκεῖ. καὶ θέλει σᾶς συνεργήσειν εἰς τὸ
εἶναι δυνατόν. ἐκ ῥώμης αὐγούστου θ, α, υξε. ἔτους. ψ. ὁ βισ-
σαρίων καρδινάλις, καὶ πατριάρχης κωνσταν-
τινουπόλεως.

AD CAPVT XXVIII.

In Albanit. irrump. Scanterin. ipſius dom.] *Georgium Caſtriotam, eius partis Epiri principem, quæ olim dicta eſt Aemathia. Hunc obſidem à patre Ioanne datum Amurati, Turcæ circumciderunt, & Iſchenderbeg nominarunt. Itali Scanderbegum dixerunt.*

Inſulam Imbrum, rurſumque] *Inſula Aeolica Imbrus, haud procul à Lemno, è regione Tenedi. Prouerbio* ἴμβροι *vocabantur* οἱ φυγοδικοῦντες, *ſeu* τὰς δίκας ἀποφεύγοντες, *qui iudicium ſubterfugiebant, ſimulantes ſe Imbros eſſe.*

AD CAPVT XXIX.

Matthæus Aſanes animam efflauit] *Cauſſam mortis aliam refert Protoueſtiarius, aliam Turcogræcia, ægritudinem videlicet ex affinis Demetrij calamitate ſuſceptam.*

Ex vectigalibus frumenti aſprorum 50. millia] *Ex vectigalibus ſalinarum tantum cepiſſe ſcribitur in Turcogræcia. Aſpra, ſiue aſpri monetæ genus Turcis, quorum 40. dicuntur facere talerum. Ab albore aiunt nominari. Aſper nummus latinis eſt recens, tactu adhuc aſper, nondum tritus & leuis.*

AD CAPVT XXX.

Oppidulum armis in poteſtatem redactum] πολίεθρον *eſt in græco. Quodnam illud oppidulum? Chalcis fuit, in quo oppugnando pæne 30. hominum millia amiſit, & poſt dies 30. à Veneto nauarcho deſtitutam expugnauit, omníque genere crudelitatis in Græcos, & Italos deſæuiit. Paulus Ericus, Prætor vrbis, filiam virginem habebat formoſiſſimam & maturam viro, quæ ad Sultanum adducta, cum eius ſe libidini proſtituere nollet, iugulata fuit.*

Perfectè monachum μεγάλε σχήματος] *In Euchologio Græcorum duæ sunt τάξεις, siue ordines & cærimoniæ duplices monachos inuestiendi, seu sacro habitu induendi, & consecrandi. Vnus dicitur* μικρῦ σχήματος, ἤτοι μανδύε parui habitus siue mantelli, *qui monachorum nondum perfectè initiatorum erat. Alter* τῦ θείε καὶ ἀγγελικῦ σχήματος, *siue* μεγάλε σχήματος diuini, & angelici, siue magni habitus, *ad quem à minore habitu transibant, quasi qui hodie post nouitiatum professionem faciunt, vt loquimur. Et hic quidem habitus maior ac venerabilior fuit, qui perfectum, & consumatum monachum indicaret.*

In itinere vitam reliquit] *Adscribam hîc ex elogio Pauli Iouij, quæ ad Bessarionis mortem, sepulturam & scripta pertinent.* Nec multò post cum honore legationis in Galliam est missus. Sed dum è Gallia rediens, concepto morbo Rauennæ substitisset, anno septuagesimo septimo ætatis moritur. *Funus autem Romæ celebratum, in templo Apostolorum, vbi marmoreum tumulum viuens sibi cum hac græca inscriptione extruxerat.*

> Τοῦτ' ἔτι Βησσαρίων ζῶν ἄνυσα σώματι σῆμα·
> Πνεῦμα δὲ φεύξεται πρὸς θεὸν ἀθάνατον.
> *Bessarion feci hunc tumulum, qui conderet ossa:*
> *Venerat vnde olim, spiritus astra petet.*

Obiit Rauennæ anno Christi 1473. Funebris eius laudatio à Platina habita, legitur cum vitis Pontificum. Scripsit de Eucharistia, & Platonis defensionem aduersus Georgium Trapezuntium, qui Aristotelem longè anteponebat. De Græcis latina fecit Aristotelis ac Theophrasti μετὰ τὰ φυσικά. Xenophontis item de dictis ac factis Socratis libros IV. aliaque. In Florentina Synodo, cui interfuit, opus scripsit contra Marcum Ephesinum, malè cum Græcis de processione sancti Spiritus sentientem, quæ nondum typis edita, sunt in bibliotheca Italiæ: nam & suam ipse moriens testamento reipub. Venetæ legauit, asseruaturque ad D. Marci.

Vala-

Valachiam quantis p. copiis adortus est] *Dacia quondam appellabatur amplissima regio, quæ Transyluaniam cum vtraque Valachia continebat. Et cingunt ambæ Valachiæ Transyluaniam, quarum vna maioris nomen habet, altera minoris. Maior ad Euxinum mare se porrigit, & nostris Moldauia, Turcis Carobogdania, quasi nigra Bogdania, siue Bogdani regio dicitur, à frumento nigro, cuius est ager ille feracissimus. Minor propter Danubij ripas extenditur, & plerumque nominatur Transalpina, Bonfinio Montana quoque, sicut & aliis. Vlachiam vocauêre Græci, & incolas Vlachos, pro quibus interpretes Zonaræ & aliorum Blachiam & Blachos, contra molliorem pronuntiandi rationem Græcorum. Lege cætera apud Leunclauium in Pandecte Annalium Turcicorum, quibus originem vocis Valachus inuestigat.*

FINIS.

EPISTOLA GEORGII TRAPEZVNTII, QVA EXCELSISSIMVM, SACRATISSIMVMQVE IOANNEM PALÆOLOGVM ROMANORVM IMP. cohortatur, vt in Italiam ad Synodum nauiget.

IN hac epistola Basileense Concilium, quatenus auctoritatem ac potestatem Romani Pontificis decretis suis imminuere conatum est, grauiter insectatur. Fraudem & studium serendæ discordiæ demonstrat. Varia iudicia super profectione ista, mentéque Imperatoris ostendit, quem ad proficiscendum proposita rei necessitate vehementer vrget atque impellit. Ecclesiarum resarciri concordiam ex animo desiderat. Imperatori tamen nimium in eo videtur blandiri, quod ab ipso potissimùm non græcæ tantùm, sed latinæ item Ecclesiæ bonum statum, & incolumitatem omnem dependere, non obscurè significat. Quanquam in hoc ad Patres Basileensis Concilij potius respicit, quos de Papa aut Gallo in Gallia, aut Germano in Germania introducendo valde suspectos habet: quorum improba studia Imp. aduentu suo in Italiam redigere ad nihilum possit. Hæc autem epistola referri poterit ad cap.13.lib.11.& reliqua deinceps, in quibus de Imp. in Italiam transmissione aduentuq; Venetias, & Ferrariam agitur.

DE EODEM TRAPEZVNTIO, EX ELOGIIS PAVLI IOVII.

GEORGIVS Trapezuntius in Creta natus, quod paternam originem è Pontica celebri vrbe duceret, vetustæ patriæ nomen asciscere, quam natale solum fateri maluit. Is Græcorum ferè primus, Romæ eo tum sæculo renascenti-

bus

bus literis, qui græca fœliciore stylo in latinum verteret, existimatus est: vti liquidissimè constat ex Aristotelis, sacrisque Eusebij Cæsariensis operibus, & ex rhetoricis præceptis Hermogenis. Erat enim ingenio ad lucubrandum maximè valido, vehementique, sed vti mox apparuit, tetrici liuoris pleno. Nam cùm se Peripateticum profiteretur, vnumque Aristotelem extollendo celebraret, vsque adeo superba aure fuit, vt nec diuini quidem Platonis ingenium laudari pateretur: cuius etiam dogmata & mores peracerbè, & insolenter edito famoso volumine lacerauit. Sed Bessarione generosa eruditione illustrique facundia Platonem defendente, Georgius vim tanti fluminis sustinere non potuit, cum publica inuidia deflagraret. Habitauit iuxta Mineruam. Ad exactam senectutem peruenisse fertur, ita vt repuerascenti, ac propemodum deliro memoria tantarum rerum elaberetur, & circuiret vrbem solus, detrito in pallio, pileatus, & nodoso scipione vacillantis gradum sustinente, &c. *Hæc carptim ex Iouio.*

EPISTOLA.

NON *quia te, vt plerique opinantur, Imperator optime, penitus hærere ac dubitare existimē, num triremibus à principe Episcoporum* (Pont. Rom. Eugenio IV.) *missis in Italiam transmittas, cohortationem istam institui: sed quoniam potentiæ tuæ etiam atque etiam maioremque in modum gratificaturum me iudicaui, si illa literis ad te conscriberem, quæ tibi, vtpote eadem magnopere sentienti, voluptatem, mihi verò excusationem atque veniam conciliarent, qui tametsi vsum & exercitationem linguæ Græcæ, velut in remotam coloniam deductus, pridem intermiserim, nihilominus ad tuam celsitudinem scribere non formidarem. Quemadmodum enim hominis sanæ mentis neutiquam foret, si eiusmodi Imperatori, sapientiæ scilicet, ac disciplinis deditissimo, conarer dare consilium, & tamen quod ad persuadendum valere posset, non haberem: ita candidi hominis fortasse videbitur, ac fidelis, & obsequentis, multis interim de voluntate ac sententia tua ambigentibus, tibi*

placita scribendo persequi, existimariq; persuadere voluisse iampridem persuaso: immò verò, qui vltrò ad hoc incumbat, & complures iam in eandem voluntatem inflexerit. Cæterùm principium aliquod orationis constituendum censeo, vt ratione & via procedamus, ne idem mihi vsu veniat quod illis, qui cum non nisi exiguis oneribus ferendis sint, multa tamen & grandia suscipiunt. Nam si ordinem rerum seruauerimus, idipsum nostram in dicendo ruditatem forsitan adiuuabit.

Basileæ, quæ est vrbs Germaniæ, congregata Synodus, Imperator, simul ac congregata est, sanxit, vt si ei, qui nunc Ecclesiæ clauum tenet, è vita excedere pro humana conditione, Synodo durante contigisset, soli Synodo supremum eligere Episcopum fas esset. Quo quidem decreto satis declarauit, se ad Romani Pontificis primatum, ad Germanos, aut Gallos transferendum coiuisse. Et hodie, quæcunque aut dicit, aut facit, hac de caussa dicit & facit: non illa sanè tota: etenim qui virtute, & sanctioris vitæ rationibus inter eos antecellunt, mentem meliorem induerunt: peruersi autem non magis de Græca Ecclesia cum Latina concordiæ vinculis astringenda; quàm de Latina hac distrahenda, multasq; in partes discindenda sunt solliciti. Cuius rei gratia triremes etiam Auinione comparasse dicuntur, quæ te cum Synodo tua vltra columnas Herculis, & Gadira deportent. Hoc verum est, vt fama canit: & istuc non ad consensionem, sed confusionem potius Ecclesiarum spectare, quilibet cordatus intelligit. Probè enim nouerunt, Romanorum Imperatorem cum tanta sanctorum Patrum multitudine ad extremos terrarum fines nauigare non posse. Ad vnionem igitur Ecclesiarum te incitant. Si ita est, cur locis, in quos facilis est abitio relictis, eum proponunt, in quem deuenire propemodum est impoßibile? Quid? cum illis facillimum sit in Italiam ascendere, vbi est summus Pontifex, & cum eo Synodus, quò & maiestas tua facillimè iuxta ac celerrimè appelletur, quare ea præterita, cum sibiipsis difficilia, tum Pontifici maximo, & potentiæ tuæ impoßibilia concupiscunt? Verumenimuerò, vt apparet, non eos fugit, posteaquam in Italiam profectus, Ecclesias pacificaris (quod vtique in beatißimo Papa Eugenio, & in maiestate tua situm est) non amplius fore vllam machinam, Primatum Romæ in Galliam mouendi, & transferendi termi-

terminos, quos Patres posuerunt, quanquam vndarum allisu vacillantes, & vetustos adeò, vt cedere videantur. Vsque eò autem de recto non cogitant, vt eorum quæ expediunt ac decent, nihil intelligant: sed arbitrentur, aut sapientiam tuam se posse vincere, & consilio tuo dominari, Romanorumq́; Imp. longè à sede sua ad extremos Oceani fines abducere: aut tuam in Italiam nauigationem impedire: vtrouis enim horum Ecclesiam se diuulsuros opinantur: quam si quirent, iam discerpsissent: quibunt autem, si tu in Italiam traiicere nolueris. Siue enim te illuc inclinante, beatissimi Papæ res frixerint; siue ab itinere impedito, opportunitatem adepti, Ecclesiam scindere meditantur. Ita tribus propositis, aut in Galliam, aut in Italiam nauigare, aut neque huc, neque illuc, si in Italiam non nauiges, reliqua duo geminum schisma pro simplici, heu me, in Ecclesiam importabunt. Nam quo Romana Ecclesia confundetur, ac permiscebitur, hoc Græcorum Ecclesia cum ipsa stare quî poterit? Præterea, cum liceat Ecclesiæ Romanæ vniri, quis hoc neglecto aut Ariminensi, aut Narbonensi, aut nescio cui demum alteri vniri studebit? vt non secum reputet, si minus prisca illa, quando Galli, cum Romanos Pontifices secum conspirantes haberent, regnum distraxerunt, & Ecclesias dilacerarunt (quæ duo se mutuò sequuntur) si hæc non reputet, inquam, at saltem recentia, quæ Lugduni tentata ad nihilum reciderant. Haud enim idoneos esse iudico, ad distantia coaptanda & copulanda, qui copulata semper turbant, & salua dirumpunt, & incolumia quantum possunt dilaniant, & hoc tempore in his ipsis elaborant. Sed antiqua è memoria deleamus. Quale porrò velamentum sumentes (pacem nimirum Ecclesiarum) te ad Synodum ipsorum adducere nituntur? cuius vt radices malæ, & fundamenta putria, sic vltima quoque erunt infamia. Ego verò talia Basileæ factitantes non Synodi populares, absit, sed viros sanguinum, & Concilium malignantium potius appello. Quis, quæso, Synodum illam sanctam dicere ausit, vnde abest summus Episcopus, non corpore solo, sed animo quoque, & iudicio, & voluntate penitus? nec abest solùm, sed insuper à quibusdam de illo numero oppugnatur, ac dira partim passus est, partim patitur? dolens, quòd Ecclesiæ nauim illorum dementia versari in discrimine conspicit. At enim rerum mirabilium Deus etiam ipso malo curare malum nouit, quod summæ illius bonitatis est.

Quapropter excitauit, & instigauit multò magis quàm prius hunc
nouum Mosen, Eugenium dico, antistitem Episcoporum cum ipso con-
sentientium, & quotquot Synodum optant, & bonum commune dili-
gunt, vt missis triremibus potentiam tuam in Italiam accerseret. Cum
autem varia rumore spargantur, nemo tamen propè dixerim, te in
triremes Auinionenses propendere credit: tantam temeritatem &
incogitantiam nauigia ab ipsis comparata habent. Multi porrò in ea
opinione sunt, te nec in Italiam nauigare statuisse: quorum nonnulli
fortasse cum id summopere expetant, vix sperant: alij à sententia tua
aberrant, quòd promptum & alacrem animum tuum ad pacem Eccle-
siæ conficiendam perspicere non valent: quidam quod volunt, id etiam
futurum augurantur. Volunt autem res nostras semper in angusto si-
tas esse: & erunt angustæ in schismate. Quemadmodum namq; diuiso
imperio dirempta est Ecclesia: ita putant (nec malè putant) Ecclesia
rursum coalescente, imperium in sublime erecturum caput. Qua enim
alia de caussa sic sentiunt? Etenim qui Synodo intersunt, non omnes
in eandem sententiam eunt: sed optimi pro hac re etiam sanguinem
profunderent, quos diligere, & venerari, eorumq; iudicium omnium
cæterorum iudicio præferre iustum est vtique. Sunt qui suspicentur, te
cum synodicis fœdus iniisse. Quocirca illorum non nemo cũ Papa facit.
Alij nec locum, nec modum seruant, partim dum fermè extra orbem
nostrum habitabilem expellere maiestatem tuam nituntur: partim
cum res præsentiã beatissimi Papæ flagitet, & hoc in conuentis & pactis
scriptum sit, neutiquã, nisi Pegasis inequitet, aut Persei alas accipiat,
ad locum destinatum peruenire possit. Quod sine controuersia ad occa-
sionem inducendi schismatis machinati sunt. Alij affirmant, cum
volueris ad Synodum proficisci, ad Synodum minimè venturum. Quid
ais? inquiunt, ad Synodum œcumenicam iam coactam coactus est Im-
perator? quis hoc aliquando audiuit, idq; cum Synodi œcumenicæ com-
plures celebratæ sint? quarum primæ partes post Romanum Pontifi-
cem semper penes Romanum Imperatorem fuerunt. Numera mihi sy-
nodos, & percurre omnes, vnicam duntaxat profer œcumenicam, cui
Imperator Romanorum non initium fecerit. Nullam proferes. Quid
ergo? alios Imperatori Romanorum idem cum supremo Episcopo sen-
tienti conuocare licuisse censes, hanc autem futuram Auinionenses
quos-

quosdam, aut Narbonenses, aut Lugdunenses, aut quoscunq; volueris, cogere posse arbitraris? Quis prudens hoc ferat? immò quis non ore aperto clamet, non esse hanc sanctam Synodum, nec vestigium synodi, nec similem vmbræ synodi: sed insanorum hominum inuenta nequã, orbem terrarum perturbantia? Quid ita? quoniam non ex sententia Romani Pontificis; quoniam Imperator Romanorum, cui hæc desuper mandata sunt, non ipse conuocauit: sed ad prius conuocatam velut quispiam idiota, & priuatus arcessitur. Tu verò, Imperator optime, leges à patribus tuis latas, diuinoq; iure conseruatas considera, & admirare. Illi cũ multis gentibus imperitarẽt, Romani Episcopi auctoritate synodos cogebant. Fortuna postmodum cõmutata, eadem nihilominus dignitate tua, & antiquorum permanẽte, cum ad emendationem Ecclesiæ agitandus est conuentus, & nemo iure præter Imperatorem Romanorum tempus & locum, & modum definire possit, quia opes tuæ infirmæ sunt, Deus iudicio quod ipse nouit in hoc necessitatis rem conclusit, vt tu solus non sis, sicuti oportebat, & loci, & temporis, & modi, & vnionis ipsius dominus, nemine, aut paucis admodum in præsens contradicentibus: paulò autem post ad vnum omnibus maiestatem tuam vt bonorum omnium caussam & caput prædicaturis. Atq; hoc tam mirabile non est, Imperator, tametsi est mirabile, quàm illud rectè factum erit, si tantummodò naui conscensa, in Italiam discesseris. Istuc cuiusmodi sit audi, quamuis per te nosti, & ab aliis fortè accepisti: nihil enim obest talia sæpius dicere & audire. Das tu operam pro officio Imperatoris, vti Christianorum genus in vnum gregem, sub vno pastore colligatur. Hoc ipsum intuens Princeps huius mundi diabolus, cruciatur, cœpta tua impedire, Ecclesiamq; Latinorum, quæ nũc vna videtur, discindere molitur. Tantoperè enim ad explendam cupiditatem suam Germanorũ, & Gallorum quidam feruntur, eum scilicet, qui nunc pontificatum maximum gerit gradu mouẽdi, & alium Pontificem, Gallum puta, aut omnino barbarum contra substituendi, vt iam dirupissent Ecclesiam Dei, sursumq; ac deorsum miscuissent omnia, nisi vererentur, ne te in Italiam profecto, Papæ rationes corroborentur, ipsorumq; debilitentur. Ex quibus perspicuum fit, nisi in Italiam ad concordiam resarciendam nauiges, amplius te Ecclesiam scissurum, & cum Christianos in vnum congregare studueris, dispersurum, & afflicturum plagis insanabilibus. Sola igitur voluntate

illuc nauigandi seditionem compescuisti, procellam sedauisti, flāmam aduersus Ecclesiam furentem extinxisti; id, quod non ego solus, sed vniuersi loquuntur. Sic enim Ecclesia tumultuatur, tantumq́; amorem & hîc degentium, & transalpinorum (vt ex his qui inde veniunt cognoscere licet, si cui curæ est interrogare) erga tuam potentiam cumulauit Deus, vt omnes vno ore, & voce clament, nisi Romanorum Imp. Ecclesiam adiuuerit (cui sola res ipsa testimonium fert, tantùm non voce missa mandatum à Deo, vt & pridem dirupta consuat, & quæ sunt coadunata, illæsa, integra conseruet) actum est de Ecclesia, periit imperium, dæmon aduersarius noster regnat, & nihil prorsus exspectandum est, quantū iudicio humano perspicere possumus, quod Christianos istis miseriis exsoluat. Hæc ego assiduò audiens, Imperator (nouit Deus, qui te prædestinauit, & restituendis in concordiam ecclesiis ad æternam nominis tui memoriam elegit) lacrymas tenere nequeo, nunc animo præuidens, quantum Ecclesiæ periculum impendeat, cum tu nondum veneris: non quod te non venturum existimem, vt alij quidam; sed quod magnum desiderium timor comitatur; nunc lætitia planè captus, & me imperatorem Romanorum cum sua Ecclesia Romanam vnientem cernere ratus: quin ipsam Romanam obseruantem, & reconciliantem, & ab adeò manifesto casu custodientem, vt dicere nemo possit, non esse Romani Imperatoris tam præclarum facinus. Quo enim pacto, vbi in Italiam veneris, quispiam non Saluatorem te, bonorumq́; omnium caussam secundùm Deum proclamare sustinebit, quem etiam modò, quibuscunq́; ista cordi sunt, iisdem appellationibus cohonestant? Insignem profectò gloriam tibi Imp. offerre decreuit Deus, tua nimirum recreatus virtute, & gaudens te amare vnionem, ac futurorum tibi, & per te generi Romano bonorum, summam pelagi trāquillitatem largitur, nisi tu non veniendo prohibeas. Si igitur imperatorium, & naturæ tuæ pulchrum est, ne Ecclesia Romanorum dilanietur, solum nauigationem in Italiam suscipere, tanta nunc pecunia quasi præter destinatum in aduentum potentiæ tuæ fæliciter coacta, an non cupidè nauim conscēdes, & primo quoq́; tempore ecclesias consensione deuincies? Quis autem rectè ratiocinans, tantis etiam nauigationi difficultatibus propositis, vt pro iis superandis Christianus quilibet mille mortes subiret, eam differret? Præsertim

cum

eum quantò est gloriosius veniendo scandala tollere, tantò sit probrosius non veniendo Ecclesiam confundere; & cum totam Europam liceat constituere, & bona in pace collocare, contrà, prô dolor, ad bellum intestinum exemplo pessimo excitare. Cunctari enim & tergiuersari vitio dandum est. Oportet itaq́, Imperator, istiusmodi occasionem diuino munere oblatam non negligere: sed cœlestem prouidentiam admirari, & gratias agere, quoniam tibi cupienti pro simplici duplicem vnionem donat. Nec enim ignoro, te frequenter rogasse Deũ, vti simpliciter Ecclesiæ in pristinam concordiam reducerentur. Ille verò, quò promptius venias, dupliciter id tibi concedit. Quid igitur? quò Deus zelum tuum magis exsuscitat, & amorem vehemẽtius accendit, hoc, ne impedimento sit, à quibusdam timebitur? Istuc simile est, vt si quis oleo ignem non pasci, sed extingui autumet: aut si quis affirmet, decem talentis acceptis volentem quippiam facere, idem bis decem talentis acquirendis nolle facere. Sed hæc omittam, nec enim video, quid te ab aduentu retardare queat. Cui plurimùm studuisti, in foribus adest ecclesiarum pax. Nec ipsa tua solùm, sed & Romana Ecclesia pustulis & tumoribus laborat, tuamq́ opem flagitat. Quos autem negotij istius cura sollicitat, simul omnes, Imperator, ad te respiciunt, non minus quàm si, vt Constantino illi Magno, aut Theodosio, aut Iustiniano splendida tibi fortuna aspiraret. Et reuera, cum veneris, haud secus, quàm à solis fulgore stellarum lux, præcedentium Imperatorum fama gloriæ tuæ claritate obscurabitur. Nam illi multa etiam per vim (si iustè rem expendamus) bene fecisse videri possunt. Magni quippe Principes ac dynastæ violentiæ suspicionem non effugiunt. Tu verò ante multas iam ætates generi tuo aduersante fortuna, prudentia, iustitia, mansuetudine, cæterisq́ virtutibus, quibus imperium tuum condecorasti, & Ecclesiam nauigatione in Italiam peracta incolumem conseruabis, & malè disiuncta probè copulabis, & imperium instaurabis, & quam nunc obtines ciuitatem, multis gentibus post te imperantem relinques. Quod si non venias, omnino horum contraria te sequentur. Haud enim erit, haud, inquam, erit in posterum spes, Imperator, si tempus hoc præterierit, ad contritorum curationem accedi posse. Quî enim? quando & quæ præualida, & tanquam muri Babylonij apparent, res Romanæ scilicet cõcutiuntur, & fluctibus agitantur?

Nec fas turbinem ventorum euitare, nisi tu gubernaculo dexteram admoueris. Equidem adeò infaustum vaticinari nolim: veruntamen rebus ipsis compulsus continere me non possum. Nisi in Italiam nauigaueris, scito te Christianorum genus prodidisse, & Ecclesiam in vltimas calamitates præcipitasse. O casum. Nec erit Ecclesia Romana, quæ cum Græca consocietur: & illa labefactata, vereor dicere, sed dicam tamen, summa respub. pessum ibit.

Hæc Imperator Auguste, cui nunc potestatem ecclesiarum diuino impulsu tota Europa tradit, tecum voluta. Quo quidem ceu signo, non multò post tibi, Deo volente, tradendi complurium gentium principatus quispiam vtatur. Et cum hisce cogitationibus, quibus te ventura vt præsentia puto intueri (vt de Themistocle narratur) exere animum, & prudentiam tuam. Aliò te ducentes, aut seducentes repelle, siquidem vera sunt quæ diximus. Et si triremes Auinionenses Constantinopolim tenuerint, & non expulerit eas Deus, aut eorum à quibus mittuntur mentes, admirabiliter virtute tua flexus mutauerit, & his, & illis in Italiam te deducat. Ego igitur scripsi, non quòd eloquentiæ meæ confiderem (sum enim conscius mihi paupertatis Græcarum artium) sed quòd ecclesiarum pacem mirificè desiderarem, & genus nostrum in antiquum dignitatis locum per celsitudinem tuam reuocari optarem. Hac vna re cõmotus, multò antehoc etiam cum beatissimo Papa super his disserui. Quod restat, sacratissime Imp. viue, genus nostrum ad veterem fœlicitatem extolle, imperitiamq́ & verbositatem meam æqui boniq́ consule.

* * *

ΠΡΟΣ

ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΥΨΗΛΟΤΑΤΟΝ ΚΑΙ ΘΕΙΩΤΑΤΟΝ ΒΑΣΙΛΕΑ

ΡΩΜΑΙΩΝ ΙΩΑΝΝΗΝ ΤΟΝ ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟΝ ΠΡΟΣ τὸν εἰς ἰταλίαν πλοῦν προτροπὴ γεωργίου τραπεζουντίου ἐπιστολή.

Οὐχ ὅτι σε κατὰ τὴν πολλῶν δόξαν, ἄριστε βασιλεῦ, ἀμφιβαλεῖν ᾠήθην τὸ σύνολον, μεθ' ὧν ὁ ἄκρος τῶν ἀρχιερέων ἔπεμψε τριηρῶν εἰς ἰταλίαν πλεῦσαι, τὴν παράκλησιν ταύτην ἐνεστησάμην, ἀλλ' ὅτι ὡς μάλιστα τῷ σῷ κράτει ἐνόμισα χαριεῖσθαι ἐκεῖνα γράψας, ἅπερ σοὶ μὲν ἡδονὴν τῷ σφόδρα τούτοις ἔχεσθαι, ἐμοὶ δὲ παραίτησιν, καὶ συγγνώμην παρέξει πόρρω που ἀπῳκισμένῳ λόγων ἑλληνικῶν, καὶ ὅμως τολμῶντι πρὸς τὸ σὸν ὕψος γράφειν. ἐκεῖνο μὲν γὰρ οὐδ' ἂν ἦν ὅλως νοῦν ἔχοντος ἀνθρώπου, εἰ βασιλέα τοιοῦτον, ᾧ σοφίας καὶ λόγων εἰς ἄκρον μέτεστι πείθειν ἐπιχειροίην, μηδὲν ἔχων τῶν πείθειν δυναμένων. Τοῦτο δὲ εὐγνώμονος ἴσως ἂν δόξῃ καὶ πιστοῦ ὑπηκόου, ἀμφιδοξούντων πολλῶν τά τέ σοι ἀρεστὰ γράφειν, καὶ δόξαν σχεῖν τοῦ πεῖσαι πάλαι σου πεπεισμένου μᾶλλον δὲ ὁρμῶντος πρὸς τοῦτο οἰκείᾳ γνώμῃ· καὶ πολλοὺς ἤδη πείσαντος. ἀλλ' οἶμαι δεῖν εἰς ἀρχὴν καταστῆσαι τὸν λόγον, ἵνα μοι κατὰ λόγον χωρῇ, καὶ μὴ πάθω τι ταυτὸ τοῖς μικρὰ μὲν καὶ ὀλίγα φέρειν δυναμένοις, πολλὰ δὲ καὶ μεγάλα ἐπιφορτιζομένοις. τῷ γὰρ τῇ τῶν πραγμάτων τάξει προβαίνειν, ἴσως ἄν μου βοηθήσαι τῇ τοῦ λέγειν ἀπειρίᾳ.

Ἡ ἐν τῇ λεγομένῃ βασιλείᾳ γερμανῶν πόλει συναχθεῖσα σύνοδος, ὦ βασιλεῦ, νόμον θεῖσα εὐθὺς μετὰ τὸ συναχθῆναι, εἰ τῷ νῦν προκαθεζομένῳ τῶν ἐκκλησίας οἰάκων οἷα ἀνθρώπῳ θάνατος συμβῇ, συνισταμένης τῆς συνόδου, αὐτῇ μόνῃ ἐξεῖναι τὸν ἄκρον αἱρεῖσθαι ἀρχιερέα, ἔκδηλον ἐποίησεν, ὡς ἐπὶ τὸ μεταθεῖναι εἰς γερμανοὺς ἢ γάλλους συναχθείη τὴν τῆς ῥώμης ἀρχήν. καὶ νῦν ὅσα ἂν ποιεῖ ἢ λέγει, πρὸς τοῦτο ποιεῖ καὶ λέγει οὐ πᾶσα μέν, καὶ γὰρ οἱ κρείττους ἀρετὴν ἐκείνων, καὶ τὴν κατὰ θεὸν πολιτείαν, συνεῖδον ἤδη τὰ βελτίω. οἱ δὲ πονηρότεροι, οὐ μᾶλλον φροντίζουσι τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ἑνώσεως, γραικῶν λέγω, καὶ ἰταλῶν, ἢ τοῦ διασπᾶν τὴν ἰταλίαν ταύτην καὶ εἰς πολλὰ κατατέμνειν οἱ ἄθλιοι. οὗ χάριν καὶ τριήρεις λέγεται παρασκευά-

σαι αὐτοῦ ἐν ἀβιῶνι αἷς σε, καὶ τὴν μετὰ σοῦ σύνοδον, ἔξω τῶν ἡρακλείων στη-
λῶν, καὶ πέρα γαδήρων ἐξάξουσι. τοῦτο δὲ ἀληθές, ὥσπερ ᾄδεται, ὅτι οὐ πρὸς ἕνω-
σιν, ἀλλὰ σύγχυσιν ὁρᾷ ἐκκλησιῶν, παντί που δῆλον τῷ νοῦν ἔχοντι. οἴδασι
γὰρ καλῶς, ὡς οὐχ οἷόν τε βασιλέα Ρωμαίων μετὰ τοσούτου πλήθους ἁγίων πα-
τέρων πλεῖν εἰς τὰ ἔσχατα τῆς οἰκουμένης. ἆρα οὖν εἰς τὸ ἑνῶσαι τὰς ἐκκλησίας
σε προκαλοῦνται, καὶ τί τοῦ εἰς οὓς ῥᾴδιον ἐλθεῖν τόπους ἀφέντες, τὸν εἰς ὃν
σχεδὸν ἀδύνατον προτίθενται; ἀλλὰ πάντως τὴν τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνην
ἀποδέχονται, καὶ τί ῥᾷστου ὄντος ἐκείνοις εἰς ἰταλίαν ἐλθεῖν, ὅπου καὶ ὁ ἄ-
κρος ἀρχιερεύς, καὶ ἡ μετ᾽ αὐτοῦ σύνοδος, ὅποι καὶ τὸ σὸν κράτος ῥᾷστ᾽ ἅμα
καὶ τάχιστα καταχθήσεται, τοῦτ᾽ ἀφέντες, τῶν δυσκόλων μὲν σφίσιν αὐτοῖς,
ἀδυνάτων δὲ τῷ ἄκρῳ ἀρχιερεῖ, καὶ τῷ σῷ κράτει ἐφίενται; ἀλλ᾽ ὡς ἔοικεν οὐκ
ἀγνοοῦσιν, ὅτι σου εἰς ἰταλίαν πλεύσαντος, καὶ τὰς ἐκκλησίας ἑνώσαντος,
ὅπερ ἄρα τῷ μακαριωτάτῳ εὐγενίῳ πάπᾳ, καὶ τῇ σῇ θειότητι ἐναπό-
κειται, ὡς οὐδεμία ἔτι μηχανὴ ἔσται τοῦ τὰ ῥώμης πρωτεῖα εἰς μαρτυρίαν
γαλλίας κινεῖν καὶ μεθιστᾶν ὅρια τὰ ἤδη μὲν ὑπὸ τῶν πατέρων πάγιντα,
σαλεύοντα δὲ ὅμως τῇ τε τοῦ κλύδωνος ῥύμῃ, καὶ τῷ παλαιὰ εἶναι. ὃ δοκοῦσι
τοσοῦτον ὑπερέξειν. ἔχουσι δὲ τοσοῦτον τοῦ καθήκοντος λογισμόν, ὡς μηδὲν συνο-
ρᾶν δύνασθαι τῶν δεόντων· ἀλλ᾽ οἴεσθαι ἢ καταπραΰνειν τῆς σῆς σοφίας, καὶ
καταπυρεῦσαι τῆς σῆς βουλῆς καὶ ἀπάξειν βασιλέα Ρωμαίων εἰς τὰ ἔσχατα
ὠκεανοῦ, μακρὰν τῆς ἰδίας πόλεως· ἢ κωλῦσαι σου τὸν εἰς ἰταλίαν πλοῦν· ἑκα-
τέρῳ γὰρ τούτων κατατέμνειν αὐτοῖς ἐξεῖναι τὴν ἐκκλησίαν δοκεῖ. ἣν
ἤδη κατεσπάραξαν ἄν, δυνηθέντες. δυνήσονται δέ, μὴ πλεύσαντός σου
εἰς ἰταλίαν. εἴτε γὰρ ἐκεῖσε συνδιάσαντος ἐξασθενήσει τὰ τοῦ μακαριωτάτου
πάπα, εἴ τε κωλυθέντος πρόφασιν εὑρόντες, σχίζειν διανοοῦνται· οὕτω τρι-
ῶν προκειμένων, εἰς γάλλιαν, ἢ εἰς ἰταλίαν σε πλεῖν, ἢ μήτ᾽ ἐκεῖσε, μήτε
δεῦρο, πλὴν τοῦ εἰς ἰταλίαν σε πλεῖν τὰ λοιπὰ δύω, διπλοῦν ἀνθ᾽ ἁπλοῦ
παρεισάγει φεῦ, τὸ τῶν ἐκκλησιῶν σχίσμα. οὐδὲ γὰρ δυνατὸν ᾧ ἡ τῆς ῥώμης
συγχυθήσεται ἐκκλησία, τούτῳ τὴν τῶν γραικῶν μετ᾽ αὐτῆς ἵστασθαι. εἶτα τίς
τὸ ὕπουλον αὐτῶν, καὶ σκαιόν, καὶ ὕφαλον προτιμήσει τῆς ἰταλίας; εἶτα τίς
τῇ ῥώμης ἐκκλησίᾳ ἐξὸν ἑνωθῆναι, τοῦτ᾽ ἀφεὶς τῇ ἀβιῶνος, ἢ ναρβῶνος, ἢ
οὐκ οἶδα τί λέξω, ἑνωθῆναι σπουδάσει; καὶ οὐ λάβῃ κατὰ νοῦν, εἰ μὴ τὰ παλαιὰ
ἐκεῖνα, οἷς οἱ γάλλοι εὑρόντες τῆς αὐτῶν γνώμης ῥώμης ἀρχιερεῖς, βασιλείαν
διέσπασαν, καὶ τὰς ἐκκλησίας συνεξέσπασαν. συνακολουθεῖ γὰρ ταῦτα ἀλ-
λήλοις. εἰ μὴ ταῦτα λάβῃ κατὰ νοῦν, ἀλλά γε τὰ νέα τὰ ἐν λουγδούνῳ εἰς τὸ μηδὲν
προχωρήσαντα; οὐδὲ γὰρ οἶμαι συναρμόζειν ἐπιτηδείους εἶναι τὰ διεστηκότα

ἐνοῦν,

ἐνθῦν, σοῦ ἀεὶ τὰ ἡνωμένα ταράττοντας, καὶ διαρρηγνύντας τὰ ζῶα, τάτε ἀ-
κέραια σπαράττοντας ὅση δύναμις, καὶ νῦν τοῦτ' αὐτὸ σπουδάζοντας. ἀλλὰ τὰ
μὲν παλαιὰ ἐξαλειφθήτω τῆς μνήμης. ποῖον δὲ πρόσχημα τῆς ἐκκλησιῶν
εἰρήνης λαβόντες, θαρροῦσι σε προσάξεσθαι τῇ αὐτῶν συνόδῳ, ἧς ὥσπερ ἄρα αἱ
ῥίζαι κακαὶ, καὶ τὰ θεμέλια σαθρὰ, οὕτως ἔσται καὶ τὰ τέλη δύσφημα. ἐγὼ δὲ ταύ-
τας ταράττοντας σοῦ ἐν βασιλείᾳ τῇ πόλει οὐδὲ συνόδου ἄνδρας καλῶ, οὐδ' ἐγ-
γύς, ἀλλ' αἱμάτων μᾶλλον ἄνδρας, καὶ πονηρευομένων συνέδριον. τίς γὰρ σύνο-
δον ἐκείνην ἁγίαν εἰπεῖν τολμήσῃ, ὅθεν ἄπεστι μὲν ὁ ἄκρος ἀρχιερεὺς, οὐ σώ-
ματι μόνον, ἀλλὰ καὶ ψυχῇ, καὶ γνώμῃ, καὶ βουλῇ πάσῃ; καὶ οὐκ ἄπεστι μόνον, ἀλλὰ
καὶ πολεμεῖται παρά τινων ἐκεῖθεν, καὶ δεινὰ τὰ μὲν ἔπαθε, τὰ δὲ πάσχει, ἀλ-
γῶν ὅτι τὸ τῆς ἐκκλησίας σκάφος κινδυνεύειν ὁρᾷ τῇ ἐκείνων ἀπονοίᾳ. ἀλ-
λὰ γὰρ οἶδεν ὁ τῶν θαυμασίων θεὸς καὶ διὰ τῆς κακίας αὐτῆς ἰᾶσθαι τὸ κακὸν. καὶ
τοῦτο τῆς ἄκρας αὐτοῦ ἐστὶν ἀγαθότητος. διήγειρε τοιγαροῦν, καὶ παρώξυνε πολ-
λῷ μᾶλλον ἢ πρότερον τὸν νέον τοῦτον μωσέα, εὐγένιον λέγω τὸν ἄκρον ἀρχιερέα,
συνδοκούντων αὐτῷ καὶ τῆς συνόδου ὅσοι σπουδαῖοι, καὶ ἀγαπῶντες τἀγαθὸν,
τριήρεσι μετακαλεῖσθαι τὸ σὸν κράτος εἰς ἰταλίαν. καὶ ἔστιν ἀκοῦσαι γνώμας συχ-
νὰς, οὐδενὸς μὲν, ὡς εἰπεῖν, εἰς τὰς ἀβίωνος σε τριήρεις ῥέπειν νομίζοντος. τοσαύ-
την ἀλογίαν ἔχει ὁ παρ' ἐκείνων στόλος. πολλῶν δὲ μηδ' εἰς ἰταλίαν ἐθελῆσαι
πλεῦσαι, ὧν οἱ μὲν ἴσως τῷ λίαν ἐφίεσθαι δύσελποι εἰσιν· οἱ δὲ τῆς σῆς γνώμης
ἁμαρτάνουσι, μὴ δυνάμενοι νοῆσαι τὸ σὸν εἰς τὴν τῆς ἐκκλησίας εἰρήνην
πρόθυμον· οἱ δὲ, ὅπερ ἐθέλουσι τοῦτο καὶ δοξάζουσι· ἐθέλουσι δὲ μικρὰ εἶναι
ἀεὶ τὰ ἡμέτερα· ἔσται δὲ μικρὰ τῷ σχίσματι. ὥσπερ γὰρ βασιλείας διαιρεθεί-
σης διέσῃ τὰ τῆς ἐκκλησίας, οὕτως οἴονται, καὶ οὐ κακῶς οἴονται, συνελθούσης τῆς
ἐκκλησίας, ὑπεραρθῆναι τὰ τῆς βασιλείας. τί γὰρ ἄλλο τοῦ ταῦτα νομίζειν
αἴτιον; ὅτι οἱ τῆς συνόδου πάντες οὐ συνευδοκοῦσιν, ἀλλ' οἱ ἄριστοι, καὶ τὴν ψυχὴν
ἂν ὑπὲρ τούτου θεῖεν, οὓς ἀγαπᾶν τε, καὶ σέβεσθαι, καὶ τὴν ἐκείνων γνώμην τῶν
πάντων προτιμᾶν, δίκαιον δήπου, ὦ βασιλεῦ. ἀλλ' ὅτι μετὰ τῶν συνόδου συν-
θήκας πεποίησαι; οὐκοῦν ἐκείνων οἱ μὲν μετὰ τοῦ πάπα ἑστήκασιν. οἱ δὲ, οὔτε
τόπον, οὔτε τρόπον ἐτήρησαν. τὸ μὲν ὅτε ἔξω που σχεδὸν τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμέ-
νης ἐξῶσαι τὸ σὸν κράτος σπουδάζουσι· τὸ δὲ, ὅτι τῶν πραγμάτων κατεπει-
γόντων παρεῖναι τὸν μακαριώτατον πάπαν, καὶ τούτου γεγραμμένου ἐν ταῖς
συνθήκαις, οὐκ ἂν εἰ μὴ πηγάσους τινὰς ὑποδύσῃ, ἢ περσέως λάβῃ πτερὰ,
ἀφικέσθαι δυνήσεται. τοῦτο δ' ἀτεχνῶς εἰς ἀφορμὴν σχίσματος αὐτοῖς μεμηχά-
νηται. ἀλλ' ὅτι εἰς σύνοδον βουλομένου σοῦ ἐλθεῖν, οὐκ εἰς σύνοδον ἐλεύσῃ. τί φής;
εἰς συστᾶσαν ἤδη σύνοδον οἰκουμενικὴν κέκληται βασιλεύς; τίς ἤκουσε τοῦ πώποτε,

καὶ ταῦτα πολλῶν γινομένων συνόδων οἰκουμενικῶν, ὧν τὸ κράτος εἶχεν ἀεὶ μετὰ τὸν ἄκρον ἀρχιερέα ὁ τῶν Ῥωμαίων βασιλεύς. ἀρίθμησαί μοι τὰς συνόδους, καὶ διαδραμὼν πάσας, μίαν καὶ μόνην λέγε μοι οἰκουμενικὴν, ἧς οὐ κατῆρξε βασιλεὺς Ῥωμαίων. ἀλλ' οὐκ ἔξεστι λέγειν. τί δὲ τὰς μὲν ἄλλας βασιλεῖ Ῥωμαίων εἰς ταυτὸ συνελθόντι γνώμης τῷ ἄκρῳ ἀρχιερεῖ συγκροτηθῆναι νομίζεις, ταύτην δὲ τὴν μέλλουσαν ἀβεῶνάς τινας, ἢ ναρβῶνας, ἢ λουγδίνας, ἢ οὕς τινας ἂν βούλῃ συγκροτῆσαι δεῖν οἴει; καὶ τίς ταῦτα νοῦν ἔχων ἀνέξεται; μᾶλλον δὲ τίς οὐ διάξας στόμα μέγα βοήσει, ὡς οὐ σύνοδος αὕτη ἁγία, οὐδὲ συνόδου ἴχνος, οὐ δὲ ἐγγὺς κἂν σκιᾶς συνόδου, ἀλλ' ἀπὸ πλήκτων ἀνθρώπων ἐφεύρεμα πονηρὸν, τὴν οἰκουμένην ταράττοντα. διὰ τί; διότι οὐ κατὰ γνώμην τοῦ Ῥώμης ἀρχιερέως. διότι βασιλεὺς Ῥωμαίων, ᾧ ταῦτα ἐφεῖται ἄνωθεν, οὐκ αὐτὸς συγκροτήσας, ἀλλ' εἰς προσυγκροτηθεῖσαν, ὥσπερ τις ἰδιώτης καλεῖται. σὺ δέ μοι, ἄριστε βασιλεῦ, βλέπε θείους, οὓς ἔθηκαν οἱ πατέρες σου θεσμοὺς, θείᾳ δίκῃ τηρουμένους, καὶ θαύμασον. ἐκεῖνοι μὲν πολλῶν ἐθνῶν δυναστεύοντες, τῇ τοῦ Ῥώμης ἀρχιερέως γνώμῃ ἤγειραν τὰς συνόδους. τῆς τύχης δὲ μεταπεσούσης, καὶ τοῦ μὲν ἀξιώματος ὄντος τοῦ αὐτοῦ σοί τε καὶ τοῖς πάλαι, δέον γενέσθαι σύνοδον οἰκουμενικὴν, ἐπὶ διορθώσει τῆς ἐκκλησίας, καὶ πρὸς τὸ συναχθῆναι ταύτην οὐδενὸς κατάγε τὸν τοῦ δικαίου λόγον, πλὴν βασιλέως Ῥωμαίων καὶ χρόνον καὶ τόπον, οἶμαι δὲ καὶ τρόπον ὁρίσαι δυναμένου, ἀδυνάτων ὄντων σοι τῶν τῆς τύχης, συνέκλεισεν ὁ θεὸς, οἷς οἶδε κρίμασιν, εἰς τοῦτ' ἀνάγκης τὰ πράγματα, ὥστε σε μόνον εἶναι ὡς ἔδει κύριον καὶ τόπου, καὶ χρόνου, καὶ τρόπου, καὶ τῆς ἑνώσεως αὐτῆς, οὐδενὸς ἢ ὀλίγων πάνυ αὖ τι λεγόντων τανῦν, μικρῷ δ' ὕστερον πάντων ἁπλῶς τὴν σὴν θειότητα πάντων τῶν καλῶν αἰτίαν ἀνακηρυξόντων. καὶ τοῦτο οὐ τοσοῦτον θαυμαστὸν, καί τοι ἓν θαυμαστὸν, ὅσον ἐκεῖνο, ὅπερ τὸ ἐπιβῆναι μόνον τῆς νηὸς, καὶ πλεῖν εἰς Ἰταλίαν κατορθώσεις, ὦ βασιλεῦ. τόδ' οἷόν ἐστιν, ἄκουσον, καί τοιγε καὶ παρὰ σαυτοῦ εἰδὼς, καὶ παρ' ἄλλων ἴσως ἀκούσας. οὐ γὰρ κακὸν τὸ τὰ τοιαῦτα πολλάκις καὶ λέγειν τε, καὶ ἀκούειν. σπουδάζεις σὺ βασιλικῶς μάλα, ὦ βασιλεῦ, εἰς μίαν ποίμνην, καὶ ποιμένα ἕνα συνάγειν τὸ τῶν χριστιανῶν γένος. ἀλγεῖ τοῦτ' αὐτὸ ἐννοῶν ὁ κοσμοκράτωρ διάβολος, καὶ σπουδάζει πρὸς τὸ κωλῦσαι ὃ σὺ σπουδάζεις, σχίσαι καὶ τὴν νῦν δοκοῦσαν μίαν ἰταλῶν ἐκκλησίαν. τοσοῦτον γὰρ ὁρμῶσι πρὸς τὸ οἰκεῖον ἐφετὸν γερμανῶν καὶ γάλλων τινες, τὸν μὲν νῦν ὄντα καθελεῖν ἀδίκως βουλόμενοι, ἄλλον δὲ ἀντισάγειν ἀρχιερέα, γάλλον, ἢ πάντως βάρβαρον, ὥστ' ἤδη, διέρρηξαν ἂν τὴν ἐκκλησίαν θεοῦ, καὶ συνετάραξαν πάντα, εἰ μὴ αἰδοῦντο μὴ ῥέψαντός σου πρὸς Ἰταλίαν, κρατυνθῇ μὲν τὰ τοῦ μακαριωτάτου πάπ-

πα,

τα, συγχυθῇ δὲ τὰ αὐτῶν. ἐξ ὧν πρόδηλον, ὡς εἰ μὴ πλεύσῃς εἰς ἰταλίαν,
ἑνῶσαι βουληθεὶς, πολλῷ μᾶλλον χείρους· καὶ συνάξαι σπουδάσας χριστιανοὺς,
σκορπίσεις, καὶ κακώσεις ἀνίατα. τῷ γοῦν βουληθῆναι καὶ μόνον δεῦρο πλεῖν, ἔ-
παυσας τὴν στάσιν. τὴν ζάλην ἔστησας. ἔσβεσας τὴν ἀγριανομένην κατὰ τῆς ἐκκλησί-
ας φλόγα. καὶ τοῦτο οὐκ ἐμὸς λόγος, ἀλλὰ πάντων ἁπλῶς. οὕτω γὰρ τὰ τῆς ἐκ-
κλησίας ταράττεται, καὶ τοσοῦτον ἐρωτᾷ καὶ τὸ ὧδε, καὶ τὸ ἐπέκεινα ἄλπεων κατοικούν-
των ἀνθρώπων, ὡς ἔστιν ἀκούειν τῶν ἐρχομένων ἐκεῖθεν, εἴπερ τῷ φροντὶς ἐρω-
τᾶν, πρὸς τὸ σὸν κράτος ἤγειρεν ὁ θεὸς, ὥσθ' ἑνὶ στόματι, καὶ μιᾷ φωνῇ πάν-
των βοᾶν ὡς εἰ μὴ ὁ τῶν ῥωμαίων βοηθήσῃ βασιλεὺς τῇ ἐκκλησίᾳ, ᾧ μόνῳ
τὰ πράγματα μαρτυρεῖ, μόνον οὐχὶ φωνὴν ἀφιέντα ἐφεῖσθαι παρὰ θεοῦ τά τε
πάλαι διερρωγότα συρράπτειν, καὶ τὰ νῦν ἡνωμένα διατηρεῖν ἀκέραια, οἴχε-
ται τὰ τῆς ἐκκλησίας, διέφθαρται τὰ τῆς βασιλείας, ὁ ἀντίπαλος πολιτεύε-
ται δαίμων, καὶ οὐδὲν ὅλως ἐστὶ προσδοκᾶν κατά γε ἀνθρώπους λογισμοὺς,
ὃ χριστιανοὺς ῥύσεται τῶν τοιούτων κακῶν. ἐγὼ δὲ ταῦτα ἀκούων καθ' ἡμέραν,
ὦ βασιλεῦ, οἶδεν ὁ προορίσας, καὶ ἐκλεξάμενός σε εἰς τὴν τῶν ἐκκλησιῶν
ἕνωσιν, εἰς ὄνομα αἰώνιον θεὸς, οὐχ οἷός τε ὢν κατέχειν τὰ δάκρυα, ποτὲ μὲν
συνορῶν οἷος τῇ ἐκκλησίᾳ ἐπικρέμαται κίνδυνος, μὴ ἐλθόντος σου. οὐχ
ὅτι τοῦτο νομίζω ὥς τινες, ἀλλ' ὅτι τῷ λίαν ἐπιθυμεῖν δέος ἕπεται· ποτὲ δὲ
τῇ χαρᾷ νικώμενος, καὶ δοκῶν ὁρᾶν βασιλέα ῥωμαίων οὐ μόνον ἑνοῦντα τῇ
ἑαυτοῦ τὴν ῥώμης, ἀλλὰ καὶ αὐτὴν τὴν ῥώμης συντηροῦντα, καὶ διαλλάττον-
τα, καὶ ῥυόμενον οὕτω φανεροῦ πτώματος, ὥς τε μηδένα εἰπεῖν δύνασθαι, ὡς
οὐκ ἄρα τοῦ βασιλέως ῥωμαίων τὸ κατόρθωμα. πῶς γάρ τις μετὰ τὸ ἐλθεῖν σε
εἰς ἰταλίαν τολμήσει μὴ σωτῆρα σε, καὶ πάντων τῶν καλῶν μετὰ θεὸν αἴτιον
ἀνακηρύττειν, ὃν ἔτι καὶ νῦν ὅσοις τῶν τοιούτων μέλλει, τοῖς αὐτοῖς ἀποσεμνύνου-
σιν ὀνόμασιν; μέγα τοι κῦδος ὀρέξαι θεὸς βούλεται, ὦ βασιλεῦ, τῇ σῇ παρα-
κληθεὶς ἀρετῇ, καὶ τῷ ἐρᾶν σε τῆς ἑνώσεως χαίρων, ὥσπερ τι προοίμιον τῶν
μελλόντων σοι, καὶ τῷ γένει ῥωμαίων διὰ σοῦ ἀγαθῶν, χαρίζεται τὴν γαλή-
νην τῆς γενησομένης τρικυμίας πάντως, εἰ μὴ σὺ τῷ ἐλθεῖν κωλύσῃς. εἰ γοῦν
βασιλικὸν, καὶ τῇ σῇ φύσει πρέπον, ἵνα μὴ διασπασθῇ ἡ τῆς ῥώμης ἐκκλη-
σία, καὶ μόνον τὸν εἰς ἰταλίαν πλοῦν ὑποστῆναι, τοσοῦτον νῦν χρήματος ὥσ-
περ ἐκ παρέργου κατορθουμένου τῇ παρουσίᾳ τοῦ κράτους σου, οὐκ ἐπιβήσῃ ἀσ-
μένως τῆς νηὸς, καὶ ὅτι τάχιστα συνθήσεις τὰς ἐκκλησίας; καὶ τίς ὀρθῶς λογι-
ζόμενος τοιούτων προκειμένων ἔργων τῷ πλεῖν, ὑπὲρ ὧν πᾶς χριστιανὸς μυ-
ρίους θανάτους ὑπέμεινεν ἂν, τὸ πλεῖν ἀναβάλλοιτο; καὶ μάλισθ' ὅτι ὅσον
μεγάλη ἡ δόξα τῷ ἐλθεῖν παῦσαι τὰ σκάνδαλα, ὦ βασιλεῦ, τοσοῦτον μείζων

ἡ δυσφημία τῷ μὴ ἐλθεῖν συγχῦσαι τὴν ἐκκλησίαν. καὶ πᾶσαν φεῦ τὴν εὐρώπην ἐξὸν καταστῆσαι καὶ εἰρηνοποιῆσαι καλῶς, ἐκπολεμῶσαι κάκιστα. τὸ γὰρ ὀκνεῖν κατηγορεῖ. οὐ δεῖ δὴ τοιοῦτον ἀφεῖναι καιρὸν, ὦ βασιλεῦ, συμπεσσόντα θεόθεν. ἀλλὰ δεῖ θαυμάσαι τῆς προνοίας τὸ θεῖον, καὶ εὐχαριστῆσαι, ὅτι διπλῆν ἀνθ᾽ ἁπλῆς δωρεῖται συζητοῦντι τὴν ἕνωσιν. οἶδα γὰρ ὅτι πολλάκις αἰτήσας παρὰ θεοῦ ἁπλῶς ἑνωθῆναι σοι τὰς ἐκκλησίας, ὁ δὲ διπλῶς χαρίζεται, ἵνα προθυμότερον ἔλθῃς. εἰ οὖν, ὥσπερ τὸ θεῖον μᾶλλον ἀνάπτει τὸν σὸν ζῆλον, καὶ ἀναῤῥιπίζει τὸν ἔρωτα, τοῦτο χρῆ τινας φοβεῖσθαι, μὴ ἐμπόδιον γένηται; τόδ᾽ ἐστὶ παρόμοιον, ὡς εἴ τις ἐλαίῳ μὴ τρέφεσθαι, ἀλλὰ σβέννυσθαι νομίζῃ τὸ πῦρ. ἢ εἴπερ τις διατείνηται τὸν δέκα ταλάντοις ἐθέλοντά τι ποιεῖν, τοῦτ᾽ αὐτὸ μὴ βουληθῆναι ποιεῖν τῷ δισδέκα προσεξευρίσκειν τάλαντα. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐάσω· οὐδὲ γὰρ ὁρῶ τι τὸ κωλῦσον ἥξειν σε. ἥπερ πολλὰ ἐσπούδασας πάρεστιν ἐπὶ θύραις ἡ τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνη. καὶ οὐχ αὕτη μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡ τῆς ῥώμης ἐκκλησία φλυκταίνει οἰδαίνουσα, καὶ ἐπιβοᾶται τὴν σὴν προστασίαν. οἷς δὲ τῶν τοιούτων μέλλει, ἅπαξ ἅπαντες αὐτοκράτορ εἰς σὲ βλέπουσιν, οὐχ ἧττον, ἢ εἰ καὶ τὸν κωνσταντῖνον ἐκεῖνον τὸν μέγαν ἢ θεοδόσιον, ἢ ἰουστινιανὸν λαμπρὰ σοὶ ἐπέπνει τὰ τῆς τύχης. καὶ τῷ ὄντι ἐλθόντος σου, ὡς ὑπὸ ἡλίου ἀστέρες τῶν πρὸ σοῦ αὐτοκρατόρων ἡ φήμη τῇ σῇ δόξῃ κρυβήσεται. ἐκεῖνοι γὰρ πολλὰ αὖ καὶ βίᾳ κατορθῶσαι δόξωσι τοῖς ὀρθῶς ἐξετάζουσι. τοῖς γὰρ μεγάλοις δυνάσταις ἡ τοῦ βιαίως πολλὰ ποιεῖν ὑπόληψις ἕπεται. σὺ δὲ περὶ πολλῶν ἤδη γενεῶν ἀντιπνευσάσης τῷ γένει τῆς τύχης, φρονήσει, δικαιοσύνῃ, πραότητι, καὶ ταῖς ἄλλαις ἀρεταῖς αἷς σου τὸ κράτος ἐκόσμησας, τήν τε ἐκκλησίαν εἰς ἰταλίαν πλεύσας ἀκέραιαν συντηρήσεις, καὶ τὰ διαιρεθέντα κακῶς συζεύξεις, καλῶς καὶ τὰ τῆς βασιλείας ἐπανορθώσεις, καὶ παρέξεις τοῖς μετά σε πολλῶν ἐθνῶν βασιλεύουσαν τὴν ἧς κρατεῖς πόλιν· ὧν τοὐναντίον ἅπαν τοῦ μὴ ἐλθεῖν σε ἕψεται. οὐ γὰρ ἔσται οὐκ ἔσται τοῦ λοιποῦ ἐλπὶς ὦ βασιλεῦ τοῦ καιροῦ τούτου παρελθόντος ἐπιχειρεῖν ἰᾶσθαι τὰ συντριβέντα. πῶς γὰρ ὅπου καὶ τὰ δοκοῦντα εὐσθενῆ, καὶ ὡς τείχη βαβυλώνια, τὰ τῆς ῥώμης λέγω, σείεται, καὶ σαλεύει ἐπὶ κυμάτων ἱστάμενα; καὶ οὐκ ἔστιν ἐκφυγεῖν τὴν ζάλην, εἰ μὴ ἐπιβάλλῃς τῷ πηδαλίῳ τὴν δεξιάν· ἐγὼ δὲ οὐ βούλομαι μὲν τὰ κάκιστα προλέγειν, ὠθούμενος δὲ τοῖς πράγμασιν, οὐ δύναμαι κατέχειν ἐμαυτὸν, εἰ μὴ πλεύσῃς εἰς ἰταλίαν, ἴσθι ὡς ἀπώλεσας τὸ τῶν χριστιανῶν γένος, διέφθειρας τὰ τῆς ἐκκλησίας. ὢ τοῦ πτώματος· οὔτ᾽ εἰ μὴ ἑνωθήσεται ἡ τῶν γραικῶν, ἔσται ῥώμης ἐκκλησία· καὶ ἡ τῶν γραικῶν ταύτῃ σφαλείσης, ὀκνῶ μὲν, λέξω δὲ ὅμως, τὸ παράπαν οἰχήσεται. ταῦτα, ὦ βασιλεῦ, ὦ αὐτοκράτορ,

κράτορ, ὥπερ ἤδη τὸ κράτος τῶν ἐκκλησιῶν παρέχουσι θείως κινούμεναι πάν-
τες οἱ τῆς εὐρώπης, ἐνθυμηθεὶς, ὥσπερ σημείῳ χρήσαιτό τις τῆς μετ' οὐ πολύ
σοι θεοῦ θέλοντος ἀποθεισομένης πολλῶν ἐθνῶν ἡγεμονίας, καὶ πρὸς τούτοις
τοὺς σοὺς λογισμοὺς, οἷς ὡς παρόντα σε οἶμαι τὰ μέλλοντα ὁρᾶν, ὥσπέρ τινες ἔ-
φασιν τὸν θεμιστοκλέα. χρῆσαι τῇ σῇ ψυχῇ, τῇ σῇ φρονήσει, ἀπόκρουσον τοὺς
ἀλλοσέπη ἄγοντας, ἢ παράγοντας, εἴπερ ἀληθῆ τὰ λεγόμενα, καὶ κατέλθω-
σιν αἱ ἀβιῶνος εἰς τὴν κωνσταντίνου τριήρεις, καὶ μὴ ἐξώσει αὐτὰς ὁ θεὸς· ἢ με-
ταβαλὼν τὰς ἐκείνων γνώμας θαυμασίως τῇ σῇ ἀρετῇ καμφθεὶς, καὶ ταύ-
της, κἀκείναις ταῖς τριήρεσιν εἰς ἰταλίαν προπέμψοι σε. ἐγὼ μὲν οὖν ἔγρα-
ψα, οὐ τῷ λέγειν θαῤῥήσας, οἶδα γὰρ ὡς οὐ μέτεστί μοι λόγων ἑλληνικῶν· ἀλλὰ
τῷ ἐφίεσθαι σφόδρα τῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης, καὶ τῆς τοῦ γένους εἰς τὸ πάλαι
ἀξίωμα διὰ τοῦ σοῦ ὕψους ἀποκαταστάσεως. ὥπερ καὶ μόνῳ κινηθεὶς πρὸ πολ-
λοῦ, ἤδη περὶ τῶν τοιούτων καὶ πρὸς τὸν μακαριώτατον πάπαν διειλέχθην.

σὺ δὲ, ὦ θειότατε βασιλεῦ ζῆθι. ἐπανάγων τὸ μένος πρὸς τὴν ἀρ-
χαίαν εὐδαιμονίαν. καὶ τῆς ἀμαθίας ὁμοῦ καὶ πολυ-
λογίας ἀνάσχου μοι.

FINIS.

INDEX

INDEX IN HISTORIAM GEORGII PHRANZÆ PROTOVESTIARII.

traiectu

Defectio

Nauium

Theodo-

Tura-

INDEX
NOTARVM AD PROTOVESTIARIVM.

Laza-

Thessa-

Index dignitatum & officiorum etiam Turcicorum, quorum à Protouestiario fit mentio.

ADDITIO.

ADDITIO.

Pag.250.v.5.in Notis ad Protouestiarium post verba : Hæc Marquardus Freherus præfat. in ius Græcorum; *Adde sequentia.* Quæ tamen Illyricum & Caluinum olent, qua Imperium Romanum Carolo asserunt alio titulo; quàm Romani Pontificis voluntate, nutu, & auctoritate. Nam Carolum Magnum Imperij dignitatem nec iure belli, nec auctore senatu populóue Romano, nec donatione Græcorũ, seu, vt iste loquitur, transactione cum Irene Regina, eamq; secutis Nicephoro & Basilio Imperatoribus; sed solo Romani Pontificis beneficio ac inauguratione adeptum esse; tam perspicuè ostendit Card. Bellarminus lib.1. de Translatione Imperij Romani, cap.4. & aliquot seqq. vt mirandum sit reperiri, qui tantæ veritatis luci radios suos circumquaque, vt sic dicam, eiaculanti; tenebras offundere moliantur. Sed nihil non audet hæresis. & odium inexsaturabile, quo isti in cathedram Petri flagrant.

FINIS.